BIBLIOTECA NAZ.
XLII
II
21
NAPOLI

LII
H
21

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLII
II
21
NAPOLI

T. 173. 8

Digitized by Google



Digitized by Google

L A M P A S
SIVE FAX ARTIUM LIBERALIUM,
HOC EST
THESAURUS CRITICUS,
QUEM
Ex otioſa Bibliothecarum cuſtodia eruit, & foras prodire juſſit
JANUS GRUTERUS,
In eo infinitis locis Theologorum, Juriſconſultorum, Medicorum, Philoſophorum, Oratorum, Hiſtoricorum, Poetarum, Grammaticorum ſcripta ſupplentur, corriguntur, illuſtrantur, notantur.

TOMUS SECUNDUS
CONTINENS
VALENTIS ACIDALII
Divinationes, Interpretationeſque
IN PLAUTI COMŒDIAS
NEC NON
PII ANTONII BARTOLINI
In nonnullas Juris Civilis Leges explanationes,
POSTREMO
PHILIPPI BEROALDI
Adnotationes in varios Auctores
ACCESSERUNT HIS
ANTONII BECCATELLI
VULGO PANHORMITÆ
PATRICII PANHORMITANI
DE DICTIS, ET FACTIS ALPHONSI REGIS
LIBRI QUATUOR
CUM ÆNEÆ SILVII COMMENTARIIS, AC JACOBI SPIEGELLI SCHOLIIS,
Et horum omnium Additamentum
JOANNIS FELICIS PALESII PATAVINI
T. D. ACADEMIÆ RECUPERATORUM SOCII, ET IN REGIO BORBONICO
Nobilium Collegin RR. PP. Teatinorum Humaniorum literarum Profeſsoris.
OPUS POSTHUMUM
AD ILLUSTRISSIMUM, ATQUE EXCELLENTISSIMUM VIRUM
PETRUM A BONONIA
BECCATELLIUM
CAMPIREGALIS PRINCIPEM, SAMBUCÆ, ET ALTAVILLÆ MARCHIONEM,
Adragni Ducem, Verniæ, & Petræ Albæ Comitem, Venetici, Dimidiorumque Granorum, Gorgæ, & Trabiæ Baronem, Regis a Cubiculis Aurea Clavi donatum, Unicum ex Privilegin apud Siculos hæreditario Jure cum nubendi Facultate Sacri Hieroſolymitani Ordinis Nobilem Militem, &c.

FLORENTIÆ M. DCC. XXXIX.
Sumtibus Societatis.
SUPERIORUM ANNUENTIBUS.

ILLUSTRISSIMO; ATQUE EXCELLENTISSIMO VIRO

PETRO A' BONONIA BECCATELLIO

CAMPIREGALIS PRINCIPI

GRUTERIANÆ COLLECTIONIS SOCII F.

INcredibili delectatione, ac quaſi voluptate quadam perſundimur, Vir Illuſtriſsime, atque Excellentiſsime, quum divulgatus Critici Gruteriani Theſauri Tomus alter, tuo Nomine conſecratur; ad tuam videlicet Auctoritatem ſtudium noſtrum univerſum deſerendum arbitramur, qui cum ſpectatam Nobilitatem admirati ſumus, tum Prudentiam ſingularem jamdiu ſuſpeximus. Nec quiſquam ſane bujus eſt Urbis hoſpes adeo, ac peregrinus, cui ante oculos præſtantiſſimi tui Generis ornamenta non obverſentur? Immortalem quidem ſibi gloriam comparavit Henricut Dux fortiſſimus, quum ſuſis Scotorum in Angliam ſubito impetu irrumpentibus plurimis Copiis, Angli ipſiuſmet Regis Germanæ Sorori nupſit; nec Juliani, Antoniive fama bæſit ad metas, qui ampliſſimo Patre orti, ſuſcepti, & ad laudem ſunt inſtituti, Regiæ enim Legationis obeundæ cauſſa Romam profecti, eo dignitatis honeſtatem, ac Decus adduxerunt, ut Antonius Londinenſium Pontifex ſit renuntiatus, Julianus autem exigendis Bononiæ vectigalibus a Romano Pontifice Arbiter adbibitus, publicum, ac grave negotium ſumma felicitate confecit, qua de re quantum illi bonæ exiſtimationis acceſſerit, vel ex eo probi

*

Ci-

Cives perſpexerint, quod in Italia apud Bononienſes maximo ſemper in honore fuerit. Haud vero iſta commemorantem illa me prætermittere ducas, quæ a tuæ Gentis dignitate aliena non ſunt habenda; Omnes inquirentibus nobis, omnique ingenii acie contemplantibus oſtendunt ſe, & occurrunt Conſcripti Patres, quorum recta ſtudia ab optimis Viris concelebrata enituerunt. Per id ferme tempus, quo Bononiæ Gens Beccatellia conſtiterat, Friderico Cæſare, vulgò Barbaroſſa, fortiſſimo agmine ſtipato Bononiam invadente, adverſus hoſtes ſtrenue dimicaſſe compertum eſt Artemiſium Ducem egregium, quum pridem alter ex Beccatelliis Artemiſius magno Reipublicæ commodo primum Conſul eſſet pronuntiatus; Ubi illa antiqua Libertas, quæ ingentibus malis oppreſſa, Bononiæ extollere jam caput, & aliquando recreata ſe erigere cœperat, in Duodecemvirum Collegium Thomam Beccatellium novimus cooptatum, finitimiſque Urbibus Guelforum, Ghibellinorumque odio vaſtatis, quum nec pertubationibus Bononia vacaret, eam ſapientibus Beccatelliorum conſiliis, ab omni pene ſollicitudine abſtractam ab immani ſeditionum metu reſpiraſſe. Quorſum tamen iſta quærimus, quæ a vulgari imperitorum ſcientia remota, ingenium venditare, ac memoriam oſtentare cenſeantur? Conſulto prætereunda antiqua Nobiliſſimi Generis Monumenta, nec diuturna prælia commemoranda quibus a Beccatelliis Regiis Militibus lectis ab Eduardo Anglorum Rege, quum Bononiæ diverſaretur, cum acerrimis nationibus Saracenorum impigre dimicatum eſt, ac de iis ſilentium eſſe debet, quibus in omni actione, ac Reipublicæ Bononienſis adminiſtratione Beccatellii præcipue floruerunt: Bononiam in eorum ditione quandoque poſitam; inteſtinaſque diſcordias illorum ope compoſitas prædicare non juverit; munitiſsimum Oppidum ipſorum auſpiciis excitatum, ac in defendenda Patriæ libertate cura, atque induſtria collata non erit recenſenda; Singula hæc tametſi Virtutem altiſsimis defixam radicibus, nullaque vi labefactandam præſeferant, altius tamen, quam par eſt, initium rei peti demonſtrant, quum ea præſertim ſcribendi copia ſuppetat, quam cogitatione tantum, & mente complecti poſſe opinemur. Quo in honore Panormi habitus fuerit Joannes Beccatellius, quum Bononienſium diſſidiis in exilium actus in Siciliam advectus eſt, facile cognoſcendum, quod Siculis Proceribus in diſſenſione conſtitutis, conciliandæ inter eoſdem Paci, univerſi Ordinis ſuffragiis Nicolaus filius natu major ad Martinum Regem legatus ſit, Germanus autem frater Henricus ab eodemmet Martino Miles Regius lectus, ac militari cintus ornatu, Urbana Prætura ſibi demandata plaudentibus Civibus, Senatuque exultante ſit functus: Verum quid hæc? Oleum, & operam perdere non immerito judicabimur, ſi Beccatelliorum probatiſſimum Genus, tum Pretoribus compluribus, cum innumeris propemodum Rerum capitalium Quæſitoribus inſigne, ac commendandum, Verbis deſignare, & quibuſdam veluti partibus deſcriptum, diſtributumque luculenter noſtro illuſtrari ſermone cogitemus. Monumenta geſtarum rerum, ac vetuſtatis exempla accurate pervolutanti, in omnes plane Gentes pervulgatam Simonis cognomento Tertii famam conſpicere dabitur; Eo, Juris, quod vocant,

cant,

cant, Pontificii non indocti Interprete, Siculos uſos fuiſſe ſentiet, ut perhonorifica legatione ad Alphonſum Aragoneſium Regem ſuſcepta ſacras Regni conſuetudines firmandas curaret: Panormitanus inde creatus Antiſtes, quin ſolerti cuſtodia ſupremum Sacerdotii munus geſſerit nemo dubitaverit, qui ejus Urbis Hiſtoriam, vel mediocriter calleat; nec cæteris præſtitiſſe ullus ignorat Bernardinum Beccatellium, Melitenſi primum, Meſſanenſi deinde Inſula exornatum, cujus probitatem, ſapientiam, animique magnitudinem omnes mirati ſunt per id præſertim tempus, quo Siculorum Regno præfuit: Simonem hoc nomine Septimum, Bartholomæum, Jacobum ab optimis Majoribus urbani mores non longe diverſos teſtantur fuiſſe ſejunctoſque; qui ſummum gradum, & dignitatis, & gratiæ Panormi tenuerunt, Secundum, ac Tertium Prætores, Regio Ærario, Regibus Clementiſſimis demandandantibus, Præfecti, clariſque dignitatibus ornati. Quæ quum ad Beccatelliorum decus, laudemque magni intereſſe videantur, cum exteris ſunt fortaſſe communia; id illis præter alios præcipuum fuit, quod in Imperio, atque in publica dignitate ad gloriam, ſplendoremque eſt revocandum, Aragonenſium nempe Regum Stemmate, ſive Inſignibus, ipſis ſingulariter fuiſſe gloriandum. Ad quam exiſtimandam rem, momentoque ſuo ponderandam, id decoris accedit, quod munificentiſſimorum Regum quaſi aliquam ſimilitudinem Beccatellii arripuerint; quum pro maximis, & penè immortalibus in Patriam, ac Regem meritis, Joanni tantum Beccatellio honor ſit habitus, qui Capitalium rerum Quæſitor, Sextum Prætor, Regio Ærario Præfectus jampridem fuerat conſtitutus, Regiique Militis dignitatem adeptus. In quod præſtantiſſimum decus, dum mente tota, omnique animi impetu incumbimus, nos pleraque non fugiunt, Beccatelliorum famæ commendandæ idonea. Percrebuit illa quidem, atque omnium ſermone celebrata eſt in dies, cum Antonius Secundus illatum Neapolim probatiſſimum Genus, ſic illuſtravit, exornavitque, ut probi viri non queant nunc temporis non tantum illud ſumma obſervantia colere, ac diligere, ſed etiam vereri. Verum non tuæ opinione Nobilitatis, nec ſpendidiſſimis titulis commovemur: Singulos equidem veneramur celeberrimos Atavos, Jacobum, Petrum, Stephanum, Gherardum, Joannem, Gilibertum, Nicolaum Vincentium, Joannem Jacobum, Aloyſium, Hieronymum, Hectorem, Joannem Guillelmum, Antonium Sextum Hieroſolymitanum Militem nobiliſſimum, Cuſtodem Gubernatoremque Urbis, quam veterem appellare conſueverunt, ac Militum Tribunum, quo tempore Turcarum Tyrannus claſſe comparata Melitenſes oppugnavit, qui cum imprimis domi ſuæ nobilis, tum bellorum uſu exercitatiſſimus, irruentes hoſtes pro virili parte profligavit, ac ad Pium Quintum Romanum Pontificem Maximum miſſus Orator, in ſuſcepto negotio diligentiſſimus honeſtis præmiis jure eſt affectus, Coriolanum, Balthaſſarem, Franciſcum, alterumque Aloyſium, cæteroſque præclaros Majores, vel urbanæ Præturæ, vel Provinciæ adminiſtratione conſpicuos, licet perofficioſe, ac vehementer obſervemus, illis tamen haud impellimur, ut Opus acri diligentia elaboratum tibi

in-

inſcribamus; tuis præcipue ſuaviſſimis moribus adducimur, eaque conſtanti voluntate pertrahimur, qua in bonas Artes ſaniore judicio converteris; Ac utinam ab iis laudibus non abhorreres, quas tuæ potiſſimum Virtuti deberi cognoſcimus, ad illa enim connumeranda ultro ferremur, quæ ingenti nobis præſidio, jucundoque ſolatio eſſe queant. Integerrimam vitæ conſuetudinem, eximiam ingenii Solertiam, in bonarum rerum delectu utilem, veramque ſapientiam, ac demum ſingula, quibus non tam ampliſſimum Genus ornas, quam Civium incolumitati, & commodo proficis, literis æquo, volentique animo committeremus. Tanti autem Viri ornamenta, Gentiſque Beccatelliæ dignitatem obſoleſcere non eſt paſſus CAROLUS BORBONIUS utriuſque Siciliæ Rex Invictiſſimus, accurata enim, qua preſtat, Prudentia, inter primos Sieuli Regni Optimates, cum Panormi Rex feliciſſime ſalutaretnr, Te Aurea Clavi donatum voluit, quod fortaſſe Antonii Panormitæ Genus meminiſſet, quo ab Epiſtolis, ſupremoque in rebus gerendis Conſiliario, & Adminiſtro memoriæ mandatum eſt, uſum pridem Alphonſum Aragonenſem, nemini Regum ſecundum, qui non tam ad Regnum, quam ad literatorum hominum præſidium, optimum Regis ſapientiſſimi morem, natum haud immerito remur. Vides inde, neutiquam digreſſos extra propoſitum, eo argumento Gruterianum hoc Opus tuæ nos Auctoritati præſertim, tuoque Nomini commendare, ut Antonii Panormitæ libri ejus Auſpiciis in Scenam prodeant, qui eruditiſſimo Viro cognitione ſtudiorum, & Artium propemodum non minus eſt conjunctus, quam illa Generis, & Nominis. In ejuſmodi libros, doctorum hominum ſententia, omni lepore, ac venuſtate affluentes oculos conjiciens, omneſque floſculos carpens, atque delibans, fac nos ames, qui illos divulgandos curavimus, noſtraſque diſciplinas, pro tua in nos humanitate, juvare non deſinas. Vale.

Digitized by Google

INDEX CAPITUM TOMI SECUNDI.

ACIDALII
In Plauti Pſeudolum divinationes, & interpretationes.

CAp. I. Pſeudoli initio verſus concinnari: Lacuna oſtenſa. Terentii imitatio. Verſus idem Bacchidibus. Horridulæ papillæ: Macrobii inde locus rejectus. Neparcus. Flere drachmis, plorare lacrumis. Perſonæ ejectæ. Pubi. Intus egredi. Loca plurima correcta, & interpretata. 1.

Cap. II. Habere editionem, expurgationem, conventionem: facere aſcenſionem, revorſionem ἐκ σὺν τινὶ μομφῇ. Præſterga, quid vocis? ea emendata. Hedylium amicæ nomen, non ſedulium. Malo, a vel de malo rem quærere. Devinxe, & ſimilia. Quorundam correctiones approbatæ, quædam rejectæ: multæ noſtræ variorum locorum firmatæ, locis ipſis diligenter expenſis, & explicatis. Inſuper cornicularia noſtri leviter emaculata. 4.

Cap. III. Animo aliquid auſcultare. Licetne vivere? Lucro pietate non obſiſti poteſt. Porcere. Ne placet. Amatores, dum dant, lenonibus, & amicis vivunt: mortui ſunt, cum iiſdem non placent. Explicationes aliorum, & conjecturæ adjutæ quædam, quædam abjectæ. Locus mutilus depoſitus. Perſonæ ſæpius mutatæ. Plura loca emendata, declarata. 6.

Cap. IV. Parum fides, plurimum malefacta, ſatis inſomnia, aſſatim. Et parum miſeria, abunde libertas, ſatis præſidia: & ſimiles locutiones. Criminaret. Compecti. Chlamys viatoris. Mutatæ diſtinctiones, perſonæ, verba multa. Concinnati non pauci verſus. Aliorum correctiones, interpretationes improbatæ. Noviter emendata quamplurima, ſimul explicata. 9.

Cap. V. Aliquid, & alicui prævurti. Conſilium benè accidit. Eugepæ. Præter alias emendationes varias, perſonæ variantes multoties conſtitutæ. Loca quædam poſt alios aliter tentata. Pleraque interpretata. 11.

Cap. VI. Miniſteriis, negotiis præfulciri. Si eras coquus, ſi homo eſſes. Drachmâ, nummo, aſſe, gratuito eſſe. Numerus ſingularis pro plurali, & contra. Cum aliquo cavere, captare, orare, obſecrare. Proverſus, prorſus, & cognatæ voces. De trajectione loci unius, plurium alia correctione, dubiâ quorundam ſententiâ, & joci explicatione varie diſceptatum. Verſus unius in Varrone diverſa ſcriptura monſtrata. 19.

Cap. VII. Scenæ aliquot percurſæ; correctionibus, explicationibus illuſtratæ. Binæ præterea trajectiones in una, ſed dubiæ, propoſitæ. 16.

Cap. VIII. Niſi quid. Bilinguium. Bilingui inter ſe prehendere. Parcipromus. Commemorare. Joci aliquot explicati: perſonæ plures paſſim inverſæ: continui tres verſus ejecti: verba quædam trajecta. Multa alia aliter emendata, ſubinde interpretata. 18.

In Plauti Poenulum.

CAp. I. Poenuli Periochâ, & Prologo variè correcta quædam. Verſus alii aucti, in numeros alii digeſti, alii trajecti. Nunnulla, & explicata. 21.

Digitized by Google

Cap. II. Domi doctus. Macerate. Mala malitia. Verùm, vero, pro imò, multis exemplis. Scenæ primores duæ totæ emaculatæ. In iis plures verſus vel longiores, vel turbatiores concinnati; unus dubiæ ſedis, tamen in ſua nunc relictus, & conſtitutus; duo ſpurii locis diverſis ejecti: diſtinctiones, & perſonæ ſæpius mutatæ; una etiam nova pediſſequæ inſerta: locus, in quo quidam nugati, parentheſi explicatus: alia poſt alios aliter correcta: quædam & interpretata. 24.

Cap. III. Periurum, & inceſtus pro ſimplici mendacio, & ſtupro. Convivia in ædibus ſacris. Loci inſignis unius, a multis tentati jam olim, ſententia genuina declarata, falſis aliorum, & veris rejectis: plures noviter, & quidam contra alios, emendati, explicati. Voces aliquot mutatæ, nonnullæ trajectæ. 28.

Cap. IV. Locus Poenuli varie jactatus emendatione, & explicatione certa conſtitutus: cum eodem comparati ſimiles alii multi, in quibus duplices ſententiæ, & tectæ imprecationes: earumque formulæ hinc inde e pleriſque Comœdiis auctoris, Captivis, Caſina, Epidico, Milite, Pſeudolo, Aulularia, Maenechmis, Perſa, Mercatore, Rudente, Amphitruone collectæ omnes, & hic ſimul illuſtratæ, ad finem de Amphitruonis ambiguo loco contra quendam diſputatum: is ipſe poſtremo aliter correctus, & explicatus. 30.

Cap. V. Comicl, & tragici condocti, & meditati. Aetate. Vacillantes diſtinctiones aliquoties firmatæ: perſonæ ſuppoſititiæ ſæpiſſime mutatæ. Verſus qui bis poſitus poſteriore loco deletus. Occultior loci eximii ſenſus patefactus, alioque ſimili illuſtratus. Interpretis nunc Supinæ, nunc ridiculæ explicationes exploſæ. Numeri verſuum tranſpoſitis, & diſpoſitis verbis pluties concinnati. Iterum alterius verſus e proxima ſcena in priorem translati repetitio abſurda confutata, atque ipſe hinc extruſus. 33.

Cap. VI. Meditari, pro loqui. Corium, aut tergum ſufferre. Tectius tacitius. Surptus. Perdeam verbum non acceptum, aliud ſubſtitutum. Jocus Plautinus per unius voculæ tranſpoſitionem effectus, & declaratus. Verſus trajectus. Verba in numeros digeſta. Multa ex antiquis aliter lecta: quædam indidem aucta. Perſonæ, quæ vel omiſſæ, reſtitutæ, vel quæ turbatæ aliter diſpoſitæ. Interpunctiones mutatæ. Quæ emendata paſſim, ſimul explicata. Denique locus integer vitiatus in perſonis, & interpunctis, verborumque ordine, reſcriptus. 35.

Cap. VII. Impetrare, pro patrare, non probatum. Ficulæ, fabulæ, nuculæ. Surpius. Nevis. In Poenulo emendanda, explicandaque proceditur. Verſus in pedes ſuos reponuntur. Jocus tectior in ſervos ſarcinatos, quos ideo veteres, & antiquos Plautus appellet, detegitur. Voces pluſculæ verſibus aliquot ex antiquis libris adduntur: novitiis una detrahitur. Verſus unius dubia traductio monſtratur. Soloecimus, ſi forte, notatur. Alia contra alios corriguntur, explicantur. 38.

Cap. VIII. Clarus Clamor ſine modo. Inter vias, dies, annos &c. Mutatæ diſtinctiones, & verba: hæc etiam aliter alicubi digeſta. Turbæ perſonarum mirificæ locis pluribus compoſitæ. Locus unus perturbatiſſimus in ordinem ex vero ſenſu reductus: tum aliquot continui verſus e ſcena media rejecti in ejus finem. 40.

Cap. IX. Quæ res? Tenere, tenax, Venerea: item dirumpere. In memoriam habere. Allex. Allium Ulpicum. Multa adhuc in Poenulo varie emendata. Mutata verba, verſus concinnati. Foedæ perſonarum confuſiones iterum quamplurimæ ſublatæ. Quædam ut correcta, ſic, & explicata adverſus alios. 92.

In Plauti Perſam.

CAp. I. Quadruplari. Albo ariete oppugnare. Perſæ principium a maculis pluribus expurgatum. Diſtinctiones, perſonæ, verba mutata: locus totus intricatiſſimus ope lib: vet. extricatus, & interpretatione cla-

ciata enarratus. Album tete de oppugnatione remotum: albus aries ſubſtitutus. Locutio ipſa hæc eleganter explicata: altera cum explicationibus aliorum refutata, & damnata, 46.

Cap. II. Surpta. Interibi. Herilis fides, pro ſervo, qui hero fidelis. Plinii ad Plautum aſpectus notatus, & in utroque addubitatum. Alterius error, alterius defectus emendatione levi fortaſſean ſublatus. Alia plura diverſi generis menda correcta. 98.

Cap. III. Largiri bobus, dictis. Abi dum, rejicere. Perennitare, ſuperſtitare. Quæ hæc res ſunt? Cujuſmodi. Plautina aliquot loca contenduntur. Traducitur ambiguè verſus. Scenæ aliquot corriguntur, numeris, perſonis, diſtinctionibus mutatis. 50.

Cap. IV. Logi dotis, nummi præſidii, dies ſpatii, & talia quâ formâ dicantur. Traloqui, tralegere, & ſimilia. Mirum quin. Schema pro quovis habitu, non tantum penula ſervili. Dos filiarum Homeri, & Paraſiti. Dubia verſus unius trajectio. alterius admodum controverſi conſtitutio. Locorum plurium variæ, & miſcellæ collationes, emendationes, explicationes in aliquot ſcenas ordine percuſas. 52.

Cap. V. Ais, & agis ſibi ſæpe ſuppoſita. Prægnaviter. Copiſſimus. Cadere, Labi, in obſcenum ſenſum poſt alios adſtructa. Locus intricatiſſimus, in quo aut ſuperfluit, aut deſit verſus unus, explicatus. Numeri ſæpicule concinnari. Correcta multa in verbis, & perſonis, qua male diſpoſitis, qua omiſſis. Tibulli carmen emendatum, & totum enarratum. 55.

Cap VI. Qui triginta minæ ſolenne pretium muliercularum. Prorſum. Re, præpoſitio producta. Verò. Fruſtum verſus alteri agglutinatum. Ordinata ſæpe verba. Perſonæ digeſtæ alibi, alibi exemtæ. Lambiniana verſus inſertio probata, argutatio Gulielmiana improbata. Duplex loci diſtinctio, de elegantia inter ſe certans. Alia ad lucem & ſinceritatem Plautini textus dicta. 57.

Cap. VIII. Aquula in initio convivio-rum. Me, particula antique abundat. Bene nobis omnibus, formula in Plauto hactenus fallens, luce diſtinctionis jam protracta. Ejicere vehiculum. Manum adire. Hem verberantis. Staticulum dare. Promiſce. κολακεύειν. Nummi ſciunt. Multæ in reliquas ſcenas emendationes, inibi verba, interpunctia, perſonæ, varie omnia trajecta, abjecta, mutata: Verſus ipſi concinnati: horum unus traductus. Lambini abſurdae gloſſæ ſæptus exploſæ. Loca nonnulla declarata. 59.

In Plauti Rudentem.

CAp. I. Rudens inchoata. Ibi Arcturi ortus & occaſus novo ſenſu. Quæſtus meretricibus. Βωμολόχοι. Variis modis oratio ſæpe complanata. Contra Lambinum locus unus atque alter correctus, explicatus: quidam traductione ordinatus: alii cum aliis collati. Plutarchus etiam emendatus. 64.

Cap. II. Loca Rudentis aliquot collata: quædam emendata, verſus concinnati, dimenſio indicata. Lambini interpretatio rejecta. Imprecatio occultior in ambiguitate verbi eruta, & illuſtrata. 65.

Cap. III. Deripere. Venite, evenire. Moenia hunc. Aridum argentum pro uvidis mulierculis. Eſcit. Quine. Medicina plurium porro verſuum. Loci unius ἀλογία confutata, & ad rectam rationem emendatione reducta. 67.

Cap. IV. Amplecti crura fuſtibus. Ampectere. Totum cum pulviſculo. Proficiſci: Profectus ire. Pariter qualis. Nequi. Inventuſt, menituſt, communeſt, qualia. Exurgeri. Exſugebo. Mutata interpuncta, verba, numeri ad concinnitatem. Carrionis argutia rejecta. Locus rationi adverſus ad ſanitatem correctus. Multæ, nec exiles omnes, emendationes, explicationibus paſſim annexis. 69.

Cap. V. Primarius vir: rem faceſſens. Abs te, contra te. Ab re. Cibit. Solutuſt. Hoc habet. Propere, placidè. Promiſcàm, promiſcus. Locus unus intricatior, expeditus: alii multi variè correcti. Lambini interpretationes, & cenſuræ quædam ventilatæ.

Verba

Verba trajecta: verſus compoſiti. Perſonæ ſæpius errantes ſub legitima ſua ſigna revocatæ, & in ordinem rurſum diſtributæ. 72.

Caput VI. Tamen. Inſelicito. Licet. Præda prædatum irier. Or ultima verborum syllaba Plauto interdum longa. Numeri verſuum, & interpuncta aliquoties aptata. Lambini quædam ineptæ explicationes damnatæ: aliæ cum emendationibus ſubſtitutæ. 74.

Cap. VII. Cenſionem facere. Os calens frigefactare. Gir. Quid iſtuc? Ni, nive. Promiſti. Mirum quin. In correctione, & ſenſu loci vitiati. Lipſio ſubſcriptum. Verſus quidam expleti. Contra Lambinum & alios multa emendata, & explicata. Poenuli locus ad exemplum Rudentis reſtitutus. Juramentum malæ fidei & defectus argutum. Ejus formula de novo concepta, & præſtita ex conſilio magni amici. 76.

In Plauti Stichum.

CAp. I. Salvene amabo? Salvè agere: & de ejus formulæ ſcriptura. Exaugeri. Animum augere. Augeri, creſcere, foveri, explicari, nova ſignificatione Implere apud IC. Mureti verſificatio in prima Stichi ſcena non cum aliis approbata. Ibidem unus alterque locus excuſſus, & recens emendatus. Firmata vetus Palmerii in Terentium alibi, & hic in Plautum correctio: nova a nobis Panegyrico Nazarii imputata. 79.

Cap. II. Voluntate. Igitur deinde. Poſtidea igitur deinde. Illico, quot modis accipitur. Penſior conditio. Aliæ quædam verborum notæ. Multa vero loca, & quædam contra Lambinum, emendata, explanata: interpunctis, verbis, numeris. Præter hoc perſonis ſæpius ſui verſus redditi, & ipſi aliter conſtituti. Plauti etiam inconſtantia notata. Et Nonius caſtigatus & expletus. 81.

Cap. III. Inter. Ex vero facili. Ex pictura. Paupertas ridicularia. Supellex paraſitica. Locus ab additamentis inquinatiſſimus, expurgatus. Mox verſus unus tranſpoſitus: plures in numeros repoſiti. Juvenalis cum Plauto compoſitus. Mutatæ diſtinctiones. Alius integer locus de paraſiticæ auctionis præconio diligenter examinatus, mirificè trajectus, aliquot verſibus correctus, perſpicuè explicatus. Aliorum quædam approbata, quædam refutata. 84.

Cap. IV. Confundere, an contundere alicujus facta. Contemnere pro contemni facere: & ad eum modum pluſcula, intermittere, Reſultare, decipere, deſidere, cohaerere, decidere, recidere, ex noſtro & aliis. Inter, intercidere, interbibere, intertrahere, interſtringere, cum ſimilibus, ex noſtro. Contumelia, unde. Concinnitim concrepere. Spatium breve curriculo. In Plauto trajectio verborum, atque alia plura in verſibus, & verbis correcta. Contra alios quædam dicta, & explicata. Appulejus, Petronius, Manilius, Naevius emendati, aut illuſtrati. 87.

Cap. V. Multo tanto vanius, impenſius. Nimio tanto plus. Nimio multo tanto plus. Nimio minus multo parum. Perbibere, & percipere. Vita, & Genius paraſitorum, rex eorum. Ridiculiſſimus. Ilicet. Perſonarum crebri ac turpes errores pluribus, & inſignibus quibuſdam locis caſtigati. Alia præterid multa correcta: & in lis verſus traductio perſpicua. Sæpius alii reſutati. Pluſcula interpretata, & illuſtrata ex aliis etiam fabulis, Curcul. Menæch. Captiv. Epid. Appulejus denique gloſſemate liberatus: & ſcena contra alium, non ejectione ſed trajectione emendatus. 90.

Cap. VI. Plautus ſibi collatus. Rejectæ aliquot aliorum conjecturæ & explicationes, melioribus ſubſtitutis. Præterea multa variè emendata. Augurium & auſpicium muſtela fecit. Quæne? Obnoxius, obnoxioſus, & quæ alia inde omnia, quid ſint. quomodo uſurpentur. Diſputatum de iis ad Gellii caput, quod totum illuſtratur, & in parte emendatur. De iiſdem ibidem exemplum Ennii correctum: reliquorum auctorum pleraque explicata: maxime alia Plauti plura, & unum eximium in Trinummi

mi loco difficili alias & intricato, qui ſimul explanatur. 93.

Cap. VII. Apologum agere. Cibum contruncare, an contrucidare. Hercle quin. Habere rem factam, pactam. Ducere ſe eſſe pro adoleſcente, pro libero: facere ſe eſſe venuſtum, & ſimilia, in Plauto & Catullo. Perdere, & dare interdum æquiparata. Ita ut occæpi dicere. Suſtentare ſedulo, ſtas, pro ſtans. Obſtrudere. Contra Lambinum & alios correcta multa & explicata. Loci aliquot integri numeris & diſtinctionibus conſtituti. Scenæ cuidam principium deeſſe oſtenditur. Perſonæ multoties permutatur Tragœd. Hercul. Oet. emendatur. Alia ſparſim, ut res tulit, addita. 96.

Cap. VIII. Nimiò liquido. Facetia. Satis eſſe alicui. Polluctum, polluctura. Verſus aliquot in numeris, plurimi interpunctis correcti. Verba quædam tranſpoſita, quædam inſerta. Somnia multorum diſcuſſa. Contra Lambinum & alios plura emendata, interpretata. Perſonæ loci totius ordinatæ. Verſus unus trajectus, alter ejectus, ſpectatores a Grege hiſtrionio ſub finem fabulæ hujus ad cœnam ipſorum feſtive remiſſi: alibi ad ſuam ultrò ridiculè vocati. Quæ reliqua in Stichum erant, diligenter emaculata, & ſi fas ita dicere, extenebrata. 100.

In Plauti Trinumum.

CAp. I. Notum malum, optimum. Ut benè vivitur, diu vivitur. Ut diu vivitur, bene vivitur. Diſputatum accuratius de loci prolixioris initio Trinumi lectione, ſed magis diſtinctione in perſonas: quæ aliter ex ordine rei in ordinem digeſtæ. In verbis tamen etiam quædam immutata. 109.

Cap. II. Aegrotant artes, mores, fama. Quoniam. Adverſum quod: præter quod. Quidquid, pro quidque. Similia Plauti loca. Ejuſdem oſcitatio notata in contrariis eidem perſonæ tribuendis. Perſonarum aberratio non ſemel & hic in viam reducta. Non pauci verſus fracti farciuntur, conſtituuntur: plurimi paſſim rectius interpunguntur ad verum ſenſum. Sententiæ contra Lambinum aliquoties, & ſæpè ultrò declaratæ. Multa loca contra alios, plura noviter emendata, traductio inibi verſus unius uſurpata. 106.

Cap. III. Ars & pars. Pendentem ferire. Pendens habena. Pendere inverbera. Munire, munerari. Nox ducitur. Abhibere, procul habere, expetere. Per pietatem obteſtatio. Confident. Utrum itane, tmeſis. Homo familiariter prædicatus. Nejuvare. Plauti quædam gemina. Interpunctiones ſæpius redditæ. Palmeriana loci unius, atque alterius emendatio firmata, ſed & amplius adjuta. Contra alios nonnulla correcta, explicata. Pleraque alia recens obſervata. 100.

Cap. IV. Nemulta. Poſt Muretum locus Trinumi valde eximius aliâ adhuc trajectione verſus alterius nunc demum integratus & totus conſtitutus: ejuſdem ſententia inſignior hactenus. Interpretes fallens, de ſapientiæ condimento, & ætatis cibo, perſpicuè enarrata. 113.

Cap. V. Quaſi, pro quamſi. Quaſi ſi. Quaſi ut. Tamquam ſi. Ibidem unà trahere. Eodem & juxta ponere. Opino. Exigi rem aliquam. Convenit me, ut decet me. Trinumo verſus aliquot expleti, diſtincti: verba etiam nonnulla mutata. Simul aliæ leves emendationes, in Mercatorem, & Militem noſtri, tum & in Martialem, ſingulæ. 115.

Caput VI. Celeri, grandi, vegrandi gradu eſſe. Exignavero verbum nihili interpolatum. Facileſt, pro facilis eſt. Gravis & levia. Acer ad ſummos ballatores, Grammaticus ad Scaurum, Rhetor ad Probum, & ſimilia. Mutatæ ſæpius perſonæ in illuſtribus alicubi locis, de quorum ſententia & diſputatum. Verba itedum tranſpoſita: diſtinctiones item concinnatæ. Fragmentum corruptum integrum in ipſa Comœdia monſtratum. Collatus Plautus ſibi, & Auſonio: qui eadem operâ emendatur. 117.

Cap. VII. Jurator, pro Cenſore. Multa in verbis mutata, neque pauca in explicationibus aliorum, quæ rejectæ. Perſonæ aliter alicubi diſtribu-

tæ. De locorum aliquot inſignium emendatione, tum illuſtratione, ſedulò agitatum & decretum. 120.

Cap. VIII. Poſtquam poſt. Memoriâ oblitus. Probare, pro æſtimare. Tutelam tergo aut foribus gerere. Abre dignus cum gignendi caſu. Jus orare. Subitum eſt. Rectè. Reſponſio ad interrogationem de ſalute. Uxores juventuti incontinentiori in pœnam aut caſtigationem datae. Verſus plures variè corriguntur, numeris interpunctis, verbis ipſis ſæpius interpolatis: ab uno mutilo Lambini additamentum rejectum. Difficilis locus facili emendatione reſtitutus. Perſonæ ordinatius digeſtæ. Contra alios quædam, plura noviter ultrò dicta. Leviter, & Auſonius interpolatus. 124.

In Plauti Truculentum.

CAp. I. Parſimonia, res comparſæ: Frugalitas, item. Potior, in amoribus. Alteri. Damnoſus. Accepti, non expenſi ratio apud meretrices: inibi locus inſignis correctus. Senium ac odium. Verſus nuperis editionibus reſtitutus. Interpuncta mutata, verba ejecta. Alia diverſimodè emendata, explicata. Curculio, & Epidicus illuſtratæ. 128.

Cap. II. In voce Publicani latens obſcenitas. Alter pro alius. Longè alter. Obſecro, an & affirmantis. Recipiſſis. Proficiſci. Urbicum pecus. Quia tibin? Suaſum. Ar. ad Sanus ſi videare; Herus ſi domi ſit; dicam; Plautinæ locutionum formulæ contra alios defenſæ. Ne, pro nonne. Vivere pro eſſe. Mutatæ diſtinctiones: verba ablata alia, alia addita, quædam trajecta. Verſus concinnati. Diverſæ præterea correctiones. Militis locus retractatus. Corruptiſſimus hac fabulâ verſus poſt alios variè tentatus. 131.

Cap. III. Varronis ad hanc fabulam obſcurus & corruptus locus, emendatus, explicatus. Illud, hoc vide. Bene ambulare. Dan? Geſti. Præter alias correctiunculas varias, locus in ſe pugnans permutatione perſonarum extricatus. 139.

Cap. IV. Malè, pro aſtutè. Argutus. Munerigeruli. Frictio genuum in humili & blanda ſupplicatione. Quid eſt negotii? Manceris, pro manſeris. Comparatus aliquoties ſibi Plautus. Diſtinctiones mutatæ. Verſus unus trajectus: plures aliter conſtituti. Perſonae redditae. Corruptiſſimus locus emaculatus. Aliorum commenta quaedam rejecta. Petronius a mala correctione defenſus. 137.

Cap. V. Poſt illuc veni quam. Exponere ictu, cubito. Meruvere. Interbitere & interbitare. Diſtinctiones concinnatæ. Lambini aliorumque hallucinationes remotae. Verſus tranſpoſitus; De Cyamo ſervo quæſitum. Plures aliæ correctiones. 140.

Cap. VI. Secundare. Præſidere. Ne oblitus, oblitusne. Manum injicere aliquem. Hilum penſi. Calces ciere. Pectus aculeo aut ſtimulo punctum. In perſona erratum. In verſibus quibuſdam ordinandis diverſi concurrerunt: unus a nobis in locum multo ſuperiorem retractus: multi alii adverſus alios emendati & explicati. 142.

Cap. VII. Audere, pro velle, item poſſe novè. Paries, homo intermedius alios diſtinens. Vino carere, ſcarere. Manſtutor rejectus. Confexim. Nugæ interpretis ſpretæ. Loca plura præter quam quod correcta poſt alios, etiam expoſita. Verſus quidam traductus. Numeri refecti. Perſonæ variatæ. Alia notata. 144.

Cap. VIII. Potene eſt. Magno. Pecua in crumena. Muretus, Turnebus, Lambinus refutati. De lectione, & explicatione plurium locorum contra hos ipſos diſputatum. Perſonæ exactæ. Verſus aliquot exemti, alioque ordine alibi collocati. Finis Comœdiæ totus traductione verſuum interpolatus, & enarratione illuſtratus. Inſignes quaedam in extremo emendationes. 146.

Cap. IX. EXTRAORDINARIUM. Quæ ſuis paſſim locis in Plauto nos fugerant, item de quibus aliter poſtea ſtatuimus, hic velut per Saturam pleraque eorum aut potiſſima retractata. De fundis & cenſibus in muliebrem mundum abſumtis loca elegantia diverſorum ad Epidicum inſigni acceſſione aucta.

Digitized by Google

aucta. Supremam dicere in Aſinaria, poſt omnes, contra pleroſque enarratum. De multis in Aulularia locus Tertulliani, item Martialis, ſtabilitus. Emiſſitius, demiſſitius, perpeſſitius. Tertulliani ad Plautum adſpectus. Seneca correctione tentatus. Offrenatus dolis, Illacebris, offa. Rugare. Detegere, detergere in Plauto & Appulejo an permutanda? Turpilii verſus cuncinnati. Occupare, Locare ſuis contrariis permutata. Species, pro ſpecimine. Lucillius correctus. Medicari morbum. Prævelle. In ſimplicitus oſcitantia Nonii detecta. Habere coctum cibum, coquere. Epeus fumicus, pro coquo. De eo Varronis locus: & ibi fragmentum novum Plauti; repertum. Genere, contumeliis cadere. Revorſionem facere. Neu, pro nive. Plauti Querulus & Aulularia, item Rudens & Vidularia argumenti ſimilia aut ejuſdem Comœdiæ. Fragmenta alia duo rariora, emendata & explicata. His omnibus alia quoque nonnulla inſperſa. 149.

AVCTARIUM

PII ANTONII BARTOLINI.

IN quo corriguntur LXX. Loci in jure civili, & ſeptem legum novae & verae ſententiae aperiuntur.

Cap. I. Ciſtophori non Coſtrophinati eſſe legendum. Et quid ſint. 157.

Cap. II. Thymelici non Temelici. Et quid ſint? 158.

Cap. III. Xyſtici non ſexuſtici eſſe legendum. Et quid ſint? ibid.

Cap. IV. Oenomelle non Cenomelli eſſe legendum. 159.

Cap. V. Pollinctorem non pollicitatorem legendum, & quid ſit. Ibid.

Cap. VI. Xenia non enxenia legendum. & quid ſint. Ibid.

Cap. VII. Veterinarii non Veteranarii legendum. Et quid ſint 160.

Cap. VIII. Automata non Entonima legendum. ibid.

Cap. IX. Fornacarius non fornicarius legendum. Ibid.

Cap. X. Vervecem non herbicem eſſe legendum. 161.

Cap. XI. Pyrrhicarii non Purrhicarii legendum. ibid.

Cap. XII. Pityocampas non Pityocarpas legendum. 162.

Cap. XIII. Bupreſtin non Bobuſtrum legendum. Ibid.

Cap. XIV. Pila non Pyra legendum eſſe. ibid.

Cap. XV. Calantica non Lautica legendum. ibid.

Cap. XVI. Porcas non portas legendum. ibid.

Cap. XVII. Comminiſceretur non commiſceretur legendum. 163.

Cap. XVIII. Smyrna non Sunurna legendum. ibid.

Cap. XIX. Pentaphylon non Pentaphorus ſcribendum. Ibid.

Cap. XX. Malobatrum non malobaſtrum legendum. ibid.

Cap. XXI. Coſtamomum non caſtramomum legendum. 164.

Cap. XXII. Callamus non aliter legendum. ibid.

Cap. XXIII. Cylindrus an ſit legendum an aliter? Ibid.

Cap. XXIV. Ceraunium non ceranium legendum. ibid.

Cap. XXV. Amphitapa non Anſitaria legendum eſſe. ibid.

Cap. XXVI. Sicilicum non Siliquam legendum. 165.

Cap. XXVII. Emporia non Elemphoria legendum. ibid.

Cap. XXVIII. Lana ſuccida, non lana ſuccus ſcribendum. ibid.

Cap. XXIX. Baphia non Baptha legendum, & alia. ibid.

Cap. XXX. Baphiorum non Pamphiorum legendum. 166.

Cap. XXXI. Nam, legendum, non, aut non? ibid.

Cap. XXXII. Schemate non ſtemmate legendum. ibid.

Cap. XXXIII. An legendum ſi heres interfuerit, an ſi heredis interfuerit. Ibid.

Cap. XXXIV. Latus clavus pro latis clavis eſt legendum. ibid.

Cap. XXXV. Pannarios non Parſiarios legendum. 167.

Cap. XXXVI. Cucuma ſcribendum & non aliter. ibid.

Cap. XXXVII. Cucumis non cucurnis legendum. Et quid ſint cucumæ. Ibid.

Cap.

Cap. XXXVIII. Terreas non teneras legendum. ibid.
Cap. XXXIX. Decaproti non Aptothi legendum. Et quid ſint. 168.
Cap. XL. Logarium non aliter legendum. ibid.
Cap. XLI. Aut Echini non Antechini legendum. Et quid ſit pecten Echini. ibid.
Cap. XLII. Gazophylacium non carzophylacium legi debere. 169.
Cap. XLIII. Alogiltas non analogiſtas legendum eſſe. ibid.
Cap. XLIV. Embamma non Emblema ſcribendum. Et quid ſit Embamma. ibid.
Cap. XLV. Attienſes non attetenſes legendum. Et quid ſint Attienſes? 170.
Cap. XLVI. Emphyteomata non Empomemata legendum. Et quid ſit Emphyteoſis apertum? ibid.
Cap. XLVII. Corriguntur multa verba in Tit. De in diem adjectione. Ibid.
Cap. XLVIII. Pantomimum non Pantonium legendum. 171.
Cap. XLIX. Sitocomas non Sicomas legendum, & quid ſint. ibid.
Cap. L. Syriarchia non Sinatchia legendum. ibid.
Cap. LI. Liminarchia non Litarchia legendum. ibid.
Cap. LII. Epiſtomea non Epitonea legendum, & quid ſit. ibid.
Cap. LIII. Lucuco, & Lucuca non aliter legendum. 172.
Cap. LIV. Male exponitur quo magis, id eſt, quo minus. ibid.
Cap. LV. Deficit negatio in l. t. de verb. oblig. ibid.
Cap. LVI. Brephotrophium non Bephotrophium legendum. 173.
Cap. LVII. Capitatio non captus legendum. ibid.
Cap. LVIII. Qui ſint divi fratres & alia. ibid.
Cap. LIX. Delenda dictio, fratres, in inſtit. titul. de codicillis. ibid.
Cap. LX. Certaminis non certam in his legendum. ibid.
Cap. LXI. Jaothinum non aliter legendum. 174.
Cap. LXII. Epimetaticis non Epidematis legendum. ibid.
Cap. LXIII. Blata & oxyblata ac tectè ſcribatur. ibid.
Cap. LXIV. Olobera veſtimenta an recte dicantur. 175.
Cap. LXV. Pelles Parthicæ non Baumeſtiæ legendum. ibid.
Cap. LXVI. Nauteba qui ſint. ibid.
Cap. LXVII. Legendum Sarcocola non Sargogola. ibid.
Cap. LXVIII. Commilitium non commilitonum legendum. 176.
Cap. LXIX. Corruptus textus in l. 2. de orig. juris. ibid.
Cap. LXX. Album non alium legendum. ibid.
Ejuſdem Pii Antonii Bartolini leges novae. 177.

PHILIPPI BEROALDI
SENENSIS

ANNOTATIONES CENTUM
In varios Auctores.

In Ovidium. 181.
In Horatium. 187.
In Martialem. 193.
In Juvenalem. 196.
In Papinium Statium. 200.
In Catullum. 203.
In Lucanum. 204.
In Feſtum Pompeum. 208.
In Plinium. ibid.
In Livium. 210.
In Aulum Gellium. 215.
Contra Servium. 246.
Ex Bucolicis. 267.
Ex Georgicis. 272.

EJUSDEM
Annotationes, ſeu Emendationes.

In Plinium. 281.

EJUSDEM
Appendix Annotamentorum

Poſt
SVETONII
Enarrationes.

Cap. I. Quid ſignificet illud Hieronymi ab Eccleſiaſticis celeberrime uſurpatum de *Tantali fonte potantem.* 288.
Cap. II. Quid ſit vetus proverbium, *Mutuum muli ſcabunt*, quod in codicibus Auſonii, & Nonii perperam ſcriptum legitur. 290.

Tomi Secundi.

Cap. III. Quid intelligi voluerit Heſiodus, quum ſcripſit: *Dimidium eſſe plus toto.* Pag. 290.

Cap. IV. Enodatus nodus ex Epiſtola M. Ciceronis, ductus ex Proverbio: *Sero ſapiunt Phryges.* 201.

Cap. V. Emaculatum verbum ex verſu Luciliano, inibiq. quædam ſuper *Acipenſere Decumano,* 202,

Cap. VI. Perpenſa diligenter emendataque dictio apud Marcum Tullium, in cujus libris legitur de *Narthecio* pro *Narthecio.* 293.

Cap. VII. Correctus Senecæ locus enarratuſque de *Pſychrolutre.* 294.

Cap. VIII. Mendum occupatæ codices Senecæ, in quibus pro *paræneticа* philoſophia corrupte ſcribitur *parentia*, pro *euthymia*, *eclimia.* 295.

Cap. IX. Explicatum carmen Perſiarum de *acervo Chryſippi*, longe ſecus, quam a commentatoribus, & Grammaticis explicari ſolitum ſit. Ibid.

Cap. X Quid ſit *roboris ſupplicium* in lectionibus veterum ſcriptorum. 296.

Cap. XI. Quam ob cauſſam *Herculanea pars* a Plauto dicta ſit pro *Decuma*, inibique quid ſit *Pollucere* & *Pollucttam.* 197.

Cap. XII. Correctus Ovidii verſus, inibique nonnulla ſuper *Smintheo* Apollinis cognomento digna memoratu. 298.

Cap. XIII. Conſideratum penſitatumque ſolerter proverbium Græcum, in noctibus Gellianis. ὁ πίνῳ φακῆ μύρον. Pag. 299.

Cap. XIV. Quid ſignificet apud eundem Gellium, proverbium alterum Latinum: *Nihil cum fidibus Graculo, nihil cum Amaracino ſui.* Ibid.

Cap. XV. Qui ſit ſenſus Naſonis in eo verſu:

. . . . *Deprenſum Polypus hoſtem*
Continet ex omni dimiſſis parte flagellis.

Ibique de ſignificatu *accept abulorum.* 300.

Cap. XVI. Emaculatus Plutarchi codex in quo pro *Fabius Buteo*, inſcito legitur *Bulco*, ibique de *Buteonibus.* 301.

Cap. XVII. Subeſſe ſenſum occultiorem, quam enarratores agnoverint illo Epigrammatiſtæ verſiculo:

Paſtas grande nates habet Secundus. Ibid.

Cap. XVIII. Verſus Lucretii explicatus *de Lampade curſoria*, & de *Sicyoniis calciamentis.* 302.

Cap. XIX. Lapſum eſſe indiligenter interpretem Plutarchi apophthegmaton ſuper λήμη πυρός, ideſt lippitudine Pitaci. 303.

Cap. XX. Erratum alterum ejuſdem interpretis ſuper immolatione filiorum, quos Saturno ſacrificant Carthaginenſes. Ibid.

Cap. Noviſs. *Inſcite eundem deerraſſe ſuper interpretamento Thericliorum, inibique conſideratus perpenſuſque non indiligenter locus ex Cæſaris commentariis.* 304.

Explicit Index Capitum.

Tomi Secundi.

Digitized by Google

VALENTIS ACIDALII

IN PLAUTI PSEUDOLUM

DIVINATIONES, ET INTERPRETATIONES

AD

CLARISSIMUM VIRUM

ANTONIUM RICCOBONUM

JURISCONSULTUM,
& Oratorem.

CAPUT I.

Pſeudoli initio verſus concinnati: lacuna oſtenſa. Terentii imitatio. Verſus idem Bacchidibus. Horridulæ papillæ: Macrobii inde locus rejectus. Neparcus. Flere drachmis, plorare lacrymis. Perſonæ ejectæ. Pubi. Intus egredi. Loca plurima correcta, & interpretata.

NON ſine cauſſa M. Tullio placuit tantopere Plauti PSEUDOLUS, quanto placuiſſe ſibi poſteris etiam voluit teſtari. Is tamen hodia ſi relegeret eandem, neſcio an probaturus, & dilaudaturus ad eundem modum foret. Ita multis locis ne nobis quidem placere nunc poteſt cenſoribus minus acutis. Nac anim minus huic fabulæ peſtis illa nocuit, quæ ceteras omnes miſerrimè confecit. Ut autem dignior ſit commendatione tanta Ciceronis, operam quoque noſtram non daſiderabit longius, quæ multam ab aliis opem jamdiu ſenſit. Tollemus vitia, quæ poterimus, leviora pleraque: ſed quibus ſublatis adjutam ſe tamen nonnihil fatebitur, & propius ad illam priſtinam dignitatem acceſſiſſe. Prologo:

Aures, oculi, animus ampliter fiunt faturi.

Verſui numeros ſuos reddes, poſtremas voces ſi retrò legas, ac ſcribas:

Aures, oculi, animus faturi fiunt ampliter.

Quod idem pæne faciundum in ſequenti:

In ſcenam qui jejunus venerit, aut ſitiens.

Nam hic verborum legitimus ordo, *qui jeiunu' aut ſitiens venerit.*

Ad finem vana Lambini interpretatio eſt illorum:

Curas malas abjicite jam, ut otioſi hodie,
Expergi meliuſt lumbos atq; exſurgier.
Plautina longa fabula in ſcenam venit.

Ait dicturum fuiſſe Plautum, Exporgite frontem: ſed riſui movendo ſubſtituiſſe, lumbos. Vanè hoc inquam: niſi mea ſuſpicio inanis, abeſſe, & deeſſe hic verſum unum,

tinum, & fortaſſis alterum ante poſtremos duos, qui cum proximè ſuperiore ceteriſque iſtis ipſis ejuſmodi ſententiam continuarint. Abjicite jam malas curas, ut otioſi nobis operam hodie detis. Si qui autem negotioſi ſunt, eos exſurgere, atq; abire melius eſt: nam longa fabula in ſcenam agenda venit. In quam ſuſpicionem me quidem non ſententia ſolùm tam apta ducit, ſed ipſa verborum ſimul, & numerorum hiantium incompoſita ſtructura trahit. *Ut otioſi hodie*, defecta verba ſunt: eadem ad numeros illius, in quo ſunt poſita, verſus nihil faciunt: & alium potius ordiuntur, quam iſtum claudunt: certè melius ordiantur, quam claudant. Scena prima:

CA. Idem animus nunc eſt. PS. fac me certum quid tibi
Sit. juvabo te aut re aut opera out conſilio bono.

Scripſiſſe videtur Plautus, *quid tibi eſt*: de qua locutione ſæpè. Reliquum verſum, *Juvabo te aut re &c.* Terentiinum imitatum pueri omnes videant. Poſtinde:

Lege, vel tabellas redde. PS. imo enim pellegam.
Advortito animum. CA. non adeſt. PS. at tu cita.
CA. Imo ego tacebo, tu hinc eum ex cera cita:
Nam iſtic meus animus nunc eſt, non in pectore.

Sanus hic locus: in quo tamen olim argutabar, & leviter mutabam:

. . . . . CA. non adeſt: at tu cita.
PS. Enim ego citabo? CA. tu. hinc cum ex-cera cita.

quæ lectio certare cum altera poſſit, ſi vel ex dubiis veterum librorum veſtigiis a non prorſus ex ingenio hauſta foret. Vicinum verſum:

CA. Quaſi ſolſtitialis herba paullisper fui:

non capient rectè, qui non in medio diſtinguent, commate poſito poſt vocem *herba*. Nec enim conjunctim omnia efferenda, quæ mora quadam interſecari vult ſenſus. Non paullisper, herbam, aut velut herbam ſe fuiſſe dicit, ſed fuiſſe paullisper, uti herba ſolſtitialis eſt paullisper. Ea enim ut repente oritur, repentinò decidit: ita ſe quoq; vix natum, mox denatum ait, ſui interpres ipſemet ſequente verſu. Porro:

Crat ea quidem ſunt. CA. propè adeſt exitium mihi.

Ne putes è tabellis etiam iſta verba, *Crat ea quidem ſunt*, recitari. Non ſunt è literis Phœnicii: ſed reliquis ſubjiciuntur a ſervo. Is cum legiſſet, proxima Dionyſia argento numerando præſtituta eſſe, ad herum verſus, ea ipſa craſtinò eſſe ſubdit: niſi malis ipſi Calidoro tranſcribere, qui rationem dierum anxiè putans continuè pronuntiet hunc verſum. Phœnicium quidem eas literas ſcripſerat ante plures dies; non iſto, pridie Dionyſiorum: & geſtaverat eaſdem ſecum adoleſcens item multos. Suprà:

Quid eſt, quod tu examinatus jam hos multos dies
Geſtas tabellas tecum?

Jam deinceps iſte verſus:

Jocus, ludus, ſermo, ſuavis ſuaviatio:

idem Bacchidibus SC. *Jamdudum.*
In proximo:

Papillarum horridularum oppreſſiunculæ.

Vocem *horridularum* rectè Lambinus duriuſcularum interpretatur, malè Nonius prominentium: quanquam ita ſunt etiam illæ turgidulæ, & ſororiantes. Sed durities reſpicitur hic magis, quæ contrectanti, vel opprimenti quaſi horrere videtur & rigere. Quid illi voluerunt autem ſibi, qui nuper explicamenti vicem Macrobii locum ad librorum marginem appinxerunt? *Poſt quinquies ſeptem incipit lac nutricis horreſcere.* Quid lactis horror ad mamillarum? & autem quis lactis horror? Quin horrere non dicitur ipſum ibi lac, ſed infans id abhorreſcere ſub tempus nominatum. Mireris, quo animo Macrobium legerint, qui ſenſum tam apertum non ceperint, & à Plauto tam alienum auſi tamen ſint Plauto comparare. Poſt alia:

PS. Heu? id quidem tibi hercle ne parſit dabo.

Fortè *neparcas*: ut *neparcere* Moſtellar.

Sibiq; aut materiæ neparcunt.

Minimè parcus ero, inquit, in *heu* commodando, ſeu dando, qui jugis mihi theſau-

ſaurus eſt in noſtra domo. *Ne parſit* valeat, ne peperceris, quod difficulter inidoneum flexeris ſenſum. Vidi autem in quibusdam tribus veteris, *ne par ſit*: quod aptius iſto, non illo. *Ne parcas* omnino melius utroq;
Deinde:

Sed quid de drachmo ſicere vis?

Eſt in aliquo etiam *te* pro *de*. σφάλμα typographi cenſeat quis, ego Plauti germanam ſcripturam. Tales nimirum particulas addi infinitivis ſupervacuò, ſuprà cum exemplis aliquot notavi. Quid vis te facere drachma, pro, quid vis facere drachma?
Propè is verſus eſt:

Certum eſt mihi ante tenebras perſequi tenebras.

Voculas tranſpones, *ante tenebras tenebras perſequi.*

Niſi tu illi drachmis fleveris argenteis,
Quod tu iſtis lacrumis te probare poſtulet,
Non pluris refert, quàm ſi imbrem in cribrum gerat.

Inclinat animus credere, ſcriptum à Plauto *plorare*, ubi nunc *probare*. Venuſta ſermonis alternatio, flere drachmis, plorare lacrumis. Melior etiam ſenſus: cui pervertendo fuit verbum *poſtulas*, non rectè à ſciolis acceptum.
Inferius:

CA. Satis, ſi futurum eſt. PS. rogo me viginti minas,
Ut me effecturum tibi, quod promiſi ſciat.
Roga. CA. obſecro hercle. PS. geſtio promittere.

Obſecrare faciunt Calidorum, cum rogari ſaltem Pſeudolus vellet. Et rogandi formula proximo demum verſu expreſſa:

CA. Dabiſne argenti mihi hodie viginti minas?

Mihi certum, ejiciendam perſonam adoleſcentis, ut continuè ſervi ſint iſthæc omnia:

Roga obſecro, hercle geſtio promittere.

Ipſe promittere ſic geſtiens obſecrat alterum, ut roget. Hoc verum, ægrè mihi aſſentientur iſti imperitiores, niſi quem ſimilem oſtendero locum: quem ſimillimum, imò prorſus eundem afferre poſſum è fabula hac ipſa. Nam infra SC. *Viſo quid rerum*, planè ita:

Rogato hercle obſecro, geſtio promittere.

Qui niſi fuiſſet ibi locus, ingenuè fatebor, neque hic divinatio mihi talis eſſet nata: quam certiſſimam ille nunc ſatis probat: etſi res comprobat ipſa quoque ſeorſum alterum ſine altero locum utrobique. Diſtinctiuncula verum ſenſum obſcurat illic etiam:

Si neminem alium potero, tuum tangam patrem.
CA. Dii te mihi omnes ſervent: verùm ſi potes
Pietatis cauſsá, vel etiam matrem quoq;.

Sic hoc nunc accipitur, quaſi dicat: ſi pietatis cauſsâ potes, ſi pietas permittit. Id abſurdiſſimum. Aliter interpunge, *verùm ſi potes, Pietatis cauſſa vel etiam matrem quoq;*. Cum patri ſervus imminere ſe dixiſſet, ita probat hoc bonus filius, ut velit etiam vel matrem invadi, neque ea in re quidquam obſiſtere pietatem. Pietatis cauſsâ, poſitum ſic, ut Meâ cauſsá, quod eſt, per me. Per pietatem, inquit, liceat tibi non patrem tantùm, ſed matrem quoque tangere, ut lubet. Ea germana Plauti mens: á qua longiuſculè alia abludat, ipſa quoque non inepta. Jocari enim ſic quoque filius poſſit: Si patrem adorieris, etiam matrem ne præteri, pietatis cauſsâ: quaſi impium ſit, utriſque non idem fieri. Sed prior ſenſus unicè verus: hunc eò poſui tantùm, ne ſi alii ſubveniſſet, ideo proferret, ut novum, & ut veriorem præferret, quia nobis non eſſet cognitus aut cogitatus. At ne illum quidem attuliſſem ego, niſi Lambinum aſſecutum non viderem, itemque ut aſſequerentur alii rudiores, quibus nos ſcribimus, vererer.
Porrò ibidem:

Nunc ne quis dictum ſibi neget, dico omnibus
Pubi præſenti, in concione, omni populo.

Legendum in dimenſione verſus *poplo*, quivis norit. In veteribus eſt *Præſenti pube*: quod melius, niſi *pubi* etiam caſus auferendi, ut *Luci*, *Parti*, atque alia

ab

ab antiquitate plura. Nec enim junges *Dica pubi*: ſed formula peculiaris eſt *Præſente pube*, quam Feſtus explicavit.
Ultimo verſu:

CA. Atq; ipſe egreditur penitus periurum caput.

interpolatum eſt *penitus*. Me non fallit *intus* fuiſſe, cui prima ſequentis vocis præpoſita temere ſyllaba *penitus* genuit. *Intus egredi* Plautinum qui non agnoſcet, peregrinus in Plauto eſt, nec ſexcenta ſimilia unquam legit. Unum tale addo, ſi quis planè hoſpes huc venerit.
Caſinâ:

Eccum exit foras Charinus intus cum ſitella & ſortibus.

CAPUT II.

Habere editionem, expurgationem, conventionem: facere aſcenſionem, revorſionem. ἔχειν τινὶ μομφήν. Præſterga, quid vocis? ea emendata. Hedylium amicæ nomen, non Sedulium. Malo, à vel de malo rem quærere. Devinxe, & ſimilia. Quorundam correctiones approbatæ, quædam rejectæ: multæ noſtræ variorum locorum firmatæ, locis ipſis diligenter expenſis, & explicatis. Inſuper cornicularia noſtri leviter emaculata.

FAcile fuit emendatu ſecundâ ſcenâ, quod mendoſè ſic legebatur:

Nunc adeò hanc edictionem: niſi animum advertitis omnes &c.

cùm alter ibidem locus velut manu duceret ad certam correctionem:

Auditin', vobis mulieres habeo hanc edictionem.

Inde enim & in altero legendum *habeo*, non *adeò*, cujuſvis erat animadvertere: nec quiſquam viderat tamen ante Douſam F. elegantiſſimum juvenem: cui ſecundas nos agemus nunc, & pluribus loquendi genus iſtud exemplis illuſtrabimus. Fuit idem igitur & Mercatore SC. *Quaſi tu.*

At ego eam expurgationem habebo, ut ne ſuccenſeat.

Et ſimile Varronis eſt lib. 5. de L. L. *Poſt autem conventionem habet, qui luſtrum conditurus eſt*. Nec alia diſſimilia: ut *Aſcenſionem facere* Rudente SC. *Miris modis.*

Ad hirundini num nidum viſa eſt ſimia
Aſcenſionem ut faceret admolirier.

Et, *Revorſionem facere* Bacchidib. SC. *Ibo.*

Revorſionem ad terram faciunt veſperi.

Ac horum plura ubiq; ſunt obvia: ſuperiora non tam ubiq;. quibus ſimilius hoc Græcum ἔχειν τινὶ μομφήν. Euripides Oreſte:

ἐπίσχες· ἓν μὲν πρῶτά σοι μομφὴν ἔχω.

Deinceps in ea ſcena:

Quin nunc doletne? hem ſic datur, ſiquis herum ſervus ſpernit.

Corrigendum, *Qui nunc? doletne?* Quod idem Amphitruone corrigebamus:

AM. Qui nunc? mulier. audin' illam? AL. ego verò, ac falſum dicere.

In ſequenti loco:

Hæc, cum ego à fora revertor, facite ut offendam parata,
Vorſa, præſterga, ſtrata, lautaq; coctaq; omnia uti ſint.

planè ignotum mihi verbum objicitur *præſterga*, de quo ut notiſſimo omnes, quod ſciam, ſiluerunt. Me non pudet fateri, quod neſcio: ſed idem docere fortaſſe poſſim, quod alii ſciendo neſcierunt. Primùm meque alioſque hoc abſolvo, corruptam eſſe vocem. Deinde conflatam è duabus arbitror, & videre videor è quibus. Ac quibus ergo? *Sparſa terſa*. De his unde didicerim, audi. Locus eſt Diomedis lib. 1. cap. 4. quo reſpexiſſe Grammaticum eum putavit ante nos eruditiſſimus Douſa F. ad hunc Plautinum: ſed is putavit, ac notavit aliâ cauſâ, ut *Vorſa* ſolum explicaret. Atqui Diomedes non id ſolum verbum poſuit eo loco,
ſed

ſed adjunctum aliud, *Vorſa ſparſa*. Jam ſi certum eſt, quod mihi quidem certiſſimum, hunc Plauti locum in animo fuiſſe Diomedi, quid ſequ·tur, niſi *ſparſa* poſt *vorſa* in Plauto ſcriptum? Igitur id ipſum adeò *ſparſa* latet in prima ſyllaba corruptæ vocis *præſterga*: cujus literæ, ſyllabæque reliquæ *terga*, gignunt alterum *terſa*. Quæ corruptio quam fuerit olim facilis, quid opus eſt monſtrari? Nam quis neſcit G & S literarum cognationem, ut *terga* ſcriptum ſit in vicem *terſa*? Neque eſt qui non videat, ut perire quædam literæ potuerint è *ſparſa*, ut in *præs* deſtrueretur. Nobis quando alterum Grammatici locus tam opportunus ſubjicit, quod per nos fortè non inveniſſemus ipſi, alterum ipſæ ultrò literæ ingerunt; quid dubium relinquitur, quin abolita nihili voce *præſterga*, planè ſit in Plauto jam emandandum?

Vorſa, ſparſa, terſa, ſtrata, lauta, coctaq; omnia ut ſint.

Sed ad eas etiam rationes alia duplex accedit, quæ pariter idem firmat. Namq; & numeri nunc tandem veri alacriter exſurgunt, qui trepidabant hactenus unâ ſyllabâ defecti, & ſententia fit germaniſſima, præ qua ſpernit aliam omnem veritas ipſius rei. Scilicet ὕστερον πρότερον hic eſt, & à verriatore ſpargi nimirum aquulâ, deinde ſcopis verri ſolent ædes, quod leno ibi præcipiebat:

Tibi hoc præcipio, ut niteant ædes.

In *terſa, ſtrata, lauta* confunditur etiam ordo: ſed reſpiciunt omnia, ac ſingula verſum iſtum:

Tu eſto lecti ſterniator, tu argentum eluito, idem exſtruito.

Nam *cocta* referas ad illum,

Tu qui urnam habes, aquam ingere, face plenum ahenum ſit citò:

& qui ſubditur ei de caudicali provincia, & ſecandis lignis: imò verò magis ad hunc inferiorem:

Pernam, callum, glandium, ſumen, facito in aqua jaceant. ſatin' audis?

In quo conjectura fortè Gulielmii noſtri vana, qui verbo *audis* abjecto perſonam Pſeudoli inſerebat eleganter, *PS. Satin' Magnificè?* Verſus ſic mutilatur, quod non temere committendum. Et cùm hoc abſterret, tum nihil ad ejuſmodi mutationem cogit. Sententia enim ſic etiam nimis apta. At movit eum, quod *audis* iſtud in veteribus quibuſdam libris nullum exſtaret. Eſt ita: ſed exſtat idem in veteribus etiam non paucis. Nihil igitur hoc argumenti: nec illud firmum, quia poſt ſimile dictum Calidori. Quin ſi magis inſpicias, id ipſum ſit contra eum. Sed quid iſta ventilo? Conſideramus alia deinceps.

Principio Hedylium tecum ago, quæ amica es frumentariis:
Quibus cunctis montes maximi acervi frumenti ſunt domi.

Arguti, qui nuper ad Appulejum interpolarunt, *Principia Edilis ſum*, quia Ædiles annonæ curatores, ſed falſi. Nominatim appellaturum ſe dixit unamquamque ancillarum leno: & Hedylium nomen meretricium, quod in fragmento noſtri corruptum ſuſpicor è Cornicularia:

Qui amant ancillam meam Sedulium oculitus.

Nam *Hedulium* ſubſtituam ex hoc loco: & Græcanica plerumque erant iſtæc nomina potius quàm Latina. Verſu altero gloſſam habuit aliquando vocem *acervi*, quæ *montes* interpretetur. Sed deleri verſus haud patiatur. Amicus quidam meus dividebat, & trajiciebat: *montes maximi frumenti ac ervi ſunt domi*: cui non aſſentiebar. nec alteri, qui *acervum frumentum* capiebat, ut alii alia Plauti, *lectus locus, cibus commeatus, rete jaculum*. Simpliciſſimum ſit copulam inſerere, *montes maximi, ac acervi*.

Mox deinde:

Æſchrodora tu, quæ amicos tibi habes lenonum æmulos
Lanios, qui item ut nos jurejurando malo quærunt rem, audi.

Mutat vir doctus *malam*: malè, ut puto. Nec junxerim tamen *malo jurejuranda*, ſed *malo quærunt*: quæ ſit locutio ſimilis illis, *de* vel *à malo quærere*, de quibus, & ab aliis alibi, & a nobis ad Moſtellariam actum. Ac præpoſitio forſan, & Ciſtellariæ loco fuerit ad hoc exemplum omiſſa, quam additam ab aliis ſupra non improbavi:

Item ut aliæ pariunt, quæ malo quærunt ſibi.

Porrò ſtatim : ..... *eras quaſi Dircam olim (ut memorant) duo Gnati Jovis devinxere ad taurum, item hodie ſtringam ad carnarium, id tibi.*
Profectò taurus fiet.

Parentheſis *ut memorant*, non placet. Sublatâ eâ legerim libentius :
..... *eras quaſi Dircam olim memorant duo gnatos Jovis devinxe ad taurum.*

Crebra Plauto & priſcis forma contractionum ejuſmodi *devinxe*, *illexe*, *advexe*, pro devinxiſſe, illexiſſe, advexiſſe. Paſſim exempla, quæ non deceat hic cumulari. Verſus prior etiam brevior erat: itaque vocem ei de altero ſubjunxi, qua forte necdum ei ſatisfactum. Continuò quod ſequitur:
..... *CA. nimis ſermone hujus ira incendor.*
PS. Hunccine hic hominem pati colere juventutem Atticam?

In eo non decernam, utri, ſervone an hero conveniat magis expoſtulatio uberior illa, cujus hic initium; id auſim affirmare utrius iſta tandem erit, ejuſdem & illud eſſe, quod præmittitur, *nimis ſermone hujus ira incendor*. Conjunctim enim hæc ab uno eodemque efferenda, quorum ſententia nequit divelli. Primùm iraſci ſe præfatur alteruter, mox in iram effuſus, idem liberè palam ſtomachatur. Pſeudolo non eripiam ego ſanè: ſed qui Calidoro daturus eſt, mutabit infra ſcilicet perſonas: *PS. vah tace. CA. quid eſt?* & deinceps conſimiliter. At cum magis cogito, nihil hoc opus, & Pſeudolo certè ſuperiora omnia tribuenda.

Poſt aliquanta :
Sed ubi uſq; ad languorem. tenes quorſum hæc ſe tendant quæ loquor.

Vix ita Plautus ſcripſerit, & damnare non poſſum animi mei divinationem, *quorſum haece tendant*. Ibidem hoc etiam non præteribo :
..... *ſed ſcio, tu oleum haud magni pendis, vino te Devincis, ſine modo, reprehendam ego cuncta hercle unâ operâ.*

Conjeceram, *ſine modò rependam ego cuncta*: cum eſſe ſic planè vidi in editionibus antiquis. *Devincis* eruditè explicatur, ſed aptius emendatur *Deungis*. De vino enim, ut de oleo loquitur leno, quia pro oleo vinum Xyſtilis habebat.

CAPUT III.

Animo aliquid auſcultare. Licetne vivere? Lucro pietate non obſiſti poteſt. Porcere. Neplacet. Amatores, dum dant, lenonibus, & amicis vivunt: mortui ſunt, cum iiſdem non placent. Explicationes aliorum, & conjecturæ adjuta quædam, quædam objectæ. Locus mutilus depoſitus. Perſonæ ſæpius mutatæ. Plura loca emendata, declarata.

NUgatur, ut ſolet, Interpres ad illud ſequentis ſcenæ *Pſeudole*.
CA. Quid mihi es auctor, huic ut mittam, ne amicam hic meam proſtituat?
PS. Benè curaſſis, liquido es animo, ego pro me & te curabo.

Emendatione prius opus, dein explicatione: imò non hac opus, quia ſatis illa clara: *PS. Ne curaſſis*. ſi tamen ſatis certa. Nam & ſic poſſit, *PS. Sine curaſſis*: & aliter, interpunctione mutata, ſillabaq; geminata, *PS. Benè. ne curaſſis*. Elige, quod optimum putabis. In proximo non electioni, aut dubitationi locus:
CA. Quid opus eſt? PS. petin' aliam rem ut cures? CA. et. PS. hat.

Una enim vera emendatio, *CA. quid opis eſt?* Minabatur lenoni præſens malum Pſeudolus: ibi adoleſcens, quid igitur auxilii ſit, quærit, non quid facto opus. Illud quoque :
PS. In rem quod ſit prævorteris, quam re adverſa animo auſcultes.

non

non dubium, quin ita corrigendum, *quàm rei adverſa animo auſcultet*. Niſi tamen *re*, pro *rei*, ut *die*, *fide*, & ſimilia. Senſus equidem is planè: Potius quod ex re eſt, agas, quam animo obtemperes iis agendis, quæ ab re ſunt, ſive rei adverſa. Animo aliquid auſcultare, ſic dictum, ut Obſequi quid alicui. Lambini hic quoque futile interpretamentum. Poſt multa, viri docti recepta in textum eſt conjectura:

. . . . BA. licet
Ne obſecro bitere, an non licet?

At vulgatum *vivere* bono quoque ſenſu eſt: & geminus huic locus Milite:

Mittite me obſecro, ſi poſſim hodie viva à vobis.

Deinde impius leno, cui unum lucrum Deus, admodum quam religioſè de ſe narrat:

BA. Reſpiciam iſtoc pretia. nam ſi ſacruficem ſummo Jovi,
Atq; in manibus exta teneam, ut porriciam, intereà loci
Si lucri quid detur, potius rem divinam deſeram.

quod Pſeudolus auditum his verbis ſubſequitur:

PS. Non poteſt pietate obſiſti huic, ut res ſunt ceteræ.
Deos quidem, quos maximè æquum eſt metuere, eos minimi facit.

In quibus non video, nec alios puto videre ſatis idoneam verſus prioris ſententiam. Mihi non temeraria ſuſpicio, dimidiam ejus partem Pſeudolo non adſcribendam, ſed adhuc continuandam Ballioni:

Si lucri quid detur, potius rem divinam deſeram.
Non poteſt pietate obſiſti huic. PS. ut ut res ſunt ceteræ,
Deos quidem quos max.

Leno, cui lucrum ante omnia, nulla pietate obſiſti lucro poſſe ait, nec impediri vel à religione. Tum ſervus: Ut ut alia ſunt, deorum quidem ſceleratus iſte metum, & reverentiam ſpernit omninò, qui colendi, timendique maximè erant: quid ſcilicet hominibus facturus, & profanis in rebus, cui divina ſic & ſacra ludibrio, jocoque? *Ut* geminavi ad hanc mentem, quod hauſi tamen ex veterum diſerta lectione. Porrò:

BA. Quid agitur Calidore? PS. amatur, atq; egetur atriter.

Calidorus interrogatus ipſe reſpondere debet, *Amatur atq;*. Manifeſtum hoc: ſed manifeſtiùs mox iterum perſona ſuppoſita:

PS. Et id, & hoc quod te revocamus, quæſo animum adverte.
CA. audio.
Atq; in pauca.

Non niſi cæcus erratum non animadverterit: ſed ita negligentes fuerunt, ut quia Lambini ſic editio, caſu fortè (nam non uſq; adeò ſtolidus, aut inſanus is homo, ut de induſtria mutarit) imitati ſint inde, tametſi veteres apertè omnes libri. *BA. Audio.* Quid liquet, ſi non hoc, Ballionem & compellari, & reſpondere? quid abſurdum, ſi non hoc, Calidorum iſta loqui?

Porrò etiam:

PS. At dabit, parabit aliquid hos dies, manta modò.

Corrigunt, *aliquid: tres dies m. m.* Ineptè. An verò quidquam aptius iſto?

PS. At dabit, parabit: aliquot hos dies manta modò.

Non tempus hic certum deſignat: & quamquam in tres denique dies convenitur, antè tamen de ſex etiam agitur, ut videas de tribus hic jam tum abſurdè cogitari. Dein vanus eſt labor ingeniorum ſine codicibus ſcriptis iſtud explendi:

BA. Heus tu, poſtquam hercle iſti à menſa ſurgunt.*
Qui ſuum repetunt &c.

Quam ineptæ, quam variæ ſunt in diverſis libris diverſorum inculcationes? Mutilus eſt, eritque verſus, uſq; dum novus Æſculapius è veteri manuſcripto verba quaſi membra deperdita reſtauret. De quo ſi ſpes ulla ſupereſt, neſcio: quæ ſuperſunt ipſa verba non Ballionis eſſe ſuſpiceris, ſed Pſeudoli ad Ballionem, cujus illis, & nomen fortè præfigendum. Nam hic in partem hero, qui lenoni ſe excuſabat, de mutuo reperiendo, ſubvenire videtur, ne ab argentariis quidem impetrari jam argenti quidquam poſſe dicens. Quamquam non ego ſic ſtatui planè, ſed quid eſſe aut videri non temerè poſſit aliis, indicavi. Vulgatur in ſequentibus:

CA.

CA. Perii. an non tum lex me perdit quina vicenaria?
Metuunt credere omnes.

Scio, Lambinus ut hoc interpretetur: ſed Lex profectò non perdebat adoleſcentem, ſi mutuo quid accepiſſet, ſed creditorem, qui dediſſet. Igitur id verbum *perdit*, ut mutandum cenſuerim aliquando ſuſpicione mera, dicam. Legebam:

CA. Perii. an non me lex dum porcet quina vicenaria?

Adhuc iſta ætate lex, quam dicit, eum prohibebat uti conſilio lenonis. Obſtabat enim, quo minus mutuum ipſi crederetur. *Porcet dum*, id eſt adhuc prohibet, vetat. Vetabat autem lex, non, ut minor annis quinque & viginti mutuo ſi poſſet alicunde quid impetrare, ſumeret; ſed, ne quis ei daret. nam qui dediſſet, repetendi nullum jus habebat. Eſt ibidem:

Atq; ego te vivum ſalvumq; vellem. PS. ehò an jam mortuuſt?
BA. Illico vixit amator, ubi ille lenoni placet.

Hæreo de ſententia. Nam dum placet, adhuc quidem lenoni vivit amator: quippe qui dare etiam poteſt, & quod perdat habet. At diditis omnibus, cum jam datis non ſuppeditat, ibi demum neque placet lenoni, & pro mortuo habetur. An igitur emendandum? *neplacet*. Ubi non amplius placet, mortuus eſt. Locus ſimillimus Truculento, quem adſcribam. Sc. *Ad fores.*

AS. Dum vivit, hominem noveris, ubi mortuus eſt, quieſcat.
Te, dum vivebas, noveram. DI. an me mortuum arbitrare?
AS. Qui potis es amabo planius? qui antehac amator ſummus
Habituſt, iſtuc ad amicam meras querimonias referre?
DI. Voſtra hercle factum injuria, quæ properaviſtis olim
Rapere. otioſè oportuit, diu ut eſſem incolumis vobis.

Eadem certè mens utrobiq; etſi non neſcio, poſſe quem acutiorem aurgutari in altero noſtro loco. Periiſſe enim, & vixiſſe videri poteſt, eſtque adeò perditus qui lenoni placet: id eſſet, qui amans à lenone bona apud eum ſua comedit, & uſque perpetuat data. At hæc profectò ſententia loco alieniſſima. Nec enim de amatore quovis agitur hic, ſed egeno, quique uſui nulli eſt, ut ipſe leno ait. Hic talis ei minimè placet, & quia non placet, dicitur vixiſſe. Nec ſententiâ diſcrepat multum illud in hac ſcena ſuperius:

CA. Qui tibi ſoſpitalis fuit. BA. mortuus eſt, qui fuit: qui eſt, vivus eſt.

Statim: *Nam iſtuc quod nunc clamitare.*

Peſſimè retentum in optima editione vitii damnatum, & emendatum jam olim verbum *clamitare*. Cur *lamentare*, quod multæ præeunt editiones, neglexerunt? Ea vera lectio: quam, præter alia, verbum deinceps *querere* ſatis probat, ut alteram loquendi ipſa ratio refutat. Intervallo majore:

CA. Dic mihi obſecro, verum hercle ſeriò hoc, quod te rogo, eſt?
Non habes venalem amicam tu meam Phœnicium?

Malo legere:

CA. Dic mihi obſecro, verùm hercle ſeriò, hoc quod te roga:
Non habes venalem &c.

Et ſcio melius eſſe, nec aliter à Plauto. Non longè:

Militi Macedonio: etiam quindecim hic habeo minas.

Diſpeſce *& jam*: quod, quia temerè conjunctum in Lambini libris, temerè inde ſunt imitati. Nam vetuſtiores rectè. Poſt multa:

Sicut hæc eſt præſtituta numerendo argento dies.

Lambini hoc eſt, quod veteres damnant: *præſtituta ſummæ argentariæ*. Unde olim Lipſius, *ſumma argento dies*: rectè: niſi quòd verſus labat, & neglectæ literæ poſtremæ in *argentariæ*, ex quibus illi opportunum fulcimentum. Feceris rectiſſimè: *præſtituta ſumma argento ei dies*. Pòſt:

Sed nunc Calidore operam te mihi volo dare. CA. Quid imperas?

Præopto ſcribere, *CA. quin imperas?* Ita ſe paratum oſtendit, ut ſtatim velit imperari. Sub finem:

Pauci ex multis ſunt amici, homini qui certi ſient.

CA.

CA. Ego ſcio iſtuc. PS. ergo utrumq; tibi nunc delectum para.

Neſciò quid hoc interpretationis eſt ad *utrumq;* vocem, cùm Lambinus amicum & incertum deſignari ait. *Utrúmq;* eſt utrorumque, certorum ſcilicet amicorum & incertorum. Eorum delectus jubetur. Veteres tamen *utrinq;*: quod ſenſui æquè aptum: nec ineptum *utcumq;*, ſi quis ita malit.

In ipſo fine:

CA. Jam hic ſaxo aderit. PS. potiu' ut habeat? CA. tibi moram dictis creas.

rectius eximitur in antiquis Calidori perſona, ut Pſeudolus continuet iſta: *potiu' ut abeas? tibi moram dictis creas.* Hic enim abire illum quam citiſſimè vult, & hominem parare, qui cum illud ſaltem prius loqueretur *Jam hic ſaxo aderit*, nimis moratus videtur, & verbis his ſeipſum dicitur morari.

CAPUT IV.

Parum fides, plurimum malefacta, ſatis inſomnia, affatim: & parum miſeria, abundè libertas, ſatis præſidia: & ſimiles locutiones. Criminaret. Compecti. Chlamys viatoris. Mutatæ diſtinctiones, perſonæ, verba multa. Concinnati non pauci verſus. Aliorum correctiones, interpretationes improbatæ. Noviter emendata quamplurima, ſimul explicata.

SCenâ *Si de damneſit*, lepidè lepidus adoleſcentiæ amanti, & genium ſuum percolenti patronus Calipho adverſus Simonem duriorem:

Sed ſi vera ea ſunt, ut nunc mos eſt maximè,
Quid mirum fecit? quid novum? adoleſcens homo
Si amat, ſi amicam liberat? PS. lepidum ſenem.
PI. Vetus nolo faciat. CA. at enim nequidquam nevis:
Vel tu ne faceres tale in adoleſcentia.

In quibus diſtinctionem aptabis primò, ut ſenſu jungantur verba, *ſi vera ea ſunt maximè*; non, *ut nunc maximè mos eſt*. Deinde cum Lambino non interpretaberis, *Vetus nolo faciat*, tanquam id ſenex dicat, nolle ſe, filium id ita ſæpè facere, ut ſit ei vetus. Ineptiſſima ſententia iſta: vera hæc. Non novum eſſe dixerat Calipho, amare, amicam liberare adoleſcentem: at ille auſterior non vult vetus, & antiquum illud filius faciat ſuus. Poſtremo *tu ne* diviſim ſcribes.

Deinceps:

SI. Tibi auſcultabo. PS. itur ad te Pſeudole.

Veteres habent, *Tibi auſcultaba igitur*. In hoc *igitur*, eſt, *ego itur*.

Ergo ſcribe:

SI. Tibi auſcultabo ego. PS. itur ad te Pſeudole.

Pluſculis interiectis:

SI. Mihin' domino ſervos tu ſucceuſes? PS. jam tibi
Mirum id videtur? SI. hercle quoi, ut tu prædicat
Cavendum eſt mihi abs te irato.

Legerim, PS. *itan' tibi*. Deinde variant in iſto, SI. *hercle quoi*. alibi, *qui*, alibi *quin*. Nihil omnium malè: fortaſſis optimè, *hercle quin, tu ut præd.* Statim perſonæ variant etiam in antiquis:

PS. *Quid cenſes? CA. edepol merito eſſe iratum arbitror,*
Cum apud te parum ſtet fides.

Et melius in illis Caliphoni hæc omnia attribuuntur: CA. *Quid cenſes edepol meritò eſſ.* Verba deinceps mutari nihil opus erat à viro docto, *parum ſiet fides*. Etenim & *ſtet* ſtare poteſt, ut in illo non diſſimili:

Et benè apud memores veteris ſtat gratia facti.

Et *fides* non antiquo genitivo, ſed ipſo vulgatiſſimo capi poteſt nominativo. Sic enim etiam loquebantur, *Parum fides*: cui exempla dedit aliquod ad Bacchides

Gulielmius noſter, & Colvius ad Appulejum. Similia nos etiam quædam ſubnectemus. Epidico:

. . . . aut quaſi non plurimum
Malefacta mea eſſent ſolida in adoleſcentia.

Ubi Lambinus *plurima* mutabat, fruſtra. Propertius:

Cum ſatis una tuis inſomnia portet ocellis,
Una ſit & cuivis femina multa mala.

Nam non aliter exaudio *ſatis inſomnia*. Cui loco pulcrè ſuccinit eadem phraſi noſter Trinummo:

CA. *Miſeria una quidem homini eſt affatim*. CH. *imò huic parum eſt.*

Uxor una, ait alter, affatim, alter, parum miſeria eſt. Salluſt. Orat. Marci Trib. pl. *Quia neq; gloria movemini, neq; flagitio, cunctaq; præſenti ignavia mutaſtis, abundè libertatem rati, quia tergis abſtinetur.* Quod idem fortaſſis ita Bello Jugurth. *Diu quòd parentes abunde habemus: amicorum neq; nobis, neq; cuiquam omnium ſatis fuit.*

Tragœdus Hercule Oetæo:

. . . . Herculis cineres tene,
Complectere oſſa, reliquiæ auxilium dabunt,
Erunt ſatis præſidia: terrebunt tuæ
Reges vel umbræ.

Plura ab iis, quos dixi, pete, & ipſe tibi nota. Porrò in noſtra hic ſcena:

CA. *Memini* SI. *cur hæc tu, ubi reſciviſti illico,*
Celata me ſunt?

Paulo melius antiqui: SI. *cur hæc, ubi reſciv. il.* Statim:

Quia nolebam ex me morem prægigni malum,
Herum ut ſervos ſuum criminarer apud herum.

Verſu priore *progigni*: ne alterum putidiuſculè capias, quaſi primò gigni. Poſteriore magna diverſitas ſcripturæ: Ubique inde omnis, quòd *criminaret* admittere noluerunt. Tu tamen ita corrige, nec aliter conſtitui rectè locum ſcito:

Herum ut ſervus ſuum criminaret apud herum.

Paullo pòſt:

PS. *Quia aliud malum aderat, iſtuc aberat longius.*
Illud erat præſens, huic erat diecula.

Ut N. Douſa ſenſiſſe videtur, ita diſtinguendum ſit ad ejus mentem:

PS. *Quia aliud malum aderat, iſtuc aberat longius*
Illud erat præſens, hoc erat diecula.

Priore ſcripſi *illud*: rectè, ut omnia ſibi reſpondeant. Illud, à filio: iſtuc, à te. Illud aderat præſens, hoc erat in diem, ut Terentius loquebatur. *Erant* autem veteres planè:

Verſu: *Si abſtuleris, mirum & magnum feceris facinus.*

traduc, *facinus feceris*. Poſteà:

Tibicinam illam tuus quam gnatus deperit,
Ea circumducam lepidè lenonem. SI. *quid eſt?*
PS. *Effectum hoc hodie reddam utrumq; ad veſperum.*

Ineptè Simo interloquitur, *quid eſt?* Sic autem Pſeudolus continuè debet:

. . . . lepidè lenonem: & quidem
Effectum hoc hodie reddam.

Mox in iſto loco:

Sed ſi non faxis, numquid cauſſæ eſt, illico
Quin te in piſtrinum condam? PS. *non unum quidem*
Diem modo, verùm hercle in omnes quantum eſt. ſed ſi effecero,
Dabin mihi argentum, quod dem lenoni illico.
Tua voluntate?

Nimium verſus unus excurrit, quod demes, alteri addes: ſed alteri priùs etiam aliquid demes:

Quin te piſtrinum? PS. *non unum quidem diem modò.*
Verùm hercle in omnes quantum eſt.

Sup-

Suppreſſit verbum *condam* ſenex, quod è gloſſa inſitum numeros turbavit. Neque hos jam tamen ſatis expedieris, niſi voculas *quidem diem* in unum cogas pedem, quod minimè duriter, & Plauti more fiet. Atq; illo prorſus eodem ad finem ſcenæ hujus unum item pedem conſtituunt verba *Novo modo*, iſthic:

. . . . . . nam qui in ſcenam provenit
Novo modo, novum aliquid inventum afferre addecet.

Ubi inducendum Douſa F. putabat *inventum*, non ab alia, aut potiori cauſſa opinor, niſi quia verſus excedere menſuram videretur. Id quod non eſt, ſi iſto more metiaris. Sed retrogredior, ut iſtum locum ne omittam:

Quid ſi hice inter ſe conſinſerant, Calipho,
Aut de compacto faciunt, conſutis dolis,
Qui me argento circumvortant? PS. quis me audacior
Sit, ſi iſtuc facinus audeam facere? imò ſic Simo,
Si ſumus conſpecti, ſive conſilium unquam inivimus
De iſtac re, aut ſi de ea re unquam inter nos convenimus,
Quaſi in libro cum ſcribuntur calamo literæ,
Stilis me totum uſque ulmeis conſcribito.

Delent veteres in quarto verſu *facere*: quod eripi ſibi facile, & ſenſus, & numeri patiuntur. At ſi retineas, ibidem *ſic* expungendum videatur. Videtur autem idem, & in ſequentibus duobus faciendum particulæ *unquam*. Sed maximum eſt, quod emendandum cenſeo *compecti*, ex *conſpecti*. Quis non videt illud aptius? & hoc quis plurimis in locis illi neſcit ab indoctis librariis ſuppoſititium factum? Piget afferre variorum auctorum loca, quibus idem ſic corruptum docti pridem oſtenderunt. Hic inſimulatus ab hero ſervus, de compacto, ſeu compecto agere cum lenone, negat ſe compectos eſſe. nam quid referat, conſpectos? aut conſpici qui potuerant, ſi clam convenisſent? Scenâ *Pro Jupp.*

Poſt ad oppidum hoc vetus continuò mecum exercitum protinus obducam.

Scripſit auctor, ut conjicio, *meum exercitum*. Conjicio autem aliud in ejus Scenæ fine:

. . . . libet ſcire
Quid hic velit cum machæra, & huic, quam rem agat, hinc dabo inſidias.

Valdè ſuſpectum *& huic*. Audebon' dicere, quod timidè mecum ſentio? literas ſaltem pauculas ex integra voce reliquas eſſe, & ſcriptum olim:

Quid hic velit cum machæra, & chlamyde, quam rem &c.

Chlamys viatoria veſtis erat, quod omnes jam norunt, & peregrini quicunque chlamydati inducebantur: infraq; talis hic ipſe Harpax:

Sed quis hic homo chlamydatus? BA. non edepol ſcio.

itemq; Sycophanta, qui hujus in locum ſubornabatur:

Etiam opus eſt, & clamyde, & machæra, & petaſo.

CAPUT V.

Aliquid; & alicui prævorti. Conſilium benè accidit. Eugepæ. Præter alias emendationes varias, perſonæ variantes multoties conſtitutæ. Loca quædam poſt alios aliter tentata. Pleraq; interpretata.

Proximas tres ſcenas hoc capite perluſtrabo, in quibus plura quam graviora nobis, nec leviſſima tamen omnia relicta. Sunt, qui iſto verſu:

Hoc prævortar principio, illa omnia miſſa habeo, quæ ante agere occœpi.

mutant *Huic prævortar*. ignari: quaſi non utroq; caſu æquè Plautus utatur. Hoc ipſum Rudente Sc. *Pro Cirenenſis.*

TR. *Obſecro hoc prævortere ergo.* DA. *quid negotii eſt?*

Deinde puer elementa prima doctus emendet, quod infra vitium nuper admiſerunt:

. . . . . nam

Digitized by Google

. . . . . . nam olim cum abiit, argento hic dies
Præſtituta eſt.

Vel *hæc* ſcribendum, vel *Præſtitutuſt*: ſed magis illud Porrò:

HA. *Siquidem hercle etiam ſupremi promtas theſauros Jovis,*
Tibi libellam argenti nunquam credam, dum tu ſtrenuas.
PS. *Res erit ſoluta.* HA. *nunc jam potius ſic ſervavero.*

Video recentare quoſdam à Gulielmio noſtro damnatum verbum *ſtrenuas*: quod ſi teneri planè debet, debet aliter perſona Pſeudoli collocari, ut is junctim iſta loquatur: PS. *dum tu ſtrenuas*, *Res erit* (vel *erat*) *ſoluta*. Dum negando ita ſtrenuum hominem te oſtentas, interim poteſt res, aut jam potuerat ſolvi. *Promtes* etiam ibidem liber bonus non malè legit. Sequitur:

HA. *Verba multa facimus, herus ſi tuus domi eſt, quin provocat,*
Ut id agam, quo miſſus huc ſum. PS. *quidquid eſt nomen tibi,*
Si intus eſſet, evocarem.

Sic jam accipere neceſſum hoc eſt, quaſi de nomine ſuo quæſitus Pſeudolus non digneiur de alterius viciſſim interrogare. At hoc putidum eſſe, tum per ſe, tum quia paullò pòſt rogat, omnes ſentiunt. Aberravit hic quoque perſona, quam in ſuum locum reduco:

Ut id agam quod miſſus huc ſum, quidquid eſt nomen tibi,
PS. *Si intus eſſet, evocarem.*

Pſeudolus Syrum ſe vocari dixerat interrogatus: eum faſtidiens militaris homo, quodcunq; tibi nomen eſt, inquit, herum ipſum foras provocato, ut cum eo rem meam agam. nam tecum jam multa facio verba fruſtrà. Scripſi etiam *quod miſſus huc ſum*, ut alicubi inveni. *Quod* enim, propter quod. Statim non ſententiæ, ſed verſus cauſſa particulam *me* inſeres ex antiquis:

Reddere hoc, non perdere, herus me miſit. nunc certè ſcio.

Propius finem:

PS. *Tua orbitratu maximè.* HA. *nam ut laſſus veni de via,*
Me volo curare. PS. *ſanè ſapis, & conſilium placet.*

Scribes, & diſtingues:

PS. *Tuo arbitratu, maximè.* HA. *nam ut veni, laſſus de via*
Me volo curare.

Hæc ad illarum primam. In alteram leviora nunc vide.

Jam inſtituta, ornata, cuncta in ordine animo ut volueram
Certa deformata habebam.

Verborum ordo melior ſit, *cuncta ordine in animo*, vel *cuncta in animo ordine*: ne *in* jungatur cum *ordine*, ſed *animo*. Deinde:

Benè ubi quod conſilium diſcimus accidiſſe, hominem catum
Eum eſſe declaramus: ſtultum autem illum, cui vertit malè.

Durum videtur, *conſilium accidiſſe*: certè uſitatius, *cecidiſſe*. Tamen *accidere* etiam in eventu, ut Terent. Andr.

Hoc incertum eſt quorſum accidat.

Atqui & pro *diſcimus*, *ſcimus*, vel *reſcimus*. Ibidem:

Euge por pari. aliud autem quod cupiebam contigit.

Quis hoc mutare auſit? At qui fuerunt auſi iſtud vetus?

Eugepæ! porro aliud autem quod cup. cont.

Nihil dico, niſi utrumque alteri certare: victoriam autem in hoc noſtrum inclinare. Neque in iſtam plura. Tertia in hoc ordine eſt *Dulcia atq; amara*:
Vulgatur ibi:

PS. *Magnificè hominem compellabo.* CA. *cuja vox ſonat?* PS. *io io.*
Te te te tyranne, te rogo, qui imperitas Pſeudolo
Quæro.

Ter geminandum verſu primo, *io io io*: quando in omnibus ternario numero ſic paratragœdiatur. At quod Gulielmius altero *ter ego* faciebat, numeri admiſerint ægrè. *Te rogo* tamen etiam non admodum probarim: ſed neque amici conjecturam, *ter rogi qui imper. Pſeudolo*. quamquam exſultanti, ac triumphanti ſervo jactatio talis haud aliena. Mox:

CA.

CA. *Illic homo eſt. ut paratragœdiat carnifex?* CH. *confer gradum*
Contrà pariter.

Confuſas hic etiam perſonas è libris liquet, & ſenſu. Repono:

CA. *Illic homo eſt.* CH. *ut paratragœdiat carnifex!* CA. *conf.gr.*

Calidorus ad ſervum ſuum adhuc omnia, cui Charinus ignotus ipſi ignoto. Quã inter alias cauſſâ peſſimè deinceps quoque Charini perſonam ſuppoſuerunt vice Calidori: quod peccatum in aliis, aliiſq; libris crebrius, aut rarius, in omnibus aliquoties, ſæpiſſimè in Douſianis. Atque operæ pretium eſt hic locum integrum prolixius adſcribere ad id exemplum, quo perſonis diſtingui planè debet.

CA. *Dic utrum Spemne an Salutem te ſalutem Pſeudole?*
PS. *Imò utrumq;* CA. *utrumq; ſalve. ſed quid actum eſt?* PS. *quid timet?*
CA. *Attuli huic.* PS. *quid attuliſti?* CA. *adduxi volui dicere.*
PS. *Quid iſtic eſt?* CA. *Charinus.* PS. *euge jam**
CH. *Quin tu quidquid opus eſt, audacter imperas.* PS. *jam gratiam.*
Bene ſit, Charine, nolo tibi moleſtos eſſe nos.
CH. *Vos moleſtos mihi? moleſtum eſt quidem.* PS. *tum tu igitur mane.*
CA. *Quid iſtuc eſt?* PS. *epiſtolam modò hanc intercepi, & ſymbolum.*
CA. *Symbolum? quem ſymbolum?* PS. *qui à milite allatuſt modò.*
Ejus ſervo qui hanc ferebat cum quinq; argenti minis,
Tuam qui amicam hinc accerſebat, ei os ſublevi modò.
CA. *Quomodo?* PS. *horum cauſſa hæc agitur ſpectatorum fabula.*
Hi ſciunt, qui hic affuerunt, vobis poſt narravero.
CA *Quid nunc agimus?* PS. *liberam hodie tuam amicam amplexabere.*
CA. *Egone?* PS. *tute, ego ipſus inquam, ſi quidem hoc vivet caput, &c.*

Hæc perſonarum formula ſit univerſim: de verbis quædam etiam nunc dicemus. Tertius iſtorum verſus cum quarto defecto, ſic è veſtigiis priſcis debeat fortaſſe ſcribi:

CA. *Attuli hunc.* PS. *quid? attuliſti?* CA. *adduxi, volui dicere.*
PS. *Qui iſtic eſt?* CA. *Charinus.* PS. *euge! jam* χαίρειν χαρῖνον *volo.*

Ludit in Charini nomine, quem valere & miſſum fieri vult, non uſui nunc illi, cui ſuprà juſſerat ejuſmodi hominem inveniri. Sequentium duorum tractus etiam alter, etſi minus apparet. Utrumque concinnandum ſic puto:

CH. *Quin tu quidquid opuſt audacter imperas.* PS. *benè: ſet tamen*
Gratia eſt Charine. nolo tibi moleſtos eſſe nos.

Verba traduxi leviter, & correxi, quod utrumque ſententia perſuaſit. *Benè & Gratia eſt* N. Douſa pater explicabit tibi, quem adibis. Proximo, insertà è veteribus particulâ legendum, *moleſtum eſt id quidem*. Sic enim magis ſenſus elucet. Id ipſum ſolum erat ei moleſtum, quòd excuſarent, & uti ejus opera, ne moleſti eſſent, recuſarent. Ultimo, videantur etiam perſonæ ſic variandæ:

CA. *Egone?* PS. *tute.* CA. *ego?* PS. *ipſus, inquam.*

Sed verſus eſt, abſque illa variatione voculam unam corrigi: PS. *tute ergo ipſus inquam*. Poſt hæc, illa verba:

. . . . CA. *ſi ſervos eſt, Numquid refert?*

quid ſi Charino potius dentur? Hic enim quia paratum habebat hominem talem, ſed ſervum, quod ex ſequentibus ſtatim perſpicitur, eò prius aptè, & cautè quærar, an ſervum eſſe quidquam interſit. Porro locus iſte fuit a magno Lipſio, & Grutero diligenter poſt alios excuſſus, omniumque veriſſimè emendatus, tum explicatus.

Sed iſtic ſervus ex Caryſto hic qui advenit, qui ſapit?
CH. *Uſq; à cunabulis.* PS. *manuleatam tunicam habere hominem decet.*

A quibus ego non abeo, niſi in ipſis verſibus, verbiſque paullò aliter conſtituendis. Numeri ſic enim poſcunt, quibus ſententia nec impeditur, ſed juvatur:

Sed iſtic ſervus ex Cariſto qui huc advenit uſque, quid ſapit?
CH. *A cunobulis.* PS. *manul.*

Etiam ſtatim numeri nutant:

PS. *Quid ſi opus ſit, ut dulce promat indidem ecquid habet?*
CH. *Rogas? murrhinam, paſſum, defrutum, melinam, mel quo-juſmodi.*

Vox prima verſus alterius appendenda fini prioris, quod veteres ipſi libri præeunt, & particula *tum* alteri inſerenda:

. . . . . . ecquid habet? CH. *rogat?*
Murrhinam, tum paſſum, defr.

CAPUT VI.

Miniſteriis, negotiis præfulciri. Si erat coquus, Si homo eſſet. Drachmâ, nummo, aſſe, gratuito eſſe. Numerus ſingularis pro plurali, & contrà. Cum aliquo cavere, captare, orare, obſecrare. Proverſus, prorſus, & cognatæ voces. De trajectione loci unius, plurium alia correctione, dubiâ quorundam ſententiâ, & loci explicatione variè diſceptatum. Verſus unius in Varrone diverſa ſcriptura monſtrata.

PErgo ad alias: & quæro, quid in illa *Cui ſervitutem* ſit, *miſeriis præfulciri.*

Velut hæc mihi evenit ſervitus, ubi ego omnibus
Parvis, magniſq; miſeriis præfulcior.

Mirum verò, ni emendandum *miniſteriis*. Nam & id conqueritur puer, omnia in ipſum miniſteria imponi, & Plauti lepidiſſima phraſis, eſt miniſteriis, vel negotiis aliquem præfulcire. Perſæ initio:

Quin mihi imperet, quin me ſuis negotiis præfulciat.

quem locum optimè contra alios, qui *præfuciat*, id eſt *præficiat*, imprudenter mutabant, Gulielmius defendit, & eruditè illuſtravit. Jam in ſequenti *Forum*, ſenſus duplex poteſt illorum eſſe:

Sed cur ſedebas in foro, ſi eras coquus
Tu ſolus præter alios?

Nam ut nunc diſtinguitur, coquum ſolum præter alios, præſtantiſſimum interpreteris. At ſi comma poſt ipſum *coquus* colloces, exoritur alia locoq; aptior, ut mihi videtur, ſententia. Quæritur enim, cur ſolus præter alios in foro deſederit: atq; id reſpondetur.

Hoc ego fui hodie ſolus obſeſſor fori.

Seorſum igitur accipienda verba, *ſi eras coquus*, elegantiſſimo quoque ſenſu. Sic nempe hoc dicitur, ut vulgatius iſtud, *ſi eſſes homo*. Subſequitur mox:

Illi drachmis iiſſent miſeri, me nemo poteſt
Minoris quiſquam nummo ut ſurgam ſubigere.

Omnium hic optima N. Douſæ mihi lectio ſit, *Illi drachmæ eſſent*, niſi magis amoren' an judicio in Gulielmii noſtri inclinarem. *Illi drachmis ſunt*. Movet honeſtiſſimum loquendi genus, cujus uni, quod ipſe dat, exemplo paucula hæc ſuperaddo. Tullius divinat. in Verr. *Cum eſſet tritici modius. HS. II. pro frumento in modios ſingulos duodenos ſeſtertios exegiſſe.* Varro: *Aſſe vinum, aſſe pulmentarium eſt. Eas, quò naturæ aurigatur neceſſitudo.* Sic enim eum locum poſt alios emendatum volo. Ac ad formam Plauti jam quoque Ciſtellariâ legerim. Sc. *Niſi quid*:

At pòl ille quidam, mulier, in nulla opera gratuito eſt.

De cetero, volebat & altero verſu quidam amicus meus mutare:

Minori quî, quàm nummo, ut ſurgam, ſubigere.

cui rectum vulgatum non poteram perſuadere. Verborum tamen hic ordo ſententiam eandem facit: me nemo quiſquam ſubigere poteſt, ut ſurgam minoris nummo,

mo, ſeu quàm nummo. Poſt multa, in joco iſto elegante, qui pridem ab aliis explicatus:

CO. *Ubi amnes patiaæ ferveut, omnes aperio.*
Is odos demiſſis pedibus in cœlum volot.
Eum adorem cœnat Juppiter quatidie.
BA. *Odor dimiſſis pidibus?* CO. *peccavi inſciens,*
BA. *Quid eſt?* CO. *quio enim demiſſis manibus volui dicere.*

traductio verſiculi unius poſſit uſurpari, quam indicabo ſaltem ego leviter, non & audacius approbabo:

CO. *Ubi amnes patinæ fervent, omnes aperio.*
Is (ſibi) odos demiſſis pedibus in cœlum volat.
BA. *Odor demiſſis pidibus?* CO. *peccavi inſciens.*
BA. *Quid eſt?* CO. *quia snim demiſſis maaibus volui dicere.*
Eum odorem cœnat Juppiter quotidie.
BA. *Si nuſquam is coctum, quidnam cœnat Juppiter?*
CO. *It incœnatus cubitum.*

Aptam eſſe, nec indignam, de qua monuerim, quivis intelligit. Ac vulgaris ordo quamquam tueri ſe ſanè poteſt, fortè malet tamen huic novitio cuncedere, ſi ſollicitetur. quod ego me non facturum antè dixi. Deinceps:

Si quò bic grodietur, pariter progrediminor.

Adnota pro ſingulari numero pluralem, quia facie iſta minus uſitatus, niſi Plauto: cujus & Epidico extremâ:

PE. *Cedò manus igitur.* EP. *morontur nibil. atq; arctè colligo,*
Nibil verò obnoxiosè. PE. *facto opere arbitraminor.*

Contrà pro plurali ſingularis, qui multo minus uſitatus, eadem tamen Epidico à noſtro:

AP *Non edepol faciemus.* EP. *imò ſi placebit, utitor*
Conſilium: ſi non placebit, reperitote rectius.

Etſi Lambinus illic damnabat, & *utiminor* invitis verſus numeris reponebat. Ibidem porrò:

CO. *Habe modò animum bonum.* BA. *quæſo, qui poſſim doce*
Animum bonum babere, qui se ad me adducam domum.

Paucis interiectis:

Sed utrum amicis bodie, an inimicis tuis
Daturus cœnam? BA. *pol ego amicis ſcilicet.*
CO. *Quin tu illos inimicos potius, quàm amicos vocas.*

Quæ ratio eſt, ut inimicos potius appellet? Quæ quidem ſubjungitur, in aliam mentem it, quaſi coquus non amicos, ſed inimicos vocari voluerit ad ſuam cœnam. Cum, inquam, amicos ſe vocaſſe Ballio diceret, ille potius inimicos invitari jubet: quia conditurus ita cœnam ſit, ut digitos ipſi ſibi prærodant ſuos: quæ pœna magis fuerit in hos, quam beneficium, aut officium in illos. At huic tam accummodato ſenſui ſola repugnat *illos*, quæ mutetur *illo*, an ejiciatur rectius, haud dum ſtatui mecum, nec alterutrum igitur attento. Denique ibidem leviſſimum eſt, quod non omitto:

Ita in ædibus ſunt ſures, præda in praximo eſt.
Jam à me bie vicinus apud forum paullo prius &c.

Melior orationis ſententiæque nexus, *Nam à me bie.* Scenâ *Si nuquam:*

Dedis verba mibi bercle, ut opinor, malus cùm malos ſtultè cavi.

Affirmo legendum, ut vetuſtioribus excuſum, *malus cum malo ſtulsè covit.* Cavere cum aliquo, locutio Plautina, quæ Moſtellat.

Hercle mibi tecum cavendum eſt, nimiſquam es arator catus.

Ad quam fabulam, & *captare aliquo* ſic firmavi: ſuntq; alia multa generis hujus apud Comicos obvia. Ex illis frequentiſſimum, *cum aliquo orare*: quo exemplo Titinnius Fulloniâ:

Perii bercle verò. Tiberi nunc tecum obſecro,
Ut mibi ſubvenias, ego ne majalis ſuam.

Poſt multa: . . . . . . PS. *qui poteſt?* SY. *occidis me.*
Cum iſtuc rogitas. PS. *ô bominem lepidum, te quoq; etiam dolis,*

Atq;

Atq; etiam mendaciis, Juppiter te mihi ſervet.

Non video, ſententiæ quid illis verbis intermediis ſubſit, *te quoque etiam dolis, Atq; etiam mendaciis*: maximè, quoad Pſeudolo tribuuntur. Nam ſi Simiæ Sycophantæ; poſſis interpretari de mutua laudatione: te quoque etiam ſcilicet hominem lepidum dolis, ac mendaciis. Etſi longè etiam alia tum non ſit abſurda explicatio, ſi dicas, hoc Simiam velle eàdem ellipticâ oratione: te quoque ipſum ita fecerim dolis, mendaciiſque, ut eſſe te eum, qui ſis, neges: quod quidem jam jam promiſerat advenæ militari ſe facturum:

Sic ego illum dolis, atq; mendaciis in timorem dabo
Militarem advenam, ipſe ſeſe ut neget eum eſſe qui ſiet.

Hoc, an illud malueris, ſi volueris tamen alterum; perſonas ipſe tibi coaptato. Deniq; ſi prius arriſerit magis, & laudationem mutuam acceperis, erit eadem in ſequentibus etiam verbis:

. . . . PS. *Juppiter te mihi ſervet.*
SY. *Imò te mihi.*

Nam *te* inſeritur in eam ſententiam aptè: quamquam in longe aliam alibi ſcio me retuliſſe, cum ad Menæchmos agerem de particulis *Mihi*, *Tibi*, in quibus more peculiari Plautus interdum argutatur. Sed hæc nunc, ut fatear, mihi quidem magis probetur, conſpirantibus ſic verbis in alternam collaudationem, & beneprecationem. Reliqua verſus hujus verba ſincera minimam tamen quamdam admittunt mutationem, vix animadvertendam: *ſed vide ornatus hic ſatiſne concedet?* In propinquo:

. . . . . *nam ſi exoptem, quantum dignus, tantam dent*
Minus nihilo eſt.

Fortè *quanto dignus*. etſi non exegerim hanc antiquitatem ſtrictè ad noſtrorum canones grammaticorum. Ambiguitas deinde levis jocum parit nec ipſum magnum, jocum tamen, & eum Plautinum:

SY. *Niſi effecero, cruciabiliter carnifex accipito.*

Nam *accipito* perſonæ ſecundæ, & tertiæ eſt: dumque hac carnificem imprecatur ſibi, ſimul illâ, carnificem ipſum Pſeudolum appellat. Verſus ultimus:

Non prorſus, verùm ex tranſverſa cedit, quaſi cancer ſolet.

aliter Varronis tempore lectus fuit, ſi hunc ille deſignat lib. 6. de L. L. *Apud Plautum, Ut tranſverſus, non proverſus cedit, quaſi cancer ſolet.* Et deſignaſſe videtur ex iis, quæ ſubjungit in explicatione: *Dicitur ab eo qui in id quod eſt verſus, & ideo qui exit in veſtibulum, quod eſt ante domum, Prodire, & procedere dicitur, quod cum leno non faceret, ſed ſecundum parietem tranſverſus iret; dixit: ut tranſverſus cedit, quaſi cancer; non proverſus, ut homo.* Ecce de lenone verſum capit: hic autem leno, in quem explicatio convenit examuſſim. Et rem profectò diſertius aliquanto exprimit illa ſcriptura vetus: quamquam *prorſus* nihil prorſus a *proverſus* iſto differt. Eadem enim ſunt, & hoc hodiernum ex altero contractum, qua forma *quorſum*, *horſum*, *aliorſum*, & ſimilia, nata ex integris *quoverſum*, *hocverſum*, *alioverſum*.

CAPUT VII.

Scenæ aliquot percurſæ; correctionibus, explicationibus illuſtratæ: Binæ præterea trajectiones in una, ſed dubiæ, propoſitæ.

Nimis ſæpe, nimis apertè contra ſenſum ipſum noſtri libri peccant, quibus locis veram retinuerunt editiones illæ, quas ubique laudo, veteres ſcripturam. Ut ſcenâ *Minus malum*, quid magis vitii manifeſtum, quam *juſſerat* in illis?

SY. *Habeto numerum ſedulò: hoc eſt ſextum à porta proximum*
Angiportum, in id angiportum me devorti juſſeras.

Et quis vel ultrò non viderit ſcribendum *juſſerat*, quod ex antiquis omnes poterant haurire? Receſſerat enim jam à Pſeudolo, ne ad illum loqui putes: & ad eum non locutum, proximus, ſi nihil aliud, verſus oſtendit:

Quotumas ædes dixerit, id ego admodum incertò ſcio.

Ma-

Majuſculo intervallo ſcribunt omnes editiones:

Ipſe ſum adoleſcens quem tu quæritas. SY. *tune es Ballio?*
BA. *Ego enim verò is ſum.* SY. *ut veſtitus eſt perfoſſor parietum?*
BA. *Credo in tenebris conſpicatus ſi ſis me, abſtineas manum?*

Et rectè ſcribunt, ſi tamen interrogationum notæ abſint extremo, medioque verſu. Nam ultimo nihil omninò quæritur, nec altero ſane quidquam. Hunc facilè quivis ceperit; illum non uſquequaque, niſi levites moneatur. Verba enim Simiæ, *Ut veſtitus eſt, perfoſſor parietum*, in medio ſic diſtinguenda, id ſonant: Ut veſtitus, & habitus tuus eſt, τοιχωρύχος es ſeu videris, qui te lenonem Ballionem dicis eſſe. Sola omiſſio verbuli *es* in fine, ſenſum hactenus obſcuravit, qui nunc ab interpunctione ruſus elucebit. Poſt aliquanta:

SY. *Accipe hem, cagnoſce ſignum.* BA. *ebo Polymachæroplacides*
Purus putus eſt ipſus, novi, heus. SY. *Polymachæroplacides*
Nomen eſt. ſcia jam tibi me rectè dediſſe epiſtolam,
Poſtquam Polymechæroplacidæ elocutus nomen es.

Cenſeat aliquis legendum: *Purur putus eſt ipſus, novi.* SY. *hem, Polymachæropl.* ut Simia militis nomen auditum a lenone nunc eloquatur. At ego contra perſonis verba ſic tribuo:

Purus putus eſt ipſus, novi. heus, Palimachæroplacides
Nomen eſt. SY. *ſcia jam tibi me rectè d. ep.*

Non Simia nomen profitetur heri facti, quod antè neſcierat, ſed leno juſſus ab eo memorare. Hic acceptà epiſtolà ſignum cognoſcens, militis imaginem agnoſcit: & ſecum iſta primò, *ebò Polymachæroplacides purus putus eſt ipſus, novi*: tum ad Sycophantam, *heus, Polymachæraplacides nomen eſt*. Atque ibi ille, Jam poſtquam nomen es hoc elocutus, inquit, rectè tibi datam epiſtolam ſcio: Sic enim callidus, & aſtutus nebulo, pænè in mendacio depsehenſus, explicabat ſe præter ſpem Pſeudoli, cum de nomine interrogatus interrogaret ultrò captator improvidum Ballionem:

SY. *Noſce imaginem, tute ejus nomen memorato mihi,*
Ut ſciam Ballionem te eſſe ipſum.

Scenà *Ne plora*.

PS. *Quid tu intus quæſo deſediſti? quàm diu*
Mihi cor retunſum eſt oppugnendo pectore?

Legas rectius:

PS. *Quid tu intus quæſo deſediſti tam diu?*
Mihi cor retunſum eſt opp. pectore.

Scenà *Habæ*, vel ut veteres. *Babæ*:

Mihi lubes nunc venire Pſeudolum ſcelerum caput.

Verſus gravatur, nec ſenſus deſiderat, quod iidem veteres omittunt initio, *Mihi*. quocirca deleatur. Ex hac autem ſcenà, fuit, cum primum verſum illorum

Conceptus hercle verbis ſatis certò ſcio
Ego periurare mavellem me millies,
Quàm mihi illum verba per deridiculum dare.

argutà nimis, & ſupervacuà divinatione transferrem in ſcenam proximam, & collocarem iſto loco:

SI. *Nullum periclum eſt, quod ſciam, ſtipularier.*
BA. *Conceptis hercle verbis: ſatis certò ſcio.*
SI. *Ut concepiſti verba, viginti minas*
Dabin'? BA. *dabuntur.*

Quod non quia placeret etiam num mihi, poſui: quamquam diſplicere qui poſſit omninò? ſed ut faterer ipſe, lubricas aliquando, & incertas has trajectiones, quibus indulgere nolo tamen, nec indulſi uſquam abſque certa ratione. Hic quidem loco ſuo verſum relinquo: ſed aptum, & altero per luſum oſtendo. quod jucunditatis percipitur ex iſta quoque inani contemplatione: qua videbis, abeſſe, quamquam non debet, poſſe tamen illo veteri loco: ſic autem convenire iſti novo, ut neque, ſi legeretur hic ab antiquo, alienum eſſe; neque, niſi jam legeretur illic, illò pertinere ſuſpicio cuiquam ulla ſuboriri poſſe videatur. Sed in quam ſcenam aliena non temerè introducimus, in ea propria ſi quæ ſunt, conſideremus.

Et ſunt quidem, ſed tam parva quam pauca. Verſu:

Si ille hodie illa ſit potitus muliere.

fac è priſcis *Si illic*. Pudet iterare, quod tam ſæpe ſuprà dictum, idem utrumq; ubi ſ; eſſe, ſed hoc vetus, cui novum ſuppoſitum, á numeris alicubi poſtulati. Deinde pariter è priſcis inſere, volente verſu:

Meminiſtin' obſecro tibi me dudum dicere.

Nam *obſecro* ni adſit, ille non eſt plenus. Statim:

SI. *Memini*. BA. *hem illius ſervos hic ad me argentum attulit,*
Et obſignatum ſymbolum. SI. *quid poſtea?*
BA. *Qui inter me atq; illum militem convenerat,*
Is ſecum abduxit mulierem haud multo prius.

poſſiſne ferre trajectionem hujuſmndi?

Et obſignatum ſymbolum, convenerat
Qui inter me atq; illum militem. SI. *quid poſtea?*
BA. *Is ſecum obduxit.*

Certè duriter interponitur particula prioris narrationis interrogationi, reſponſionique novæ. Nam omninò quidem ad ſymbolum referenda verba, *Qui inter me atq; illum militem convenerat*; non ad ſequentem verſum, ut accipias, tamquam homo etiam certus inter eos is conveneut, qui mulierem abduxit, id quod maniteſtiſſimè falſum. Atq; eu, ſi feras tamen verborum ordinem vulgatum, quem nec ego penitus rejicio, verſus poſteriores interpunctione alia diſterminabis, ne ſenſu videantur cohærere.

Denique ibidem:

Quem jam quidem illum in Sicyonem ex urbe adduxit modò.

Puer, ſi videat, aut neq; videat antiquam lectionem, cogitet ipſe tamen & præferat, *abduxit*.

CAPUT VIII.

Niſi quid. Bilinguium. Bilingui inter ſe prehendere. Parcipromus: Commemorare. Joci aliquot explicati: perſonæ plures paſſim inverſæ: continui tres verſus ejecti: verba quædam trajecta. Multa alia aliter emendata, ſubinde interpretata.

QUando ſumſimus hoc nobis, ut neque tenuja negligeremus, ſi ſententiam pervetterent, aut impedirent; notabitur hoc quoque Sc. *Malus & nequam.*

Sed tu bone vir flagitare ſæpè clamore in foro,
Cum libella nuſquam eſt, niſi quod leno hic ſubvenit tibi?

Nam interrogationis hic adjecta nota nonne, vel obſcurat ſenſum, vel extinguit? Aufer, & *niſi quid* etiam ſcribe, de qua locutione ſupra mihi ad Moſtellariam plura dictum. Jocum deinde nimis conſpicuum non vidit tamen Lambinus iſtic:

SI. *Heus memento ergo dimidium iſtinc mihi de præda dare:*
Commune iſtuc eſſe oportet. BA. *quid, malum? id totum tuum eſt.*

Sanè interiectiva quaſi particula eſt *malum* in indignatione ſolennis, ſed & nomen ſimul, damnum, & cruciatum notans. Dumque hoc dicere videtur: quid adeo commune lucrum iſtuc poſtulas? totum id quidem eſt tuum; illud interim dicit: quid commune tibi poſtulas mecum? malum? id verò totum tuum erit, nec mihi partem inde peto. Quod monui, ne fugeret eos, qui Plautum ex illis ta[illegible] Commentariis intelligunt, ſi quid inde tamen, quod eſſe perparum oportet, intelligunt rectè. Mox perſonas aberraſſe à verbis puto, an verba magis à [illegible]?

Quom mox mihi operam das? SI. *tibi do equidem*. BA. *quid nunc mihi es auctor Simo?*
SI. *Exploratorem hunc faciamus ludos ſuppoſititium.*
BA. *Adeo, donicum ipſus ſeſe ludos fieri ſenſerit,*

Se-

Sequere, quid ais?

Puto aberraſſe? imo ſcio. Quid enim obſecro, leno Simonis operam poſtuler, qua utebatur, ut illum quidem etiam reſpondere fecerunt? Nugæ eæ ſunt. Harpax, à quo leno ſeceſſerat ad Simonem, impatiens moræ, quærit an tandem operam ſibi ſit daturus, cui reſpondet is, Ipſi daro ſe jam quidem, quippe qui illum ſenem advocet etiam in rem præſentem, quod paullo antè cum venia ipſius ſe dixerat facturum.

. . . . . . BA. *videa. hunc advocare etiam volo.*
Mane modo iſtic, jam revortar ad te.

Scribe igitur iſta cum his perſonis:

HA. *Quam mox mihi operam das?* BA. *tibi do equidem: quid nunc &c.*

Sed iiſdem nec reliqua diſtribuuntur aptè, quæ tu ſic mecum ordinabis:

SI. *Exploratorem hunc faciamus ludos ſuppoſititium*
Adeo, donicum ipſus ſeſe ludos fieri ſenſerit.
BA. *Sequere. Quid ais? nempe tu illius ſervos es?*

Intervallo magno magnum facinus factum: Reperiri tres continui verſus, qui ſuperius hac ſcenâ leguntur iidem:

Edepol hominem verberonem Pſeudolum, ut doctè dolum
Commentuſt? tantundem argenti quantum miles debuit
Dedit huic, atq; hominem exornavit, mulierem qui abduceret.

Sequuntur optima ſerie, locoq; planè ſuo, poſt illum verſum:

SI. *Quid jam?* BA. *an neſcis quæ ſit hæc res?* SI. *juxta cum ignariſſumis.*
BA. *Edepol hominem verb.*

Hic autem non commodè hercle iterantur; & quia paucis in editionibus antiquis exſtare video, non exſtare autem prorſus in optimis Colunienſi, Aldina, Florentina; fidenter exturbo, ſicque interpoſitu illorum divulſa conjungi de integro volo, quæ profectò gaudent in unum coire denuò liberata importuno alienorum interventu, diutinaq; interpellatione:

BA. *Mea tu epiſtolam dediſti ſervo? cui ſervo?* HA. *Syra.*
BA. *Non confidit, ſycophanta hic nequam eſt, magis meditatur malè.*
Nam illam epiſtolam ipſus verus Harpax huc ad me attulit.
HA. *Harpax ego vocor &c.*

Qui defendere contra nos iterationem vulgatam molietur, tam erit ipſe, quam illa eſt, ineptus. Porrò verſu:

Tu, qua facie fuit dudum cui dediſti ſymbolum?

Scribe *fuvit*, de quo ſimilibuſque prius. Hunc qui ſequitur, ei præponere Harpacis nomen in editione Douſica neglexerunt: quod vitium in eadem crebriuſculum nec indicavi ubiq;, nec indicabo, ne & inſectari illam prorſus optimam videar, & quia corrigi ex aliis faciIlimè poteſt. Iterum perſonæ ſtatim videntur aliquantulum turbaſſe:

Magnis pedibus. SI. *perdidiſti poſtquam dixiſti pedes.*
BA. *Pſeudolus fuit ipſus. actum eſt de me. jam moriar Simò.*

Sanè cum veteribus ita diſtinctum malim:

. . . . . . SI. *perdidiſti poſtquam dixiſti pedes:*
Pſeudolus fuit ipſus. BA. *actum eſt de me.*

Sed iterum ſtatim non videntur, ſed omninò turbarunt, ac graviter, eædem:

SI. *Hercle haud te ſinam emoriri, niſi argentum mihi redditur.*
Viginti minæ. HA. *atq; etiam mihi aliæ viginti minæ.*

Contrà mutandæ ſunt:

HA. *Hercle haud te ſinam emoriri, niſi argentum mihi redditur,*
Viginti minæ. SI. *atq; etiam mihi aliæ viginti minæ.*

Nam repoſcit Harpax heri ſui nomine viginti minas, quarum quinque ipſe nunc, quindecim herus dederat jam ante. Repoſcit autem prior, ac poſt eum exemplo illius ſenex Simo viginti alias, quas erat inſtipulatus. Argumenta & alia, & præcipua duo ſunt hujus collocationis. Scriptum enim *redditur*, quod verbum Har-

paci

paci convenit magis. Dein proximæ flagitationi reſpondet leno: reſpondet autem ſenis, ſenis igitur flagitatio poſterior. Scena *Quid hoc?*

An id voltis, ut me hic jacentem aliquis tollat?

Simile Moſtellar. *Jacentes tollet poſtea nos ambos aliquis.*
Sed ad vitia: quorum illud unum certò credo:

Ubi alter alterum bilingui manifeſtò
Inter ſe prehendunt.

Nec enim vel *bilingui*, vel *bilinguies* convenit admodum verbis, etſi ſententia ſatis clara. Nam quis dici non ſentit, quod alias ſolet, de duplici lingua beſtiæ proſerpentis? Equidem meo animo legatur elegantiſſimè *bilinguis*. Jam & jocus in phraſi: *alter alterum bilinguis manifeſtò inter ſe prehendunt*. Prehendere aliquem manifeſtò criminis aut rei alicujus, eſt, in ipſa re coram deprehendere: quam locutionem defendimus, & aſſeruimus ad Bacchides illuſtribus exemplis. Amator autem & amica cum oſculantur, καταγλωττίζουν, uterque alterum manifeſtò deprehendunt duplicem habere linguam: & id lingua inter ſe deprehendunt, quam ipſa inter ſe prehendunt. Non potuiſſe videtur mihi, ſi voluerit etiam, venuſtius hac in re loqui poeta. Poſt pauca:

Non enim parcè promi victu cetero, ne quis me roget.

Scio, infinitivos præcedere ad hoc exemplum multos: ſed id me non abſterret, quin ſcribendum una voce hic cenſeam *parcipromi*. ſubintelligitur, fuimus. Ipſa vox unice Plautina. Truculento:

Sed iſti, qui cum geniis ſuis belligerant, parcipromi.

Penultimo ſcenæ verſu:

Nunc ab hero ad herum meum majorem venio fœdus commemoratum.

Fœdus ſtipulatio eſt: *commemorare*, valet commonefacere, in memoriam reducere, ut Nonius id verbum explicat binis M. Tullii exemplis: quorum alterum prorſus ineptum, prius vix aptum interpretationi: ſolum hoc Plauti aptiſſimum, quod non adduxit. Adduxi autem & notavi hic ego, ne quis id vulgari ſenſu capiens, *fœdus* in *facinus* commutet, quod vidi jam aliquem tentare. Scenâ ultimâ variè ſcribitur iſtud?

PS. *Cur ergo me afflictor?* SI. *quid tu (malum) ergo in os mihi ebrius irructas?*

Veteres *Cur ego me afflictem?* Cenſeam verum, *PS. Cur egomet afflictor?* In eadem penitiore, trajectio verborum facta eſt, quam è ſenſu non difficulter odoreris:

SI. *Credo equidem poteſſe te, ſcelus, Maſſici montis uberrimos quattuor*
Fructus ebibere in hora una. PS. *hiberna addito.* SI. *ſed dic tamen.* PS. *haud malè*
Mones. SI. *unde onuſtam celocem agere te prædicem?* PS. *cum tuo filio.*
Perpotavi modo.

Dico, & edico reponendum, extritâ etiam perſonâ:

. . . . . PS. *hiberna addito.* SI. *haud malè mones.*
Sed dic tamen, unde onuſtam celocem agere te prædicem?

Cum de hiberna hora ſervus ſubjeciſſet, haud malè monere eum ſenex ait: ſed jubet porro dicere, unde ſic veniat probè ſaburratus. In antiquis aliquot hæc verba, *dic tamen, haud malè mones*, omiſſa ſunt: quod haud aliunde credendum eſt, niſi per hanc trajectionis occaſionem. Sequitur è veſtigio:

. . . . . *Sed Simo, ut probè tactus Ballio eſt? quæ tibi dixi*
Effecta reddidi. SI. *derides?* *peſſimus homo es.* PS. *mulier hæc*
Facit, cum tuo filio libera accubat. SI. *omnia ut quidquam egiſti, ordine*
Scio.

Quid *mulier hæc facit?* accubat ſcilicet. Sed quid hoc locutionis? An verò id facit, ut peſſimus is homo ſit? Nec hoc placeat. Arbitror emendandum:

. . . . . . PS. *mulier hæc,*
Feci, ut cum tuo filio libera accubet.

Dein-

Deindè certè cum veteribus ſcribendum: SI. *omnia ut quidq; egiſti*: non *quidquam* vel adeo inde, *quidq; jam*. Deinceps eſt:

. . . . . . onera hunc hominem, atq;
Conſequere hàc. SI. *ego iſtam onerem?* PS. *onerabis ſcie*. SI. *quid ego huic homini faciam?*
Stetim ultrò & argentum aufert, & me irridet. BA. *væ victis*. PS. *vorte ego humerum,*
Hem. BA. *hoc ego nunquam ratus ſum fore*.

Quiſquamne dubitabit, & hic veteres ſequendos? in quibus diſertè:

Satin' ultrò & argentum aufert & me irridet?

ſed ibidem, quod indidem non haurias, non Pſeudoli verba ſunt, ſed Simonis, *vorte ergo humerum*. Juſſerat onerari ſe ſervus, argento ſcilicet, iſtis ex ſtipulatione debitis viginti minis: & eum non aliter poſſit ſenex oneraturus eum, jubet nunc viciſſim, advortere ſibi humerum, ut pecuniam imponat. Alius non eſt verborum ſenſus opportunus ullus: quibus igitur perſonam ſenis, eraſa Pſeudoli, præſcribes. *Hem* vel ſervi humerum vertentis eſſe poteſt, vel heri argentum in collo collocantis. Iſto verſu:

BA. *Non audes quæſo aliquam partem mihi gratiam facere hic argenti?*

Scribito *facere hinc*. Itemque ſequenti ſtatim:

PS. *Novi, me dices avidum eſſe, nam hinc nunquam eris nummo divitior*.

Ita veteres hoc poſteriore, non *hoc*, ut in noſtris malè. Poſtremò illi:

BA. *redeo*. PS. *ſimul mecum potatum*. BA. *egone eam?*

inſerendum fortaſſis, *i ſimul mecum*. Atque ita jam & Pſeudolus à nobis abſoluta.

VALENTIS ACIDALII

IN PLAUTI POENULUM DIVINATIONES, ET INTERPRETATIONES.

AD

NOBILISSIMUM VIRUM

ANDREAM HANNIWALDUM

Ab Eckerſdorf, in Pilſnitz, & Rotſirba, Sac. Cæſ. Maj. à conſiliis, & ſecretis aulicis.

CAPUT I.

Pœnuli Periochâ, & Prologo variè correcta quædam. Verſus alii aucti, in numeros alii digeſti, alii trajecti. Nonnulla, & explicata.

QUod oſtendi aliquoties alibi, periocharum verſus ex ipſis plerumque fabulis, vel deſumtos integros, vel utcumque imitatos: idam clarè liquet ex hujus initio ipſo. Primus enim verſus totus iiſdem verbis omnibus è prologo deſumtus:

Puer ſeptuennis ſurripitur Carthagine.

quem inveniet illic qui volet quærere. Tertius argumenti porrò:

Et facit heredem: ejus cognatæ duæ &c.

auctior in veteribus eſt & melior, inſertâ voce, *ejus tueri cogn.* quam numeri, ſenſuſque cupidè receptant. Et aliàs ambiguum erat, de quo iſtud *ejus* diceretur, de ſene, an puero: neque jam hiatus admittitur: uti nec quidquam abundat, ſi Plauti conſuetudinem obſerves idem *ejus* in monoſyllabam contrahendi. Ac ſcilicet eam qui ignorarent, eos alteram vocem extruſiſſe. Prologo ipſo quod legitur.

Scortum exoletum, ne quis in proſcenio
Sedeat, neu lictor verbum, aut virgæ mutiant.

malè de pueris ſaltem Lambinus cepit: ſed Lipſius è veteri more prudentius explicavit. Cenſeam tamen, ut locutio ſit minus aſpera, vocales extremarum in *Scortum exoletum* ſyllabarum faſtigiatis illis apicibus inſigniendas, ut patrii caſus habeantur ex numero pluralitatis:

Scortûm exoletûm ne quis.

Et *quis* ad utrumque jam ſexum referri poteſt: ſiquidem & pro *quæ* vel *aliqua*. Plauto frequentatur. In reliquis etiam fortè mutandum,

neu lictor verbo aut virgâ mutiat.

Deinceps ſic legerim:

Ni-

Neve ambitionis cauſſâ extrudantur forâs,
Quò deteriores anteponantur, boni.

expeditiore ſenſu, quam ſi neglectâ diſtinctione tali *bonis* ſcribatur. Etiam in illo:

Nunc dum ſcriblitæ æſtuant, accurrite.

rectius ad ſenſum *accurrite.* Quid autem jam illic monſtri?

Ejus nunc regiones, limites, confinia
Determinabo, ei rei ego ſum factus finitor.

Spondæus in Jambis ultimo loco? Sic eſt quidem, niſi brevis in *finitor* penultima: quod qui poſſit eſſe? Repone verborum ordinem antiquum, ut in plerisque veteribus ſervatur:

ei rei finitor factus ſum ego.

In dimenſione, *ei* & *rei* monoſyllaba ſunt: tum pedes priores duos conſtituunt verba *Determinabo ei*: ut leviter juvem, qui Plautinam rationem minus callent. Sequitur:

Sed illi ſeni qui mortuus eſt, filius
Unicus qui fuerat.

Ajo inſerendum, *qui mortuuſt, ei filius Un.* Plauti repetitio eſt *illi, ei*: quam verſus hic depoſcit. Atque ille illic porrò

Altera quinquennis, altera quadrimula:

propior eſt poſcenti, quàm renuenti particulam in veteribus interjectam, *altera autem quadr.* Tum iſte,

Huc commigravit in Calydonem haud diu,

malit antiquâ ſerie verborum digeri ſuos pedes:

Huc in Calydonem commigravit haud diu.

Sic enim primogeniti, ut ſic dicam, libri ſub ipſam typographiæ infantiam nati. Sequentes etiam:

Suam ſibi cognatam imprudens, neq; ſcit quæ ea
Sit, neq; eam unquam tetigit: ita eum leno macerat.

rectius concinnaveris:

. . . . neq; ſcit quæ ea ſiet,
Neq; eam unquam tetig.

Poſt deinde:

Dat aurum, ducit, noctem rogat. poſt ibi
Unde ſit, cujatis, captane an ſurrupta ſit &c.

ὕστερον πρότερον eſt. Rogatur enim prius nox, quàm ducitur. Et *rogitat* fuerit ſcribendum numerorum cauſſâ. An tamen ſic ordinanda verba?

Dat aurum, noctem rogitat, ducit.

Non arbitror: potius, ad ſequentia pertinere τό *rogitat*, quod & liquidò ſic ſcribunt, & iis, quibus volumus, adjungunt editiones priſcæ, poſtulante ſententia, quæ aliàs defecta: nihil ut dubitari debeat, quin ita reponendum:

Dat aurum, ducit noctem: rogitat poſt ibi
Unde ſit.

Tam ducere noctem Comici dicunt, quàm velle aut rogare. Trucul.

Si raras noctes ducit, ab animo perit.

Hæc levia: non nego, ſed ad finem quis traductionem mihi contemſerit, à nemine animadverſam? Ita ſcilicet vulgatur:

Is hodie huc veniet, reperietq; hic filias.
Et hunc ſui fratris filium, ut quidem didici ego.
Ego ibi ornabor, vos æquo animo noſcite.
Hic qui hodie veniet, reperiet ſuas filias,
Et hunc ſui fratris filium, dehinc ceterum
Valete, adeſte. ibo, alius nunc fieri volo.
Quod reſtat, reſtant alii, qui faciant palam.
Valete atq; adjuvate, ut vos ſervet Salus.

At diſiectum ordinem quis paullo attentior, ſi non videar ipſe, mihi ſaltem indicanti non aſſentiatur? Omnino reſtituendus ille hunc in modum:

Is hodie huc veniet, reperietq; hic filias,
Et hunc ſui fratris filium, ut quidem didici ego.

Hic

Digitized by Google

Hic qui hodie veniet, reperiet ſuas filias,
Et hunc ſui fratris filium, dehinc ceterum
Quod reſtat, reſtant alii qui faciant palàm.
Valete, adeſte: ibo, alius fieri nunc volo.
Ebo ibo, ornabor: vos æquo animo noſcite.
Valete, atq; adjuvate, ut vos ſerves ſalut.

Qnamquam poſtremi verſus etiam diſponi poterunt aliter, & æquè benè:

Quod reſtat, reſtant alii qui faciant palam
Ego ibo, ornabor: vos æquo animo noſcite.
Valete, adeſte: ibo, alius fieri nunc volo.
Valete, atq; adjuvate, ut vos ſerves ſalut.

In primis certum eſt expellendum eum, qui ſe medium interpoſuerat: ne repetitio illa ſenſus, & verborum eorundem importunè divellatur. Utcunque tamen de omnibus ſtatuetur; *Ego ibo, ornabor* erit protſus accipiendum: quando vel à numeris *ibi* repudiatur.

CAPUT II.

Domi doctus. Maccrare. Mala malitia. Verùm, verò, pro Imò, multis exemplis. Scenæ primores duæ totæ emaculatæ. In iis plures verſus vel longiores, vel turbatiores concinnati; unus dubiæ ſedis, tamen in ſua nunc relictus, & conſtitutus; duo ſpurii locis diverſis ejecti: diſtinctiones, & perſonæ ſæpius mutatæ; una etiam nova pediſſequæ inſerta: locus, in quo quidam nugati, parentheſi explicatus: alia poſt alios aliter correcta, quædam & interpretata.

PRimâ ſcenâ trahit ſupra menſuram verſus prior iſtorum:

AC. *Jocare.* MI. *vin' tu illam hodie ſine damno, & diſpendio*
Tuo, tuam libertam facere? AG. *cupio Milphio.*

Quod cum ipſa dimenſio prodit ultrò, tum antiquæ ſubindicant editiones, quibus abſunt voces *& diſpendio*. Eas certum eſt delendas, atq; ita utrumq; verſum componendum:

AC. *Jocare.* MI. *vin' tu illam hodie ſine damno tuo*
Tuam libertam facere &c.

Neq; verſuum alteri, neq; toti ſententiæ quidquam decedit. Ibidem & ille verò à

Se amare velle atq; obſequi animo ſuo.

potius inverſo ſcribatur ordine verborum, qui ferè eſt in iiſdem antiquis:

Amare velle ſe, atq; animo obſequi ſuo.

Scenâ deinceps alterâ:

Atq; hæc ita loquor, nunc modo docta dico.

legendum è libris melioribus, *uti loquor*: & fortaſſis è conjecturâ noſtrâ *domi docta*, non *modò*, quod pro altero illo ſæpiculè ſubjectum. Locutio ſimilis illi *Domi ſcire*, quod eſt, de ſeipſo, non foris vel aliunde, ſive ab aliorum exemplo. Statim ſpurium verſum teneo, cui ſtatus controverſiam à nemine notam adhuc miror:

Nam nos uſq; ab aurora ad hoc quod diei eſt,
Poſtquam aurora illuxit, nunquam ceſſavimus
Ex induſtria ambæ nunquam conceſſavimus
Lavari aut fricari.

Nam quis cordatus pro legitimo agnoverit horum ſecundum?

Poſtquam aurora illuxit, nunquam ceſſavimus.

quem ex gloſſematiis natum cuivis erat facillimum videre. Sanè totus ex adhærentibus altrinſecus ſibi verſibus eſt conflatus: è priore pars prior, poſterior è poſteriore: tam manifeſtò, nihil ut mero meridie poſſit eſſe magis clarum. Tamen latuit hactenus, imò propalam ſe pro germano venditavit: quod ne cum auctoris fraude fit ulterius, indicio meo protractus, & accuſatus juſto judicio ad dignam

por-

pœnam condemnetur. Eos autem quos inter ille medius ſedebat, agnoſces Jambicos, ſi priorem è Colonienſi codice refingas:

Nam nos ab uſq; aurora ad hoc quod eſt dis.

Sic enim ibi liquidò *die*, pro *diei*, ἀρχαϊκῶς, verbis ita quoque tranſpoſitis: niſi quod *ab uſq;* a nobis factum. Porrò legitur:

MI. *Coqua eſt hæc quidem Agoraſtocles, ut ego opinor,*
Scit muriatica ut macerent.

Ubi *macerent* vel παθητικῶς poſitum, ut alia infinita, pro macerentur: vel abſolutè, ut ſubintelligas aliquod nomen, veluti fortè *coqui*, aut *coquæ*: ad exemplum Propertiani illius:

Non ita complebant Ephyreæ Laidos olim.

Quorum utrumvis, æquè bonum. niſi utrique præponas Colonienſem ſcripturam, *ut maceret*: quod fuerit, quomodo macerare debeat. Porrò:

AN. *Eamus ſoror mea.* AD. *hoc amabo. quid illò nunc properas?*
AN. *rogat?*

Rectius alii libri, AD. *ehò amabo*: niſi vel illis rectius ſic ſit,

AN. *Eamus ſoror mea hoc.* AD. *amabo, quid illò.*

Vix jam quiſquam neſcierit, *Hoc* eſſe huc: quod & Varro, & Maro uſurparint. Poſt:

Qui hæc tanta oculis bona concipio.

Omnes ita, præter unum, qui *conſpicio*: quem ut audias, non edepol magna vel ulla cauſſa. Perſonæ deinceps errant puellarum, invicem permutatæ:

AD. *Heu ecaſtor, cum ornatum aſpicio noſtrum ambarum, pœnitet*
Exornatæ ut ſimus. AN. *imò vero ſanè commodè,*
Nam pro berili noſtro.

Nec enim oratio pro ingenio utriuſque, niſi quæ nunc Adelphaſium dicit, Anteraſtilis dicat, & contrà. Mutabis. Inducitur ſemper illa minor procacior, cujus laſciviam corrigit altera maturior, & modeſtior. Tum poſteriora ab Adelphaſio pronunciata, probat Agoraſtoclis oratio ſubdita, qua tam ſapiens, ac lepidum dictum excipit: atque itemſpriora pertinere ad Anteraſtilin, ejuſdem inferior oſtendit huc reſpiciens in eandem ſententiam ſermo:

AN. *Satis nunc lepidè ornatam credo, ſoror, te tibi viderier:*
Sed ubi exempla conſ

Nihil autem magis cavendum in Comœdia, quam ne diſcrepet à ſe perſonarum ſemel ex earum ingenio inſtituta ratio: contra quam æquè peccarum infra tamen hac fabula in iſtis ipſis perſonis: ut ſuo loco apparebit. Hic, verſus ſequitur intricatæ ſententiæ:

Eò illud ſatiuſt ſatit, quod ſatit eſt, habitur plus quam ſat eſt.

quam eleganti correctione tamen extricavit elegantiſſimus Douſa F. à quo leviter abeo, maloque ſic reſtitui, ut magis illa ſit aperta:

Eò illud ſatiuſt, ſatis, quod ſatis eſt, habitu; quàm quòd plus
ſat eſt.

Eam ob cauſſam, inquit, habitu ſatius eſt, ſive melius habetur, haberive poteſt illud ſatis, quod eſt ſatis, quàm illud, quod plus ſat ſive plus quam ſat eſt. Pergo in eadem adhuc ſcena:

AG. *I in malam rem.* MI. *ibi ſum equidem.* AG. *pergis?* MI. *tace.* AG. *at perpetuo volo.*

MI. *Enimvero here meo me laceſſis ludo, & delicias facis.*

Dubitavi aliquando, an eſſet hæc vera ſedes poſterioris verſus, qui ſententiam loco non ſatis aptam habere videretur. Nam quas delicias Agoraſtocles iſtis dictis facit? Ac cenſui referendum poſt illum aliquanto inferiorem:

MI. *Quamobrem?* AG. *quia nunquam audibis verba tot tam ſuavia.*

De quo nunc amplius, & vereri loco facilè relinquo, etſi quidem nihil adhuc ibi deliciarum perſentiſco: niſi fortè illud eſt dicterium, *at perpetuò volo*: quo mortem ſervo herus imprecari videatur. Nam perpetuam taciturnitatem, cum aliquâ argutiâ quid interpreteris, niſi mortem? Illo verſu nihil vitii:

AD. *Invidia in me nunquam innata eſt, neq; malitia, mea ſor.*

An alia tamen vitioſa lectio, quæ libri veteris Colonienſis eſt? *neq; malitia ma-*

la ſoror. Nempe & alibi malam malitiam noſter dicit, & neſcio ubi hominem, quem ſine omni malâ malitiâ prædicat: ut malitia ſimplex non planè ſit mala. Quod etſi alibi ſic eſt, hic tamen idem non affirmarim. Omiſſa porrò vocula eſt, ibi:

AG. *At ego amo hanc*. MI. *at ego eſſe, & bibere*. AD. *ehò tu ais?* AN. *quid rogas?*

Reſtitue ex aliis, *ehò tu, quid ais?* In iſtis:

. . . . . AG. *primùm prima ſalva ſit,*
Et ſecunda tu ſecundo ſalve in pretio, tertia
Salve extra pretium. MI. *tum pol ego & oleum & operam perdidi*.

Credemuſne Milphionis eſſe poſtrema verba? Sic libri volunt, & Lambinus cenſet, qui quidem eò interpretatur, quaſi ſervus herum ab amore fruſtrà ſe deterruiſſe dicat. Ineptiſſimè, quod in mentem ei veniſſe miror, cum antea ſtatuiſſet, anum aliquam cum puellis fuiſſe tertiam, quæ jubeatur extra pretium ſalvere. Atque ita eſt prorſus: ſive anicula, ſive alia ancilla; pediſſequa fuit meretriculis, quæ contemtim ita ſalutatur. ſed eadem loqui jam hæc debet, etſi nomen ejus expreſſum non eſt. Pediſſequæ ſunt inquam ea verba, conquerentis, operam ſe perdidiſſe, cum extra pretium nunc habeatur: illam ſcilicet operam, quam Agoraſtocli ſæpe dederit, dum ad amores eum ſuos clanculum, & furtim admittit: in quem uſum tales ancillæ ſunt amatoribus, ſed non ſine pretio: è quo hæc velut excluſa, fruſtrà ſe benignam, & promtam fuiſſe dicit. Ita locum capio, perſonâ Milphionis abjectâ, repoſitaque notâ aliquâ pediſſequam, aut ancillam ſignante. Proximus hinc verſus:

AG. *Quò te agis?* AD. *Egone? in ædem Veneris*. AG. *quid eò?* AD. *ut Venerem propitiem*.

in veteribus Aldino, Florentino, Colonienſi non habet vocabulum ædem: quod abeſſe ſenſu ſalvo, & eleganter poteſt: ut Bacchidibus, *In Dianæ Epheſiæ*. Neque numeri contradicant, ſi ex iiſdem libris deinceps ſcribas, AG. *quid eò tu?* Sic enim conſtiterint ſatis. Et ipſum *Tu* blandientis eſt, ut alibi paſſim. Non claudam hoc caput, niſi omnia, quæ ſunt in eadem etiam ſcenâ, huc concluſero. Ergo ſequitur, & id leve.

MI. *Bellula hercle*. AG. *i directè in maximam malam crucem*.

Inſerendum è veteribus *hercle eſt*: quod ſententiæ nihil, verſus aliquantum intereſt. Illud paullo gravius:

AG. *Quid agam nunc?* MI. *ſi ſapias, curam hanc facere compendi potes*.
AG *Quid ego nunc curem? quid agis Milphio?* MI. *ecce odium meum,*
Quid me vis? AG. *cur mihi hæc irata eſt?* MI. *cur hæc tibi irata eſt?*

Medius enim verſus hæret ſententiâ, nec vel *agas*, vel *agam*, quod utrumque in priſcis aliquibus eſt, juvat. Mihi corrigendum ſic liquet:

AG *Quid ego non curem? quid ais mi Milphio?* MI. *ecce odium meum*.

Conſulebat ſervus, ut curam compendi faceret amator: eò is interrogat, quam curam mittere, quidve non debeat curare? urgetque porrò blanda compellatione, ut, quid iſtud ajat, explicet. Ille vero ſe inhumanum præbet, & pro blandiente *mi*, reponit aſperum iſtud *odium meum*. A nobis repoſuimus hoc *mi*, quod adeò ſenſus, & præterea numeri poſtularent. Verſus horum ultimi voces etiam transponendæ, MI. *cur hæc irata eſt tibi?* Jam illic porrò non eſt planum:

AG. *Non faciam*. AD. *nos eamus, nunc etiam morare*, AG. *malefacis*.

Perſona & interpunctio mutatæ component:

AG. *Non faciam*. AD. *nos eamus nunc, etiam morare? malè facis*.
Bene promittis multa.

[illegible] vult Adelphaſium cum ſorore tandem, ſed etiam tunc ab Agoraſtocle retent[illegible] dicit, *etiam morare?* In proximo eſt:

Dum te exſpecto, neq; uſq; aliam mihi paravi copiam.

Lam-

Lambini, & qui poſt Lambinum, libri ſic: alii *uſquam* in vicem *uſque*. Tu utrumque recipies ad hoc exemplum:

Dum te exſpecto uſq;, neq; uſquam aliam m.p.c.

Neque longè, turpius erratum eorundem librorum, qui, quod erat præter Lambini voluntatem (ſic puto) in ejus editione admiſſum, temerè ſunt ſecuti. Nam quid inconvenientius, quàm Adelphaſio iſthæc adſcribi?

Mene ego illæc patiar præſente dici &c.

Nimiù liquidò ſunt Agoraſtoclis: cujus perſonæ indices literæ AG. præponendæ, abjectis AD. Incandeſcit adoleſcens, & cruciatur in deliciis ſervi eum amica: ut infrà iterum,

AG. *Non ego homo trioboli ſum, niſi ego &c.*

Sed & illud non rectè accipitur ſub vulgari diſtinctione, peſſimè quidem à Lambino & Turnebo eſt acceptum:

Atq; hic me ne verberet, illud faciet niſi te propitio.

Legunt iſti, *illum faciat*; & interpretantur, ne herus vel ſe faciat illum ſævum herum, vel me plagigerum illum ſervum. Parcam Lambino, quia Turnebus ei comes, imò dux ineptiæ iſtius. Ajo, in parentheſi pronunciandum ſeorſum illud totum, *illud faciet niſi te propitio*: nam reliqua cum ſequente verſu continuant ſuum ſenſum. Ita ſac:

Atq; hic me ne verberet (illud faciet, niſi te propitio,)
Malè formido, novi ego.

Formidat Milphio, ne vapulet: atque id interim certò futurum ſibi, niſi illam propitiet, auguratur. Jam quod initio capitis hujus & ſcenæ fecimus, cum verſum alienum oſtendimus, & extruſimus, faciendum hic iterum nobis ad finem eſt: ubi profectò iſte ſupervacuus eſt, & numquam à Plauto ſcriptus:

Hujus cor, hujus ſtudium, hujus ſavium, maſtigia.

Nam eadem pleraque verba in præcedentibus duobus jam poſita, quæ inſuaviſſimè ſic iterentur. Et divinationi meæ ſubſcribunt antiquiſſimæ editiones, in quibus ille nullus eſt: è quibus nominatim Florentinam, & Colonienſem laudo. Furcillis igitur & hic exturbetur. Ultimum vere ſit in hac ſcena quod notari mereatur,

AD. *Verumetiam tibi hanc amittam noxiam unam Agaraſtocles.*

Non facit ſententiæ *Verumetiam*. Divido particulam, atq; etiam interpunctione reſolutam in binas diſtermino: VD. *Verum, etiam tibi hanc am.* Particula aſſentientis eſt *Verum*, qua hic Adelphaſium reſpondet Anteraſtilidi ſorori monenti:

AN. *Aliquid huic reſponde amabo commodè, ne incommodus*
Nobis ſit, nam detinet nos de noſtro negotio.

Talis ejus uſus paſſim in Comicis. Noſter Aſinar.

PA. *Scio captiones metuis.* DI. *Verum.*

Menæch. ME. *Liberem ego te?* MES. *verum, quandoquidem, here, te ſervavi.*

In Terentio ſæpe occurrit: atque illic interpretes ajunt inceptivam eſſe particulam, non relativam. Quanto melius dicerent, affirmativam eſſe? Nam certè valet idem ubique prorſus, quod Imò. Eunucho:

PA. *Comites ſecuti ſcilicet ſunt virginem?*
CH. *Verum: paraſitus cum ancilla.*

Andriâ:

D. *Quemne ego heri vidi ad vos afferri veſperi?*
M. *O hominem audacem!* D. *verùm, vidi Cantharam*
Subſarcinatam.

Iterum ſic Eunucho fortè;

PAR. *Si quidem iſtuc impune habueris.* PY. *verum.* PAR. *reddam her.le.* PY. *credo.*

Heautont. . . . . . . *Matres omnes filiis*
In peccato adjutrices, auxilia in paterna injuria
Solent eſſe: id non fit? CLIT. *Verum.*

Atque ibidem; SO. *Facies?* CH. *verum.* SO. *non vides, quantum mali ex ea re excites?*

Adel-

Adelphis. C. *Syre*. S. *quid eſt?* C. *men quærit?* SI. *verum*. C. *perii*. S. *quin tu animo bono es*.

Geminum illi eſt & *Verò*. Eunucho:

G. *rex te in oculis*. T. *ſcilicet*.
G. *Geſtare*. T. *verò*.

quamquam hoc Palmerius mutabat, ſed fruſtrà. Sic enim & Adelphis:

...... HE. *mone, nondum audiſti Demea*
Quod eſt graviſſimum. DE. *an quidquam eſt etiam amplius?*
H. *Verò amplius*.

CAPUT III.

Periurum, & inceſtus, pro ſimplici mendacio, & ſtupro. Convivia in ædibus ſacris. Loci inſignis unius, à multis tentati jam olim, ſententia genuina declarata, falſis aliorum, & variis rejectis: plures noviter, & quidam contra alios, emandati, explicati. Voces aliquot mutatæ, nonnullæ trajectæ.

IN emendatione principii Scenæ ſequentis,

AG. *Quid nunc mihi es auctor Milphio?* MI. *at me verberes,*
Atq; auctionem faciat. nam impuniſſimè
Tibi quidem hercle vendere haſce ædes licet.
AG. *Quid jam?* MI. *majorem partem in ore habitas meo.*

concurrerunt elagantiſſimè docti viri Lipſius, & Muretus, hic Variis, ille Antiquis Lectionibus: ad explicationem alii poſtea accurrerunt, quorum ſententiæ diverſæ, ab auctoris mente prorſus aberrant. Neque locum planè cepit quiſquam omnium, ut nihil in eo deſideres: niſi in Mureto ſanè minimum, qui proximè acceſſit. Reliqui abeunt alius alio longius: unus longiſſime, qui ædes hic, ut ſupra Milite (quò recurres, & noſtra ibi pariter videbis) accipit de ſervili capite, quaſi ſervus ipſe ſe vendi velit. Atque uſum ejus vocis iſtum, & totam locutionem ad Militem ſatis refutavimus: hic ſatis eſt, ineptum talem ſenſum, iterum dixiſſe, & id oſtenſo ſaltem genuino oſtendiſſe. Hunc enim qui viderit, illum & alios ultrò reprobabit. Eſt verus autem ſimpliciſſimus: licere amatori jam ædes ipſius vendere, quoniam in ore ſuo verberaliſſimo maximam jam partem habitet, atque ædes dico ipſam domum, in qua adoleſcens habitabat: quam diſertè ſignat δεικτικὴ particula *Has* quæ tamen in errorem induxit pleroſque, tanquam in ſervum directa. At cogitandum hoc cuilibet eſt, digreſſis meretriculis, una ſervum atque herum domum tendere: atque in via, vel ante jam ædes ipſas hæc inter eos agitari. Demonſtrat igitur ſervus iſtas veras ædes; atque iis hero nihil jam opus eſſe dicit, quando ſuum os ipſi pro ædibus ſit, in quo pugnis ferè totus habitet: argutiâ ſermonis eleganti. nam in qua re multum ſumus, in ea dicimur habitare. Per ludum, & jocum igitur hoc totum ſervus, non per indignationem, ut quidam voluerunt. Denique cum de auctione facienda meminit, ad ædium omninò venditionem reſpicit. auctio enim & tum fieri ſolebat: quæ quomodo ſtatueretur hic, ſi ſervus ſit vendendus? Quid enim ſolennis auctio in hominis unius venundatione? quamquam non ignoro, paraſitum Sticho præconium auctionis facere de ſeipſo. Sed nampe paraſitum, eumque non re tantùm, ſed & nomine Gelaſimum, neque tamen ſe venditantem ſolum, verùm cum ornamentis omnibus ſuis & logis, quorum præcipuè nomine auctionem indicit. Sed de hoc jam ſatis. In obſecratione porrò illâ prolixiore:

Perq; meos amores, perq; Adelphaſium meam,
Perq; tuam libertatem. MI. *hem nunc nihil obſecrat.*

Ultimum quoque malè interpretantur. Nam nihil obſecrare per libertatem ideò, dicunt, quia ſervus ſit, non liber. Imò ideò ſervus eam obteſtationem vanam di-

dicit, quia liber numquam ſit futurus, & perpetuam ſibi ſervitutem ominatur. *Nihil*, eſt fruſtra, quamquam in paullò aliam mentem voculam hanc tranſponebat amicus: MI. *hem nunc obſecras: nihil*. quaſi hoc diceret ſervus: paullò antè verberabas, nunc obſecras me: nihil eſt. In eum verò ſenſum, & Florentinus vetus it, ſed omiſſo iſto *nihil*. Legit per interrogationem, *ehem nunc obſecras?* ſcillcet quem verberibus modò commultabas. Haud ineptè utrumvis horum. Me tamen vulgata lectio ſibi tenet approbatorem ſub mea, quam dedi, interpretatione. Mirificè verò in iſtius verſus ſcriptura variatur:

AG. *Neq; nubes omnes quantum*. MI. *pergin' pergere!*

Lambinus voluit conciliare, *Etiam omnes nubes qu.* Unde? corrumpitur ſic venuſtas iterationis ejuſdem in initio ubique particulæ *Neq;*. Veterem Colonienſem ego ſequar:

AG. *Neq; nubis quantum*. MI. *pergin verò pergere?*

niſi fortè tamen in fine *perdere* melius. Illud in principio ſic rectiſſimè, ut formula ſit eadem ſermonis, quæ in proximo utrinque verſu: Neque quantum aquæ, neque quantum nubis, neq; quantum ſtellæ. Scena *Dii illum*, notamus unum hoc *Perjurare* pro mentiri ſimpliciter aliquando uſurpatum.

Sic enim ibi:

LY. *Cui rei?* AN. *ne ad fundas viſcus adhæreſceret.*
LY. *Perge. optimè hercle perjuras.*

Atque iterum propius fabulæ finem, SC. *Fuit hodie.*

AG. *Da pignus, ni nunc pejeres, in ſavium, uter utri det.*

Itidem Milite Sc. *Jam eſt:*

Tum argenti montes, non maſſas habet: Ætna non æquè alta eſt.
MI. *Heu eccaſtor hominem perjurum!* PA. *ut ludo?*

Et Mercatore, Sc. *Amicè amico.*

Neq; eſt, neq; erit. LY. *nolim quidem. homo hercle perjuravit.*

etſi de jurejurando ibi aliquid præcedit, quò tamen hoc ipſum vix refertur. Ut *Perjurium* autem pro ſimplici mendacio, ſic eadem hâc fabulâ, SC. *Ain' tu*, *Inceſtus* pro ſtupro ſimplici, aut concubitu nudo:

. . . . *Earum hic alteram efflictim perit,*
Neq; eam inceſtavit unquam. POE. *acerba amatio eſt.*

Proximâ ſcenâ, *Ita me Dii*, parvum mendum indico:

Scibam ætate tardiores: metua meo amori moram.

Et tollo. Scrib. *metui*: ut in antiquis etiam exſtat. Non tunc primum, ſed jam ante metuerat, cum iſtos ſpiſſigrados ſenes ſibi advocaret. Poſteà eſt ibidem:

At ſi ad prandium me in ædem vos dixiſſem ducere.

quem verſum reſpexiſſe Douſa Iſidorum putat, cum *ædem* ab edendo deducit. Ac credo huic: ſed ridiculè quidem ille nimis in iſta originatione nugax. Ædem vero hic ſacram accipies, ex antiquorum ritu, qui ſacrificantes ad templa ſolebant amicos vocare convivatum, cujus rei illuſtre exemplum Rudentis initio: ubi Labrax leno Pleuſidippum ad ædem Veneris invitatum per fraudem deſtituit impranſum. Et alias convivia in templis agitabantur etiam, ut cùm cœna popularis celebraretur, de qua Trinumo:

PH. *Quid tu? ſi in ædem ad cœnam veneris,*
Atq; ibi opulentus tibi par fortè ut venerit,
Appoſita ſit cœna, popularem quam vocant,
Si illi congeſtæ ſint epulæ à clientibus &c.

Sequitur hic:

Ubi bibas, edas de alieno, quantum velis, uſq; affatim,
Quod invitus tu numquam reddas domino, de quo ederis.

De verborum ſitu ſuſque deque eſt, hunc malis, an veterem, *Quod tu invitus*. at *de quo ederis*, non probo. Non enim de domino ipſo editur. & alio ſenſu Moſtellariâ dicitur *Herum comeſſe*. Scribo, *de quoius*: quod & numeri volunt, in unisyllabum tamen eo ipſo contracto, ut paſſim *cujus* ſolet. ἔλλειψις autem eſt, & ſubintelligitur vel cibo, vel prandio. Locutio quidem planè gemina illi, De alicujus veſperi cœnare. Mox diſtinctio ſenſum nonnihil obſcurat:

Quidquid eſt pauxillum illuc noſtrum, illud omne intus eſt.

Hoc enim jam ſaltem ſonat, uti Lambinus etiam exponit: Quidquid nobis id eſt, omne domi eſt, neq; aliunde petimus. At non id ſatis. Etiam ſuum id eſſe totum, quod habeant, quantillum habeant affirmant.
Interpunges ita:

Quidquid eſt pauxillum illuc, noſtrum illuc omne intus eſt.

Ulterius habes:

Horunc hic nunc cauſſa hæc agitur ſpectatorum fabula,
Hos te ſatius eſt docere, ut quando agas, quid agant ſciant.

Senſus emendationem mihi præit, *quid agas ſciant*. Deinde præ novitia lectione iſta:

AG. *Ita profectò eſt: ſed agite igitur ut ſciam vos ſcire rem*
Expeditè, & mihi quæ dudum vobis dixi, dicite.

quamquam minimum intereſt, malo tamen antiquam: *ut ſciam vos ſcire, rem Expedite.* verbum ut ſit hoc verbum, non adverbium: quod ſi tamen ſit, melius cum altero *ſcire* cohæreat, quam cum *dicite*, cui Lambinus adjungit.
Ibidem etiam legimus:

AG. *Hoc cito, & curſim eſt agendum, propera jam quantum poteſt.*

neſcio ſi rectè. Veteres quidam *properate*: melius ad ſenſum, non adverſum. Quòd niſi ſingularis hic iterum numerus pro plurali poſitus eſt, ut factum alibi ſuprà monſtravimus, auſim ita mutare,

Hoc citò & curſim eſt agendum & properam jam qu. pot.

Notum enim adverbium *properam* ex ea nota, qua ſunt perperam, promiſcam, alia. Adhuc eadem ſcena, & ſtatim ab hoc loco:

AD. *Bene vale igitur: te advocatos melius celeres ducere.*
Tardi ſumus nos. AG. *optimè itis, peſſimè hercle dicitis.*

Odoror tranſpoſitionem vocularum, quæ ſententiam in contrarium planè mutavit. Quomodo enim peſſimè dicebant advocati, ut jam concedamus per [illegible] eoſdem optimè ire? Contra voluit Plautus, eos optimè dicere, peſſimè ire. Atque ſic traduce. AG. *peſſime itis, optimè hercle dicitis.* Hoc enim ait: linguâ expediti & veteres, pedibus inertiſſimi, & tardigradiſſimi eſtis.

CAPUT IV.

Locus Pœnuli variè jactatus emendatione, & explicatione certâ conſtitutus: cum eodem comparati ſimiles alii multi, in quibus duplices ſententiæ, & tectæ imprecationes: earumq; formulæ hinc inde è pleriſq; Comœdiis auctoris, Captivis, Caſina, Epidico, Milite, Pſeudolo, Aululariâ, Mænechmis, Perſâ, Mercatore, Rudente, Amphitruone collectæ omnes, & hic ſimul illuſtratæ, ad finem de Amphitruonis ambiguo loco contra quendam diſputatum. is ipſe poſtremò aliter correctus, & explicatus.

ANte alia ſcenæ conſequentis, egregium ibi locum à multis variè jactatum, nec à Palmerio ſatis dum conſtitutum, perpurgabimus, & largâ ſimilium exemplorum luce perfundemus, quæ collata inter ſe ipſa plurima pulcherrimum joci Plautini genus adhuc obſcuriuſculum clariſſimè illuſtrabunt. Sed hujus ſcenæ locus, quem dico, iſte eſt:

AD. *Di te perdant.* MI. *vos quidem hercle commendo, quom quiqui tamen*
Et benè & benignè facitis, quom hero amanti operam datis.

Principiò jam hoc te abſolvi, neminem hic ſani quidquam extra Palmerium, qui retinet unus vel ejectum ab aliis vel interpolatum *commendo*, atque idem monſtravit primus abditam, ac latentem hic imprecationem, quam & paucis alibi locis obſervarat. Hoc optimè: non item illud, cum aſſitam particulam *quom* etiam

reti-

retinet, ut ſenſui neceſſariam, quam illi æquè, ac verſui nocuam ego exturbo, tum porrò ſic reliqua diſtinguo:

. . . . . MI. *vos quidem hercle commendo, quiqui tamen,*
Et benè & benignè facitis, quom hero amanti operam datis.

Et jam omnia clarius explico. Advocatorum imprecatio præcedebat: *Dii te perdant*, hanc ſervus in ipſos regerit, ſed tecte, atque aliud ſimul dicens. Nam, *vos quidem hercle commendo*. Commendaſſe autem eos nunc videri vult iis, quibus erat inſectatus:

Hodie juris doctiores non ſunt, qui lites creant,
Quàm ſunt hi, qui ſi nihil eſt litium lites ſerunt.

Quæ ſatis acerba cum & aſperius illi acciperent, malam ideò rem, & interitum imprecatis: ne verò iraſcimini, inquit: nam in commendationem ac laudem veſtri locutus hæc ſum, non in contumeliam, aut culpam, at quicunque qualeſcunque tamen eſtis, benè, ſanè, & benignè facitis in eo, quod hero meo ſic operam datis. Hæc vera mens exterior, & in publicum expoſita: ſimul ibidem interior illa in diſtinctione verborum, & ſeorſum relata imprecatione; quæ nec ipſa ſpectatores fefellit, aſſuetos audire talia multa à Plauto, cui frequentiſſimè iteratus hic in ejuſmodi duplicem ſenſum jocus, & paſſim nunc in pleriſque Comœdiis ſuperſtitibus ſuperſtes. Exempla hic omnia ſubjiciam, quæ potui notare, ut ſemel ſimulque uno in loco illuſtrentur. Captivis Sc. *Quanto*:

Juppiter te Diique perdant. ER. *te hercle mihi æquum gratias agere.*

Oratio continua eſt, *te hercle mihi æquum gratias agere*: ſed ſuſtentatur in vocibus *te hercle*, & redditur imprecatio repetito velut ἀπὸ κοινοῦ verbo *perdant*. Caſina, initio ſcenæ:

Qui illum Dii omnes, Deæq; perdant. CH. *te uxor ajebat tua*
Me vocare.

Ratio eadem eſt, & ſiſtitur ſermo in vocula *te*. quamquam ibi poteſt illud totum jungi, *te uxor ajebat tua*, ſcilicet ut Dii perderent. Epidico ſcena prima:

. . . . . . TH. *Dii te perdant.* EP. *te volo*
Percontari, operam mihi da,

Mil. Glor. Sc. *Niſi quidem ego*:

Dii te perdant. PAL. *te iſtuc æquum, quoniam occœpiſti, eloqui.*

Pſeudolo Sc. *Pſeudole*:

BA. *I puere.* PS. *accedamus hàc obviam.* BA. *Juppiter te perdat quiſquis es.*
PS. *Te volo.* BA. *at vos ego ambos.*

Ambiguum eſt *te volo*, quod uſurpabatur, ſi quis colloqui alteri vellet, atque hic etiam illud ita: ſed ita ſimul, ut perire velit Pſeudolus lenonem, qui prius voluerat ipſum. Quod ſenſit leno ſtatim, eoque ſubjicit iterum, *at vos ego ambos*. Nam audire quidem neutrum volebat, ſed utrumq; jam perire. Similia, & illa ſunt, etſi paullò aliter elata. Aulular. Sc. *Hoc quidem hercle*.

EU. *Lege agito mecum, moleſtus ne ſis. i, & cœnam coque,*
Aut abi in malum cruciatum ab ædibus. CON. *abi tu modò.*

Nam duplicem quoque abitionem ambiguè coquus intelligit: & illam ab ædibus ſimpliciter, ut ne vapulet amplius à ſene, & locum habeat cœnæ coquendæ liberum; & illam alteram in malum cruciatum, in quem a ſene juſſus ire, ire viciſſim ipſum occultè jubet.

Epidico iterum ſcena prima:

. . . . . TH. *abi in malam crucem à me*
Cum iſtac conditione. EP. *i ſanè, ſi quid feſtinas magis.*

Dimittitur illic tandem ſervus alter ab altero diu retentus, ut illud *i ſanè* capias ſine imprecatione: ſed cum ea capies ſimul, ſi reſpicis illam alterius præcedentem, quæ hic tegendo iteratur. Idem eſt Menæchmis Sc. *Benè obſonavi*.

Numquid vis? ME. *ut eas maximam in malam crucem.*
CY. *Ire hercle melius eſt te intrò, atq; accumbere.*

In jocum frangitur continuus ſermo, Ire hercle melius eſt te; ſcilicet maximam in malam crucem. Pſeudolo Sc. *Malus & nequam*:

HA.

HA. *I in malam crucem*. BA. *irè licebit tibi tamen hodie temperi*.
Temperi ſatis, & Sicyonem domum ire caculæ licebat, & in malam crucem. Perſa Sc. *Satin' Ath.*

DO. *I in malum cruciatum*. TO. *i ſanè, hanc eme, atq; auſculta mihi*.

Dum ad hoſpitem Virginis vendendæ jubetur ire leno, jubetur pariter in cruciatum. Non abhorret ab hoc toto genere etiam illud Epidici ultima ſcena:

AP. *Edepol mancipium ſceleſtum*. EP. *te profectò Apœcides*
Nihil moror mihi precatorem.

Nulla hic quidem imprecatio: ſed duplex æquè ſenſus, & oratio ad priora exempla conformata. Nam Epidici vocula prima *te* ſola accepta retorquet in Apœciden ſceleſti appellationem. Mercatore per ſe clara eſt alluſio, Sc. *Ex ſummis*:

CH. *Væ tibi*. AC. *tibi equidem à portu apporto hoc*.

Item Milite, Sc. *Niſi quidem*.

SC. *Væ capiti tuo*. PA. *tuo iſtuc Sceledre promitto fore*.

Itemque hac Pœnulo infrà, Sc. *Suſpendant*.

LY *Væ voſtræ ætati*. AD. *id quidem in mundo nunc eſt tuæ*.

Sic ex veteribus enim ibi legendum: neq; numeri quidquam obſtant.
Rudente obſcurior, Sc. *Intelligo*:

AM. *Væ capiti atq; ætati tuæ*. TR. *tuo, mea Ampeliſca*,
Scivi lenonem facturum hoc quod fecit.

Sed certa eſt reprecatio in particula *tuo*, nimirum capiti, quæ ſeparatur in hanc mentem, etſi mox reliquæ orationi videtur annecti: tuo capiti lenonem facturum ſcivi hoc quod fecit. Ac tale prorſus eſſe voluit Amphitruonis illud Palmerius, qui (non diſſimulamus) ex ſuperioribus locis unum atque alterum ante nos attulit ad occulta iſta joca primitus aperienda: Sc. *Satin' parva*:

AL. *Væ capiti tuo*. SO. *tua iſtuc refert, ſi curaveris*.

Sed hic quidem non aſſentior: & apertum eſſe debere ſtatuo, non tectum ſervi in heram inclementius dictum: quod heræ ipſius evincit querela ſtatim ſubjecta:

AL. *Iterum jam hic in me inclementer dicit, atq; id ſine malo*.

Neque tamen id conſequemur abſque correctione vocum, quæ ibi profectò non omnes ſinceræ. Mea divinatio eſt, legendum. SO. *tuo iſtuc erit, niſi curaveris*. Nam *niſi* & veteres libri quidam, & non aliter ulla fit ſententia. *erit* ex *refert* ego feci: in quo ſi negligi quis nolit priores ſuperfluas literas, inde quoque ſibi faciat aliquid: & poſſe fieri videtur *crede*. cujus extremæ utrinque literæ quiverint abſorberi à verbi præcedentis, & ſequentis initiali. Nam & in *c iſtuc* deſinit, & *erit* ab *e* inchoatur, neque novum denique *d* in *ſ* abiiſſe. Ut jam ſcribatur:

SO. *tuo iſtuc, crede, erit, niſi curaveris*.

Sed verſum objiciet aliquis ita nimis extendi: quod nec eſſe deprehendet, qui peritè dimetietur. Omninò cum Alcmena in ſervi caput *væ* pronuntiaſſet, ille idem reponens, tuo quidem capiti, inquit, illud certò erit, niſi ſomnium tuum procuraveris, & ejus expiatione tibi proſpexeris. Nam hoc eſt, *niſi curaveris*, & de procuratione commodum monuerat:

Sed mulier poſteaquam experrecta es, prodigiali Jovi
Aut molâ ſalsâ hodie, aut thure comprecatum oportuit.

Sic enim ſolebant ſuperſtitiosè veteres expiare ſuſpecta ſibi ſomnia: quo de ritu, & nimis multa paſſim ſcriptorum loca ſunt, & ſatis multi jam olim annotarunt. Nos de Amphitruonis hoc loco ſententiam noſtram ita propoſuiſſe ſatis eſt, & ipſam jam de toto illo Plautinarum argutiarum genere ſatis perſpicuè declarato commentatiunculam cum capite, quod dicatum ei propriè voluimus, claudimus, & ſignamus.

CA-

CAPUT V.

Comici, & tragici condocti, & meditati. Attate. Vacillantes diſtinctiones aliquoties firmatæ: perſonæ ſuppoſititiæ ſæpiſſimè mutatæ. Verſus qui bis poſitus, poſteriore loco deletus. Occultior loci eximii ſenſus patefactus, alioq; ſimili illuſtratus. Interpretis nunc ſupinæ, nunc ridiculæ explicationes exploſæ. Numeri verſuum tranſpoſitis, & diſpoſitis verbis pluries concinnati. Iterum alterius verſus è proxima ſcena in priorem translati repetitio abſurda confutata, atq; ipſe hinc extruſus.

NUnc reliqua ſcenæ ejuſdem videamus. Sub initium in libris pleriſque omnibus vulgatur:

MI. *Fac modo ut conducta tibi ſint dicta ad hanc fallaciam.*
CO. *Quia edepol conductior ſum, quàm tragœdi, aut comici.*

Malè *conducta*, & *conductior*. Lambinus in commentariis *condocta*, & *condoctior* agnoſcit, nulla tamen alterius facta lectionis mentione. Sed hoc rectè. Condiſcebant hiſtriones à poetis fabulas, quas ipſi docebant. Eſt autem locus huic planè geminus Perſâ, Sc. *Numquid moror.*

Sed ſatin' eſtis meditati? SA. *tragici atq; comici*
Numquam æquè ſunt meditati.

Statim hic ſequitur: MI. *Probus homo eſt.* Senſus vult *es*, quod veteres habent. Neque verſui id nocet. Eſt enim & ipſum Plauto ſæpiſſimè longum, ut alibi ſcio mihi dictum. Infrà diſtinctiuncula vacillat:

AG. *Agite, inſpicite aurum.* CO. *eſt profecto ſp. com.*

Deinde non concinnum:

AG. *Facite quod jubet, abeamus. ſed vos, ſatis dictum eſt?* CO. *abi.*

Nam *facite* non aptè comprehendit ipſum qui loquitur: quando duo ſunt hic tantum, ad quos refertur. ad Milphionem ſervum ſcilicet, & ipſum Agoraſtoclem, cujus id volunt eſſe verbum. Niſi ſcribere placet, *Facile, quod jubes*: aliter perſonæ diſtinguendæ ſunt, atq; in hunc modum, quem nunc video Florentinum, & Colonienſem ſæpe mihi laudatos libros tenere:

AD. *Facite, quod jubet.* AG. *abeamus, ſed vos &c.*

Suadet abitionem Collybiſcus an Colabiſcus hero & ſervo: quam eum hic probaſſet, hortantur Advocati porrò, ut uterque pareant, tum herus conſentiens ſubdit, *Abeamus*. Sequenti verſu:

AG. *Abeo, quæſo Dii immortales.* CO. *quia abis?* AG. *abeo.* MI. *ſapis.*

non etiam ſuæ perſonæ tributa vox ultima videtur. Melius enim detur Collybiſco: ſiquidem ipſa eſt ſincera, quod non eſt certò prima jam ſequentis:

CO. *St tace* AD. *quid eſt?* CO. *fores hæ fecerunt magnum flagitium modò.*

Variat enim in antiquis, neq; *tace* ſingulari numero convenit ad plures: neque *tacete* mutari per verſum poteſt. Sed neque ſilentii non ſatis apta. Florentinus codex, *Atat tace*. Facilè hinc emendo, *Atate*: quæ interiectio comica in perturbationibus, & re inopinata, cujus exempla quid opus ſit afferre? Proximi item principium ſic lege:

AD *Quid eſt flagitii?*

Atque item in antepenultimo *confuerunt*. Nam minuta hæc quid pluribus oſtendam? Ad aliam porro ſcenam deſcendo, *Jam iſtuc*: è qua primò verſum ejicio temerè bis ibidem collocatum. Ajo autem illic delendum iſtorum alterum:

AD. *Quia nos honoris tui cauſſa huc ad te venimus.*
Quamquam bene volumus leviter lenonibus.

Nam & inanis ibi iſta appendix, & ſuprà jam ſuo loco legitur integriùs:

. . . . . . AD. *te ſalutamus Lyce,*

Quamquam hanc ſalutem ferimus inviti tibi,
Et quamquam bene volumus leviter lenonibus.

Ita meus eſt animus: alii ſuum tamen ſenſum, nec impedio, ſequantur. At hi cogitent, neque numeros detracto & conſiſtere, quod ſententia poſteriore loco juſſerat auferre: neque ſi verſus idem repetitus hic ab Advocatis eſſet, impune id laturos fuiſſe à lenone, qui aliud & in ipſos dicterium jacere non peperciſſet. Deinceps eſt:

Sed quid nunc vultis? AD. *hunc chlamydatum quem vides,*
Ei Mars iratus eſt. LY. *capiti veſtra iſtuc quidem.*

quod obſcurè ac tenuiter Lambinus explicat his verbis: Quaſi Colabiſcus miles ſit, & veniat nunc Calydonem locupletatus, & præda onuſtus. Aliud quid elegantius latet. Eſt enim alluſio in nomen Lenonis, quæ pateſcit magis è proximo verſu:

AD. *Huc nunc Lyce ad se diripiendum adducimus.*

Ad lenonem Lycum quaſi lupum adducitur diripiendus villicus tanquam ovis. Ideò dicitur ei Mars iratus eſſe, qui contrà propitius lupo. Lupi enim in tutela Martis, cui & ipſi ſacri. Prædam igitur ſuo Lyco dat iſtum villicum Mars, huic malè, illi bene volens. Quam alluſionem, cum hæc ſic ſcriberet in mente fuiſſe Plauto, locus ſimillimus teſtabitur è Truculento: Sc. *Rur.*

Fuis edepol Mars meo periratus patri.
Nam aves illius haud longè abſunt à lupis.

Qui quidem locus unus interpretationem veram nobis ſubminiſtravit. Sed in hoc Pœnuli male ibidem Lyco dantur iſta verba, *Capiti veſtra iſtuc quidem*. Sunt Villici ſive peregrini Chlamydari, qui Martis iram à ſuo capite rejicit in Advocatorum ipſorum. Notam igitur ejus perſonæ præpone, CO. *capiti veſtra iſtuc quidem.* Secum ita ille procul ſtans, & eorum omnem ſermonem exaudiens: cui & mox duos aſſigno verſus, Advocatis attributos vulgò, quos loqui ad ſpectatores Lambinus ita cenſet:

Cum præda hic hodie incedit venator domum.
Canes compellans in plagas lepide Lycum.

At ego eadem ad ſpectatores ajo dicere Collabiſcum, & ſeſe venatorem facere, uti canes iſtos Advocatos. *Hic venator* eſt, ego ipſe. Ac lego etiam *incedet*, non *incedit*. Auguratur enim, cum bonâ prædâ, id eſt, lepidè, quæ velit, omnibus effectis, domum ſe rediturum.

Ulterius quod legitur:

Tu, ſi te Dii amant, agere tuam rem occaſio eſt.

Non ego damno, qui enim? & tamen ſit mutare,

Tu, ſi te Dii amant, age tuam rem. occaſio eſt.

Mox indignor haud receptam Gulielmii noſtri illic emendationem:

Trecentos nummos Philippos portat præ ſibi.

Nam quid verius, quàm *præſidii* legendum? Præſidium eſt viaticum, & locutio, portare nummos præſidii, gemina illi eſt, date tot vel tot talenta dotis: de qua egimus ad fabulam proximè ſuperiorem.

Porrò in iſtis ridiculus Lambinus:

. . . . LY. *it ad me lucrum.*
CO. *Illud quidem quorſum aſinus cædit calcibus.*

Putat Lycum ſpei plenum exſultaſſe, & ſolum calcibus inſtar aſini laſcivibundi cæcidiſſe. Tu rectè verba interpretare ſic: Illud quidem, ſcilicet lucrum, eò it, quorſum aſinus cædit calcibus: id eſt, retrorſùm. Sermo ſervilis, & ruſticanus eſt. Ajebat leno, ad ſe lucrum ire: contrà villicus ſecum, aut ad ſpectatores, minimè illud ad te quidem, ſed in diverſum, quò calces jactare ſolet ferociens aſellus: retrorſùm, non proverſùm. Qui ſenſus clarior fit, in vicem *Illud*, repoſito *Illuc*: quod tamen haud neceſſe.

Deinceps vitium in menſura verſus prioris:

LY. *Ubi tu Leucadia, Leſvio, Thaſio, Coo,*
Vetuſtate vino edentulo ætetem irriges.

Syllabæ modulus in *Coo* monet retrò legenda cohærentia tria verba, ut ſic verſus conſtet:

Ubi

Ubi tu Leucadio, Coo, Thaſio, Lesbio,

Et ſtatim illi quidem pedibus uterque bonis:

Quid multa verba? faciam, ubi tu laveris, ibi
Ut balneator faciat unguentariam.

Rectius tamen, ni fallor, ultimam prioris vocem ablatam feceris alterius primam: *Ibi ut balneator*. Atque ita nunc video in pleriſque aliis editionibus exſtare. Sed & ille ad finem:

AD. *Quid ſi evocemus foras huc Agoraſtoclem?*

vult tranſponi particulas, *huc foras Ag.* Denique quo genere emendationis orſi ſumus hanc ſcenam, eodem nobis eſt claudenda. Iterum enim verſus alienus ad ejus finem, repetitus non ex ipſa, ſed è ſequenti: quamquam ſequens adeò ſcena meliùs una ſit cum hac ipsâ. Sed repetitum quem dico verſum, is eſt:

LY. *Quin ſequere intrò.* CO. *duc ergo me intrò, addictum tenes.*

Eſt enim idem, etſi nonnihil hic interpolatus, cum illo germano.

LY. *Quin ſequere me ergo.* CO. *abduc intrò, addictum tenes.*

Cauſſa, cur priore loco ferendum non putam, magna eſt: quippe ex rei ipſius ordine petita. Is enim turbatur. Nondum enim hic deducitur in lenonias ædes villicus. ſed aurum prius numerat in publico, quod cum ex occulto inſpectaſſent Advocati, atque ipſe herus, tum demum it, neque ante leno eum receptat, etſi totum illud magis de compoſito fiebat, ut teſtes eſſe poſſent auri dati.

Atque eò poſt illa:

Sed hæc latrocinantur, quæ ego dixi, omnia
CO. *Quid ita?* (*f. Quid jam?*) LY. *quia aurum poſcunt præſentarium.*
CO. *Quin hercle accipere tu non mavis, quàm ego dare.*

ſtatim evocant Advocati Agoraſtoclem, ut ſit ipſe ſibi cum ipſis una teſtis, quo prodeunte, tradit lenoni pecuniam Villicus in manum:

CO. *Age accipe hoc ſis: hic ſunt numerati aurei*
Trecenti nummi &c.

Tum acceptâ, ducit eum leno, & ſequi jubet: *Age eamus intrò*. Quis ergo dubitarit exturbare turbatorem hujus certiſſimi ordinis? in quem ita graviter peccari adeò non animadverterunt alii, ut ſpurium iſtum verſum quidam etiam optimi homo aliàs & acerrimi judicii ex legitimo altero tentarit alieno illo loco corrigere, & confirmare.

CAPUT VI.

Meditari, pro loqui. Corium aut tergum ſufferre. Tectius tacitius. Surptus. Perdeam verbum non acceptum, aliud ſubſtitutum. Jocus Plautinus per unius voculæ tranſpoſitionem effectus, & declaratus. Verſus trajectus. Verba in numeros digeſta. Multa ex antiquis aliter lecta: quædam indidem aucta. Perſonæ, quæ vel omiſſæ, reſtitutæ; vel quæ turbatæ, aliter diſpoſitæ. Interpunctiones mutatæ. Quæ emendata paſſim, ſimul explicata. Deniq; locus integer vitiatus in perſonis, & interpunctis, verborumq; ordine, reſcriptus.

Ordine progredimur: & jam ſcena *Quid eſt*, nonnullis quoque partibus ægra, in hoc quaſi valetudinario ſe nobis offert. Excuditur in hodiernis libris:

AG. *Vidiſtis, leno cum aurum accepit?* AD. *vidimus.*
AG. *Eum vos eſſe meum ſervum ſcitis?* (*f. ſciſtis.*) AD. *ſcivimus.*
AG. *Rem adverſus populi ſæpe leges?* AD. *ſcivimus.*

At neſcio quid ibi nunc facia iſtud *ſæpe*: quod in vetuſtioribus nullum quidem, & pro eo reperias, AG. *Rem adverſus populi leges eſſe?* Nec hoc tamen, etſi vulgato melius, agnoſcam pro germano. Credo & ipſum interpolatum: neq. *ſæpe* illud rejectum velim, ſed paullùm modò trajectum. Ita ſcilicet:

AG. *Rem adverſus populi leges?* AD. *ſæpe ſcivimus.*

Quo-

Quomodo duplex ſenſus, & honeſta ambiguitas, à Plauto de Induſtria quæſita. Simul enim & gravantur Advocati tot interrogationes, quaſique impatientes Sæpe jam ac ſatis, inquiunt, iteramus hoc *Scivimus*: qua propter Agoraſtocles deſinit ſtatim, & ergo meminiſſe eos hæc omnia jubet. Simul iidem ad Plebiſcita alludunt, & cum ille rem adverſus populi leges eſſe monuiſſet, eaſdem à ſe ſæpe ſcitas, ſed fruſtrà ſcilicet, ſubjiciunt, tacitè publicos mores, & ad id magiſtratuum fortè negligentiam carpentes. Quod ita non argutius puto, quam verius explicari. Si quis tamen contrà tendet, ei liceat, quod vult, ſequi, ac vel aliter legere: quod audio quendam jam nunc facere, qui in vulgatum *τὸ ſæpè* locum, *nempe* reſtitutum malit. Ego porrò jam non voculæ, ſed verſus tranſpoſitionem ibidem molior inter iſtos:

AG. *Homo furti ſeſe adſtringet*. AD. *haud dubium id quidem eſt.*
AG. *Quantum quantum ad eum erit delatum*. AD. *quippini?*
AG. *Dieſpiter vos perduit*. AD. *te quippini?*
AG. *Ibo & pultabo januam hanc*. AD. *ita quippini?*
AG. *Tacendi tempus eſt*.

Quis verò mihi non aſſentietur, imprecationem adoleſcentis ultimo loco melius poni? quippe quam elicuerit illud odioſè frequentatum *quippini*: quod ſenes cum reprecatione iterant tamen. Ut jam hic reſtituatur ordo:

AG. *Quantum quantum ad eum erit delatum*. AD. *quippini?*
AG. *Ibo & pultaba januam hanc*. AD. *ita quippini?*
AG. *Dieſpiter vos perduit*. AD. *te quippini?*
AG. *Tacendi tempus eſt*.

Quamquam & ſecundo loco, *ita quippini*; malim, *ito. quippini? Januam* enim, ne quid putes numeris incommodari, quaſi diſſyllabum exauditur in dimenſione Mox etiam pro hac lectione vulgari:

Adeſte quæſo. AD. *quippini ſi tu voles*
Operire capita.

ſubſtituam ac reſtituam veterem, AD. *quippini? quin ſi voles*. Omiſſum eſt alterum verbum *volumus*, quod ex ſe ſubintelligitur. Illud *quin* ſanè neceſſarium eſt, & diſertim exprimendum. Sed jam ad aliam porrò ſcenam: in qua proxima nihil ferè, quod multum referat annotari. Tamen iſtorum verſuum ſic verba digerenda.

Qui ad te trecentos modò Philippos detulit.
Idq; adeò in iſtoc aurum ineſt marſupio.

Neque hoc meâ, ſed antiquorum codicum auctoritate: quæ valeat in re leviori etiam mox, ubi legunt:

Qui ſi quid boni promittunt:

non *benè*: quod ſubjecerunt, qui verſu ſe cenſebant conſulere, fruſtrà. Nec enim vel alterum numeri ſpernunt, ſed ii Plautini Scenæ, quæ nunc ſequitur, ſecundus verſus, extritâ voculâ ſic ſcribendus:

Eſtne hic ſervus meus? CO. *ſum hercle verò Agoraſtocles.*

Alterâ verò ab hac, cui initium *Sotit*, is verſus dimidio pede mancus:

Agere ætatem, præpeditus latera forti ferro mea.

Cujus in fine quia Florentinus *meam* legit, adjiciendum idipſum arbitror ei explendo: ut ad *ætatem* hoc referatur, alterum ad *latera*. Deinde in eadem eſt:

Equitem, peditem, libertinum, furem, ac fugitivum velit.

Scribito, *furem an fugitivum*. Mox item.

Nam id quidem illi, ut meditatur, verba facit emortuo.

Emenda: *Nam is quidem, ut meditatur, illi v. f. e.*

Vel retenta verborum ſerie vulgari, ſaltem mutetur *is*. *Meditori* autem hic eſt memorare, loqui. Sic alibi: *Nugis meditatur malè*, pro nugatur. Inferius:

Nunc domum ibo. MI. *heus Syncerafte*. SY. *Synceraſtum qui*
vocat?

Multis in editionibus omiſſa malè perſona eſt, quæ prorſus initio verſus hujus præfigenda. Nam non iſta Milphio, qui priora. Synceraſtus loquitur, à fano Veneris domum rediens: qui ab altero mox revocatur. Huic igitur adſcribe verba, *Nunc domum ibo*. Et apertè veteres ſic habent: quos tu videto an ſequi velis, & proximo verſu, qui leviter in iis mutat; MI.

MI. *Tuus amicus.* SY. *haud amicè facit, quoi cum onere offers moram.*

At hunc qui excipiunt, eorum quidem nec cum vulgo, nec cum antiquis perſonas ſcribes:

MI. *At ob hanc rem tibi reddam operam, ubi voles, ubi juſſeris.*
SY. *Habe rem pactam, ſi futurum eſt. do tibi operam hanc.* MI. *quomodo?*

ſed ex noſtra ordinatione:

. . . . *ubi juſſeris:*
Hanc rem pactam. SY. *ſi futurum eſt, do tibi operam hanc.* MI. *quomodo?*

Quam veram eſſe quivis ſtatim videt. In ſequenti:

SY. *Ut enim ubi mihi vapulandum eſt, tute corium ſufferas.*

nota phraſin, *corium ſufferre*: qua noſter & in fragmento Caſinæ, ut citatur, uſus:

Intro ad uxorem, ſufferamq; meum tergum ob injuriam.

ubi potius legatur *ad injur.* Mox illorum.

. . . . MI. *Dii te & tuum herum perduint.*
SY. *Me non perdant, illum ut perdant facere poſſim, ſi velim.*
Meum herum ut perdant, ni mihi metuam Milphio. MI. *quid id eſt, cedò.*

diſtinctio melior etiam noſtra talis:

SY. *Me non perdant, illum perdant, facere poſſim, ſi velim,*
Meum herum ut perdant.

Eſt iſta: MI. *Quid jam?* SY. *quaſi tu tacere quidquam potis ſis rectius.*
MI. *Tacitus tibi reſiſtam, quàm quod dictum eſt malæ mulieri.*

poſt Scaligerum & Camerarium, qui fecerunt *Tacitius*, amplius emendamus, perſonis, verbis, & verſibus nonnihil immutatis.

MI. *Quid jam?* SY. *quaſi tacere tu quidquam potis ſis.* MI. *tectius*
Tacitius tibi rem ſiſtam, quàm quod dictum eſt mulieri malæ.

A me feci *tectius*, è libris vetuſtioribus, *rem ſiſtam*: & indidem quaſdam voculas tranſpoſui. Rectè, ut confidò, omnia. *Rectius* nihil erat. *Tectum* & *Tacitum* optimè junguntur, quæ juncta fortaſſis, & aliquanto pòſt: *Sed hoc tu tectum tacitum habeto*, quamquam ibi *tecum* excuditur aliàs benè. Porrò Lambinus ineptiſſimè perſonas digeſſit: in quibus ſi mutari quid debet, ita potius debet:

MI. *Scin' tu herum tuum meo hero eſſe inimicum capitalem?* SY. *ſcio.*
MI. *Propter amorem.* SY. *omnem operam perdis.* MI. *quid jam?*
SY. *quia doctum doces.*

Sed à vulgo non facilè hic abierim, faciliùs illic:

MI. *Quid eſt, quod metuas?* SY. *dum hero inſidias parem, ne à te perdeam.*

Etſi enim *perdeam* pro *peream*, inſerto *d*, collocatum haud pertinaciter negarim: omnino tamen conjectura blanditur magis: SY. *dum hero inſidias paro, ne me pte perduim.* Non procul, ita diſtinguas:

Loquere, locus occaſioq; eſt, liberè hic: ſoli ſumus.

Neque hinc procul autem:

MI. *Duas illas tanti quæſo emit?* SY. *nutricem earum tertiam.*

obſcuriuſcula poſtrema verba, quæ ſeparari quoque interpuncto integro à ſequentibus debent. Utq; elareſcant magis, legendum fortaſſe:

MI. *Duas illas tanti quæſo?* SY. *imò & nutricem earum tertiam.*

Senſus enim eſt: Quòd tu miraris, duas illas tam vili emtas; acceſſit etiam ſuper has ipſa nutrix harundinem, ut tres muliercula venierint octodecim minis: cùm ſolenne alias pretium unius, ut minimum, triginta, quod multis exemplis in hoc poeta conſtat. Sed puellæ tum ſcilicet etiam fuerant parvulæ: ut ætas minor partem magnam pretii deduxerit: quæ tanta non potuit tamen, ſi rectè venderentur. Eſt deinceps:

Ibidem gnatus inde ſurreptus, ferè ſexennis, poſt ibi &c.

Lege planè *ſurptus*, numerorum cauſsâ: quod alibi non ſemel oſtendimus Plauto uſurpatum, & oſtendemus. Jam ultimo loco locum integrum ex hac ſcena adſeribam,

him, uti perſonis atque interpunctis cenſeo diſtinguendum. Nam & hæc luxata, & illæ omiſſæ alicubi turpiter: & præterea voces quædam etiam trajectæ.

SY. *Omnia memoras, quò id facilius fiat. Manu eas aſſeras*
Suas populares liberali cauſiâ. MI. *tacitus tace modò.*
SY. *Profectò ad incitas lenonem rediges, ſi eas abduxeris.*
MI. *Quin prius diſperibit faxo, quàm unum calcem creverit.*
Ita paratum eſt. SY. *ita dii faxint, ne apud lenonem hunc ſerviam.*
MI. *Quin hercle meus collibertus faxo eris, ſi Dii volent.*
SY. *ita dii faxint, numquid aliud me memorare Milphio?*
MI. *Valeas, beneq; ut tibi ſit.* SY. *pol iſtuc tibi & hero tuo eſt in manu.*

Conferes jam hæc cum vulgatis: in quibus maximum tamen eſt, quòd binos verſus perſonis alternavimus, uni antcà continuè tributos.

C A P U T VII.

Impetrare, pro patrare, non probatum. Ficulæ, fabulæ, nuculæ. Surptus. Nevis. In Pœnulo emendanda explicandaq; proceditur. Verſus in pedes ſuos reponuntur. Jocus tectior in ſervos ſarcinatos, quos ideò veteres, & antiquos Plautus appellet, detegitur. Voces pluſculæ verſibus aliquot ex antiquis libris adduntur: novitiis una detrahitur. Verſus unius dubia traductio monſtratur. Solœciſmus, ſi fortè, notatur. Alia contra alios corriguntur, explicantur.

A Sequente jam ſcena vel inviti omnes abſtinemus: quamquam non minus in eâ non intellectâ a deſcriptoribus ſorraſſe peccatum. Et tamen Africa hæc unum Proconſulem Scaligerum exſpectat, qui ſolus eam provinciam ex omnibus jam olim ſortitus utinam eat aliquando, & præter alias linguas abolitas, ac ſepultas pridem, etiam Punicam nobis reſuſciter, ejuſque has qualeſcunq; reliquias animatas interpretatione ſua inſtauret. Interim nos in Latio manentes, leviore operâ verſiculum ibidem in pedes reſtituemus, cujus verba ſic ordinanda:

Ejus filium hic eſſe prædicant Agoraſtoclem.

Monoſyllaba vox prima eſt, diſſyllaba ſecunda, per contractiones uſitatas. Aliâ hinc proximâ ſcenâ venuſtam nobis venuſti verſus tranſpoſitionem occupavit Cl. Grutetus, cui deberi eam à Plauti ſtudioſis adeò non doleo, ut æquè, ac ſi mihi, gaudeam. Ibidem autem alii *Impetrare* pro ſimplici ſuo poſitum volunt: quibus, quia ſine exemplo eſt, non aſſentior, & ipſum ſimplex reponendum puto:

AG. *Incipere multò eſt, quàm petrare facilius.*

Porrò ab omnibus jam legitur:

Servos quidem edepol veteres antiquoſq; habet.
AG. *Quis is?* MI. *viden' homines ſarcinatos conſequi?*

at non in omnibus: & multò verius in priſcis. Una literula novitiis deeſt, quæ reſtituta ſenſum faciet nimio quanto concinniorem. Nam hoc loco quid ita quæſierit Agoraſtocles? *quis is?* Ita quæſiit: *Quis ſcis?* Ajebat Milphio, ſervos illi Pœno vetulos eſſe: id unde ſciat, ab adoleſcente interrogatus, ipſos homines commonſtrat cum ſarcinis ſequentes. Jocatur autem in ſchema ſarcinatorum: qui ſub onere curvi incedentes videntur ſenes aſſimulare, quorum talis eſt habitus, ætatis pondere depreſſorum, quod ipſi graviſſimum ſæpè tergo ſuo incumbere, alicubi & Ætna gravius ſe ſuſtinere conqueruntur. Atque hunc jocum à nemine dum video deprenſum: neque mirum, quia ſic in occulto latet, nec ſe cuivis prodit. Ulterius, vocula deeſt verſui, quam è veteribus ei redono:

Quid ais tu? ecquid adhuc commeminiſti Punicè?

Atq; etiam illi, quem Lambinus traductione verborum interpolavit:

POE. *Pro dii immortales! ad hunc plurimi modum*
Periere.

Ex iiſdem inſero, *ut ad hunc*; & optimè conſtabit. Ex iſto autem:

MI.

MI. *Quid tu ait tu?* AG. *quid vis?*

tollendum prius *tu*, quod in optimam editionem irrepſit, ex aliis omnibus, & ipſa re liquet. Infrà. MI. *Ligulas canales oie ſi adtexiſſe & nuces*. Caſſum, & nihili verbum *canales*: cui non malè Douſa F. ſubſtituit *venales*. Dubito tamen & de hoc, & de ipſis *ligulis*: quæ quia non ſatis aptè nucibus in commercimonio mihi jungi videntur, laboro ut *Ficulas* ſcriptum credam, tralatitiâ τῶ L & F, item G & S commutatione. Tum *venales* etſi poterat jam minus improbari: tamen aliud ſubit è Stichi loco, ubi ficus, & nuces ad eundem modum, ſed & fabæ, diminutivâ quidem etiam forma, conjuguntur. Scen. *Agite ite*:

Pro opibus noſtris, ſatis commodulè, nucibus, fabulis, ficulis.

Jam intelligis, quid ſuſpicer: hic item *favulas*, quod eſt *fabulas*, ex *canales* fortè faciendum. Quod ſi ita; in dimenſione verſus, *Ficulas* quaſi duarum ſit ſyllabarum, *u* literâ obliteſcente. Sequitur hinc longiuſculè:

Verùm ego hic hoſpitium habeo, Antidamæ filium
Quæro, commonſtra ſi noviſti Agoraſtoclem.
Ecquem adoleſcentem tu hic noviſti Agoraſtoclem?

In quibus ſi veterem ſcripturam attendas, in qua præter alia eſt *hoſpitem* & *Quæſo*; poſſint videri ſic traductim legenda:

Verum hic ego hoſpitem habeo, Antidomæ filium.
Ecquem adoleſcentem tu hic noviſti Agoraſtoclem?
Quæſo, commonſtra, ſi noviſti Agoraſtoclem.

Sed non abeam tam procul à vulgatis: quorum ordinem cum apta diſtinctione relinquo. Sequens verſus à Lipſio talis factus, qualis in textum jam receptus:

AG. *Siquidem Antidamæ Demarchi quæris adoptatitium.*

At juſto longior eſt: nec, quod ille ſuaſit eliſionibus adjuvandum, id procedit. Nullis enim juvari ſatis poteſt. Neque ſanè valdè aut locutio Græcanica hic convenit, aut ipſa mentio Demarchi: Quis enim ſcit, an de eo ſciret Agoraſtocles? Nam poſtea quidem non hic, ſed Pœnus ejus meminit quaſi ad ipſum ignarum. Utcunq; autem eſt; è veteri vulgataque lectione malim abſque omni difficultate ſic corrigi:

AG. *Siquidem tu Antidamæ hic quæris adoptatitium.*

Et deinceps continuos verſus aliquot ex antiquis pleniores melioreſq; volo ſcribi:

POE. *O mi hoſpes, ſalve multum: nam mihi tuus pater,*
Pater tuus ergo mihi hoſpes Antidamas fuit:
Hæc mihi hoſpitalis teſſera cum illo olim fuit.
AG. *Ergo hic apud me hoſpitium tibi præbebitur.*
Namq; haud repudio hoſpitium, neq; Carthaginem,
Unde ſim oriundus.

Quibus quid acceſſerit ad integritatem, & ornatum, ex collatione ſpecta. In proximo neſcio ſi non ſolœciſmus hæret:

. . . . . . *qui potuit fieri, ut Carthagini*
Gnatus ſis, hic autem habuiſti Ætolum patrem?

Sanè *habueris* rectius erat: neque id numeris adverſatur. Tamen & illud in ſermone fero. Statim:

AG. *Surreptus ſum illinc, hic me Antidamas hoſpes tuus*
Emit me, & is me ſibi adoptavit filium.

Primù *Surptus* iterum legendum eſt: quam eliſionem & hic ſuprà, & alibi monſtrovi. dein alterutrum *me* delendum, malè bis in ejuſdem ſententiæ nexu poſitum. Poſſis verſu priore: ſed & altero faciunt veteres, cui aliam porrò iidem particulam interponunt:

Emit, & is poſt me ſib. ad. fil.

Atque iidem etiam unem iſti inferiori:

AG. *An mortui ſunt?* POE. *factum, quod quidem ægrè tuli.*

neceſſariam illam numeris, utilemque ſenſui: licet utrumque non omnibus ita videri poſſit. Mox habes:

AG. *Mi patrue ſalve.* POE. *& tu ſalveto, Agoraſtocles.*

Rectè: ſed humanius veteres: POE. *& tu ſalve, mi Agoraſt.* Ut utrobique *mi* ſit, affectu pari. Et ſtatim:

MI.

MI. *Pol iſtam rem vobis benè eveniſſe gaudeo.*
Et te moneri nonne vis? POE. *ſanè volo.*

neque malè, ſed ego melius: *Sed te maneri non nevis?* Alieno loco adhæſerat particula *ne*: quæ ad verbum *vis* retrahenda. *Sed* etiam à nexu orationis requiritur. *Nevis*, *nevult*, & inde plura, paſſim in Plauto. Sequitur:

Quid ſit negotii? MI. *potia' fieri ſubdolus?*

Verſus cauſâ Lipſius, *potiae*. Benè. Veteres non pejus, *potis' tu*. Qui metiri neſcierunt verſum, provocabulum ejecerunt. Inſerius:

MI. *Lepidè hercle aſſimulas, jam in principio id mihi placet.*

Vidè ne fuerit, *jam principiom id m.p.* Ita ſolet enim noſter. Amphitr.

Jam illud non placet de oſculo.

Sticho: *Principium placet de lectis.*

Neque tamen alterum minus probum.

CAPUT VIII.

Clarus clamor ſine modo. Inter vias, dies, annos &c. **Mutatæ diſtinctiones, & verba: hæc etiam aliter alicubi digeſta. Turbæ perſonarum mirificæ locis pluribus compoſitæ. Locus unus perturbatiſſimus in ordinem ex vero ſenſu reductus: tum aliquot continui verſus è ſcena media rejecti in ejus finem.**

JAm fores pulſamus ſcenæ, *Quis pulſat?* Atque ingreſſi turbas offendimus ibi inter perſonas Agoraſtoclis & Giddenemes, cujus locum ille non ſemel occupavit. Eas ſedamus hac noſtra deſignatione:

POE. *Novi, ſed ubi ſunt meæ gnatæ? id ſcire expeto.*
GI. *Apud ædem Veneris.* POE. *quid ibi faciunt? dic mihi.*
GI. *Aphrodiſia hodie Veneris eſt feſtus dies:*
Oratum ierunt deam, ut ſibi eſſet propitia.

Nihil certius, quàm nutricem reſpondere Pœno, ab eo interrogatam. Nam Agoraſtocles importunè præripiat ejus partes. At quæ mox illi tribuerunt, eripio viciſſim, & ſervo do:

MI. *Pol ſatis ſcio impetrarunt, quando hic hic adeſt.*

Quæ poteram & Agoraſtocli: ſed magis conveniunt ſervo: ut videbit, qui totum conſiderabit. Mox verba verſus ita digere:

Tua pietas planè nobis auxilio fuit.

quæ eadem & infrà, antepenultimâ ſcenâ. AD. *Mi pater, tua pietas planè nobis auxilio fuit.* Paulo pòſt:

POE. *Tace atq; parce muliebri ſupellectili.*
AG. *Quæ ea eſt ſupellex?* POE. *clarus clamor: ſine modò.*

Conjunctim legenda hæc: *Clarus clamor ſine modo.* Non enim verbum eſt *ſine*, neque adverbium *modo*: dicitque immodicum clamorem. Quæ nunc ſequuntur, & in verbis aliquantulum corrupta ſunt, & magis iterum in perſonis:

Tu adduc hos intrò, & unà nutricem ſimul
Jubeto abire hanc ad te. AG. *fac quod imperat,*
MI. *Sed quis illas tibi monſtrabit?* AG. *ego doctiſſimè.*
MI. *Abeo igitur.* AG. *facies, modò quam memores mavelim.*

Ad quem enim illa Pœnus, *Tu adduc hos?* Ut apparet, ad Agoraſtoclem. At quam convenienter eum jubeat ipſum ſervos ſuos ad ſe deducere? Tum quid ille reſpondet? *Fac quod imperat.* Et hoc verò ad quem dicit? Ad ſervum Milphionem: ut ſcribi volunt. Ineptiſſimè, quod ex hujus oratione ſubjectâ patet: quæ non eſt hujus. Nam ſervi ſcilicet hujus erat, puellas hoſpiti demonſtrare. Imò id nutricis. Atque illa iſta loquitur omnia, quæ Milphioni hic adſcripta. Qui porrò Milphio ſi hic jam abit, ut loqoentem eum fecerunt, *Abeo igitur*; quid infrà adhuc reſtitat ad finem ſcenæ? ubi exauditis ſequentibus omnibus, & loquitur etiam, *Opino*

ber-

Digitized by Google

hercle hodie &c. & in ipſo fine denique jubetur abire cum peregrinis ſervis:

. . . . *tu iſtos Milphio*
Abduce intrò, nos haſce hic præſtolabimur.

Omninò nihil in hoc toto loco ſani, ni verba ſcribantur, & perſonæ diſtribuantur, ut hic præibo:

. . . . POE. *clarus clamor ſine modò.*
Tu abduci hos intrò, & unà nutricem ſimul
Jubeto abire hanc ad te. AG. *fac quod imperat.*
GI. *Sed quis illas tibi monſtrabit?* AG. *ego doctiſſimè.*
GI. *Abeo igitur.* AG. *facias modò, quàm memores, mavelim.*

Hanno abduci ſervos ſuos vult, & unà nutricem abire in Agoraſtoclis ædes. Hoc ille aſſentit: & ad Giddenemen, facito, inquit, ut velle iſtum vides: quæ paullùm tricata, mox eò tamen abit. Sed jam in hanc emendationem apertè pugnat ſequens locus: è quo liquet, abire Milphionem velut juſſum cum Pœnis ſervis, quos abducat ad heri ædes:

MI. *Lachanam vos, quos ego jam detr. &c.*

Hæc enim ad illos Hannonis homines, inter vias. Atque id neceſſe, quia ſic voluerat ipſe hoſpes, ut jam è proximis vidimus. Hic quid nos reſpondemus? Pugnant iſta, nec poſſunt conciliari, ſi leguntur ſuo loco, quod ſtatim jam nego. Pugnant enim magis & in ſcenæ reliqua. Nec enim dum abit Milphio, neque fuit juſſus: quod paullò antè monſtrabimus. In fine jubetur demum: quò conſimui quatuor iſti verſus hinc rejiciendi. Ac omni careo ratione, niſi cogit omnis ratio finem ſcenæ ſic conſtituere:

AG. *Pol iſtuc quidem jam certum eſt, tu iſtos Milphio*
Abduce intrò: nos haſce hic præſtolabimur.
Patruo advenienti cœna curetur volo.
MI. *Lachanam vos, quos ego jam detrudam ad malas,*
Inde porrò ad puteum, atq; ad robuſtum codicem.
Ego faxo hoſpitium hoc leviter laudabitis.

Ut hæc cohæreant, neque dijungi poſſint, ex ordine rei toto cuivis non dormitanti perſpicuum eſſe poteſt. Superiora item jam optimè ſe conſequuntur, in hunc modum:

GI. *Abeo igitur.* AG. *facias modò, quàm memores, mavelim.*
Audin' tu patrue? dico, ne dictum neges,
Tuam mihi majorem fil.

Dimiſſâ nutrice, priuſquam & ſervi ablegentur, interjicit alium ſermonem Agoraſtocles, & agit cum patruo de filia ſibi deſpondenda: porroque alia de ſpectatione filiarum ſubjiciuntur: donec iis ipſis advenientibus ac viſis, Milphioni abitio, ſervorum abductio, & cœnæ curatio mandatur: qui inter eundum inhumana oratione non ſatis amicum hoſpitium illis minitatur. Hic ordo verus, & germanus: nec aliter tota ſcena conſiſtit. At jam occaſionem quoque trajectionis tantæ dicam. Video enim, nec me fallit. Eſt autem illa ſuperior mutatio perſonarum, ubi Milphio pro Giddeneme ſubſtitutus, errore facillimo in notis GI. & MI. Nam cùm hic putaretur illa priora dicere, & abire: conſequens viſum fuit, ut pronuntiati ab eo inter abeundum verſus illuc transferrentur. Atque ita à fine in ſcenæ medium illi pervenerunt: quos inde retractos à nobis rectiſſimè ſatis eſt hactenus probatum, nec pluribus emendatio tam luculenta verbis eget: quam neq; verbis, ſed ipſa re commendatam volo. Concludam autem hoc caput leviore notatiunculâ non protritiſſimæ dictionis. Legiſti in eadem ſcena:

. . . . POE. *at ne inter vias*
Præterbitamus metuo.

Inter vias eſt, in via, ut Aulular.

Deinde egomet mecum cogitare inter vias Occœpi.

Et Terent. Eunuch.

Dum rus eo, cœpi egomet mecum inter vias &c.

Ex qua eadem nota ſunt & hæc. Noſter Ciſtellar.

Inter novam rem verbum uſurpabo vetus.

Trucul. *Inter tot dies quidem hercle jam actum aliquid oportuit.*

Titinnius Fullon. . . . . *quæ inter decem*
Annos nequiſti unam togam detexere.
Tibull. *Atq; hæc ſeu noſtras inter ſunt cognita terras.*
Lucanus, ut volunt, Panegyr. ad Piſonem:
Mira ſubeſt gravitas inter fora: mirus omiſſá
Paulliſper gravitate lepor.

CAPUT IX.

Quæ res? Tenere, tenax, Venerea: item Dirumpere. In memoriam habere. Allex. Allium Ulpicum. Multa adhuc in Pœnulo variè emendata. Mutata verba, verſus concinnati. Fœdæ perſonarum confuſiones iterum quamplurimæ ſublatæ. Quædam ut correcta, ſic & explicata adverſus alios.

NImiſquam ſæpe negotium nobis faciunt perſonæ, quas rectè diſtributas ubique plurimum refert. Eæ aliquoties ſcenâ ſequente perturbatæ, atque aliter aliis in libris: maximè in orationibus puellarum ſororum: quæ confuſæ, non obſervato utriuſque ingenio diverſo, ut & ſuperius alicubi in hac fabula notavi. Dabo autem primò hic omnia iſta loca ſcenæ hujus, quæcunque ſic corrupta: & ſingulis veram prænotabo perſonam; ne tam diſſentanea, & ſæpè contraria ſibi loquantur: deinde ad alia generis ejuſdem vel alterius accedam. Ipſum principium non eſt Adelphaſii, ſed ſororis junioris, quæ ſemper introducitur procacior. Igitur ſcribatur, ut quidem nonnullis editionibus eſt:

ANT. *Fuit hodie operæ precium ejus qui amabilitati animum adiceret &c.*

Ubi & dubium, an non *adiceret* ſive *adjiceret* legendum. Atq; Anteraſtius hæc continuat hunc ſermonem uſque eo, ubi excipit altera major eam velut caſtigans:

AD *Malim iſtuc aliis videatur, quàm uti tu te collaudes.*

Jam verò quæ ſequuntur, unius non ſunt, utrius tandem ea faciant omnes libri Sed tu ſic diſtingue:

. . . . AN. *ſpero quidem.*
AD. *Et pol ego, cùm, ingeniis quibus ſumus; atq; aliæ, cognoſco;*
Eo ſumus gnatæ genere &c.

Quamquam hic ita quoque poteſt.

. . . . AN. *ſpero equidem*
Edepol ego, cùm, ingeniis quibus ſumus, atq; aliæ, cognoſco.
AD. *Eo ſumus gnatæ gen.*

Hanc enim poſtremam ſententiam prorſus Adelphaſio tribuendum eſt; quæ eadem repetit eandem infrà:

AN. *Non eo ſumus genere prognatæ, tametſi ſumus ſervæ, ſoror,*
Ut deceat nos facere quidquam &c.

Verùm prior modus, animo meo, magis aptus. Porrò illa ſic inter utramq; partienda:

ANT. *Ut volupe eſt homini, mea ſoror, ſi quod agit, cluet victoriâ!*
Sicut hodie nos inter alias præſtitimus pulcbritudine:
ADEL. *Stulta, ſoror, es magis, quàm volo, an verò pulcbra videre, obſecro.*
Si tibi illic non os oblitum eſt fuligine?

Cauſſa eadem hic eſt: quia minorem ſemper reprehendit, & corrigit major: haud contra, & juvat, quod Agoraſtocles ſtatim exclamat jam: *O patruè mi patruiſſime!* quod ubique facit poſt Adelphaſii ſuæ verba: & de hac potiſſimùm mox illud dicit:

Eſt lepido, & lauta: ut ſapit!

Qui

Qui porrò locus in alio mendo eſt, cum ita vulgatur:

> POE. *Quid eſt?* AG. *eſt lepida & lauta: ut ſapit!* POE. *ingenium patris habes quod ſapit.*
> AG. *Quæres jam diu edepol ſapientiam tuam, hæc quidem cum abuſa eſt.*
> *Nunc hinc ſapit, hinc ſentit, quidquid ſapit è meo amore.*

Et primo verſu ſcribes, *quo ſapit*: levi mutatione, quam alter requirit graviorem. Nam & numeri laborant, & ipſa verba. Medeor utriſque:

> AG. *Quæ res? jam diu edepol ſapientiam tuam abuſa eſt hæc quidem.*

Indignatur adoleſcens, adſcribere ſibi Pœnum, quod ipſe vendicabat ſibi. Et indignantium aut perturbatorum alio affectu formula eſt, *Quæ res?* de qua Gulielmius noſter ad Aulularìam. Tertius itidem a numeris corruptus, & defectus ab uno præterea verbo: quod veteres iteratò ſcribunt, *quidquid ſapit, meo amore ſapit.* Integer verſus ita ſit:

> *Nunc hinc ſapit, hinc ſentit: quidquid ſapit, amore meo ſapit.*

ejecta etiam præpoſitione *è*, quæ à Lambino. Sic amator amore ſuo ſapere dicit puellam, ut ingenio ſuo pater. Jam porrò non æquè peccatum in ſororum diſcriminatione: & tamen aliquando: ſed alio quidem modo. Servabimus autem nunc ordinem, & cum occurrent, oſtendemus. Iſto verſu:

> *Cum ſibi nimis placent, nimiſq; operam dant ut placeant viris.*

minime recipienda diverſa quorundam lectio, *minuſq; operam add.* quam Lambinus probaſſe videtur, & viros hic accepiſſe pro maritis. Nihil hic loci maritis: neq; mulieres hic ſunt uxores. Nimium ſtudium capitur placendi ſexui virili, quod innatum illi ſequiori. Poſt omnino legendum?

> AG. *Mea fiducia hercle aruſpex, patrue, his promiſit, ſcio, Libertatem.*

ut in veteribus exſtare Lambinus dicit: non *patruelis*, ut vulgò; aut, ut Lipſius, *patruelibus*. Utrumque repudiat verſus: alterum & ſenſus. Jam & verſus ille non conſtat:

> *Sed quis homo eſt?* AG. *amicus vobis.* AD. *qui quidem inimicus non eſt.*

Voculam unam traduc, & conſtabit: *qui quidem non inimicus eſt.* In hoc:

> AG. *Multa bona vobis facere volt.* AD. *bonus bonis beneſecerit.*

Vellm *beneſecerit*. Adhuc enim Agoraſtocli reſpondet. Deinceps eſt:

> POE. *Sed ut aſtu ſum aggreſſus ad eas?* AG. *lepidè hercle atque commodè.*
> *Perge etiam tenta, rem in pauca confer? ſitiunt, qui ſident.*

Cenſeo perſonis hoc variandum: ut quærat Hanno prius, an porrò tentandæ videantur, tum paucis id faciendum moneat adoleſcens. Ita enim percommodè poſſit:

> POE. *Perge etiam tentare?* AG. *in pauca confer.*

Et vix aliter à poeta ſcriptum credo. In proximo deinde jocus eſt, non hactenus animadverſus:

> AG. *Nunc tene patrue.* POE. *tu frugi ſi bonæ es.*
> AG. *Vin' ego hanc apprehendam?* POE. *tene.*

Interpretatur quidem Lambinus, *tu tene, ſi es bonæ frugi.* Sed id non penetrat interiorem mentem: Ambiguitas in verbo *tenendi* eſt, quod & inter Venerea. Cum igitur Agoraſtocles patruum tenere juberet ſuam ſponſam; patruus illam verò tu, inquit, tene, ſi es frugi bonæ. Verbi ipſius exempla pauca dabo. Appulejus lib. 10. Metam. *Teneo te, inquit, teneo meum palumbulum, meum paſſerem.* Idem lib. 3. *Nec ullum miſeræ reformationis video ſolatium, niſi quòd mihi, jam nequiunti tenere Potidem, natura creſcebat.*

Martial. *Sæpe ego N. tenui, des quàm benè quæris?*

Sidon. Apollinaris: *Iamq; Iovem in formas mutat, quibus ille tenere*
Mnemoſynem, Europam, Semelen, Ledam, Cynoſuram,
Serpens, bos, fulmen, cycnus, Dyctinna ſolebat.

Atque inde apud noſtrum *Tenax* in Caſina, ubi de equo indomabili, qui & alibi ludit eodem modo: *Iamne hoc tenetis? cave, dirumpatis*, quem locum ad fu-

nen

nem in ehoro ſaltantium trahunt vulgò: non malè, ſed & huc poteſt, imò debet magis: quia & in *dirumpendi* verbo eadem argutia captata. Id enim quoque in Venerio cenſu: uti Caſinâ bis:

STA. *Edepol ego illam mediam diruptam velim.*
OLY. *Credo edepol eſſe, ſi quidem tu frugi bonæ et.*

Item: ST. *Perii hercle ego miſer! dirumpi*
Cantando hymeneum licet: illo modo, quo dirumpi cupio,
Non eſt copia.

Sed hic porrò ſequitur:

AD. *An patruus eſt, Agoraſtocles, tuus hic?* AG. *jam faxo*
ſcibitis.

In antiquis eſt *ſcibit*: idque rectè. Nam & uni ſuæ reſpondet Agoraſtocles, & hinc jam verſus incipiunt mutari. Mox ibi:

AD. *Etiam me meæ latrant canes?*

ſine cauſſa Lambinus voluit *allatrant*. Si mutandum quid, accipienda veterum editionum ſcriptura perquam hercule venuſta: AD. *Etiamne meæ in me latrant canes?* Et vix eſt, ut non hoc potius ab auctore. Inferius earundem prorſus accipio:

Eos diis eſt æquum gratias nos agere ſempiternas.

In vulgatis *vos*, cur autem ſe excludat? Enimvero non excluſiſſe patet è ſequentibus ſtatim:

Cum noſtram pietatem approbant, decorantq; dii &c.

Ad finem propius, iſta non poſſunt eſſe ſana:

. . . . AG. *quæſo qui lubet tam diu tenere collum,*
Priuſquam te mihi deſponderit? AD. *omitto*. AG. *ſperata ſalve*.
AD. *omitte*.
Salutem. AG. *& tu altera*. AN. *nolo ego iſtuc, enicas me*.

Cur enim ſalutari ab amatore puella nolit? maximè cum in eo jam geſſerit morem, ut parentis omitteret collum. Opinor adulteratas & hic perſonas, unamq; præterea vocem. Atque omnino reſtituerim:

. . . . AD. *omitto*. AG. *ſperata ſalve, omitte*
Solutum & tu altera. AN. *nolo ego*. AG. *iſtoc enicas me*.

Impatiens moræ adoleſcens collum patris ab utraque vult ſolvi, ut liberè ſua ſibi queat deſponderi. Faciente illâ, renuit altera: à qua ſe dicit igitur enicari. Sub ipſum finem:

AG. *Patrue facito in memoria ut habeat, tuam majorem fil. &c.*

non indignum moneri de veteri lectione, & locutione, *in memoriam habeas*, quæ probè vetus & Plautina. Subnectamus huic capiti, & quæ in poſtremas ſcenas habemus, ſed eorum præcipua: quæ ſunt ipſa tenuja tamen ac pauca. Penultimæ illud:

Tune hinc amator audes eſſe hallex viri.

non ſapit mihi ex Lambini quamtumvis ſalsâ, & muriaticâ interpretatione: quam nec meliorem ab aliis ſcio datam. Igitur mutem interim vocem *hallex*, detractâ ſaltem adſpiratione. *Allex viri* ſit, impudicus, effeminatus, qui virum ſibi quærat. Ejus quidem vitii Pœnum arguit miles, atque eo indignatur, talem etiam amatorem eſſe, & contrectare id audere, quod mares ament. Sed conjectura ſimplex ea eſt, nec eo minus fortè vera, qua tamen argutiorem qui afferet, ei lubens cedam. Mox:

. . . . *tum autem plenior*
Allii ulpiciq; quam ſunt Romani remiges.

Libri veteres abſque copula legunt, *Allii ulpici*, non improbante ſententia, magis probante verſu. Utrumque enim quidni ſic junxerit, cum ſint eadem ferè? Species enim allii ulpicum. Quin ulpicum epitheton hic eſſe poteſt allii, quaſi dixerit punicum allium, quod decenter, & veriſimiliter in hominem Pœnum. Ulpicum autem, punicum allium vocari Columella docet lib. 11. c. 3. *Ulpicum quod quidam allium punicum vocant, Græci autem ἀφροσκόροδον appellant, longè majoris eſt incrementi quàm allium*. Sed hoc quoque ſaltem pono, non decerno. Illud:

. . . . . . AN *ita me Iuppiter*
Bene amet, beneſactum gaudeo, & volupe eſt mihi.

ajo prorſus aliter interpungendum;

. . . AN.

. . . . AN. *Ita me Jupiter*

Benè amet, benè factum : gaudeo, & volup. Ad ſcenæ exitum iterum perſona, credo, aliena ſuppoſita vera:

AN. *Et mihi hic aurifur eſt.* POE. *bellum hominem quem noveris.*

Nam miles haud ſanè meritò furem ſibi lenonem dicat, etſi auro ab eo circumductus: nec pro fure unquam antè vel deinceps compellat. Facit ſæpe Agoraſtocles, & jure ſolus. Huic enim propriè fur erat ex ſuperiore dolo, cùm ſervum mitteret cum auro, ei receptandum & negandum: id quod ita poſteà evenit. Igitur hæc jam ſub ejus perſona continuamus:

. . . . AG. *utramq; eſt, & leno, & Lycus.*
In ſervitute hic habuit duas filios tuos.
Et mihi (hic) auri fur eſt.

Probabit hoc ſcio, qui fallaciæ inſtitutæ, & locorum meminerit, ubi de furto iſto agitur: quæ plura ſunt paſſim, quam ut hic neceſſe ſit ulla poni. Et tamen ecce unum ex ultima ſcena, ſed aliâ cauſsâ mihi referendum, ut ſcil. emendetur:

AG. *Duplum pro furto mihi opus eſt.* LY. *ſume hinc quidem.*

Scribendum in reſponſione lenonis, *ſume hinc quid lubet.* Sic enim reſpondet deinceps ſemper. Aut in ſequentibus contrà mutandum, *ſume hinc quidem.* Eadem enim prorſus eſſe debet formula ubique. Et hæc poſterior placeat alicui magis, quia videatur ad eam alludi illis quoque ſubſequis verbis, *haud verbum quidem.* Verſui antepenultimo particulam inſeres ex antiquis: *Malum poſtremo hoc omne ad lenonem redit*, & huic fabulæ, ſi noſtra ex emendatione placuit aliquanto plus quàm antè, novum plauſum dabis.

VALENTIS ACIDALII

IN PLAUTI PERSAM DIVINATIONES, ET INTERPRETATIONES.

AD

CLARISSIMUM VIRUM

ASCANIUM

PERSIUM

Philoſophum, & Philologum.

CAPUT I.

Quadruplari. Albo ariete oppugnare. Perſæ principium à maculis pluribus expurgatum. Diſtinctiones, perſonæ, verba mutata: locus totus intricatiſſimus ope lib. vet. extricatus, & interpretatione clara enarratus. Album rete de oppugnatione remotum: albus aries ſubſtitutus. Locutio ipſa hæc eleganter explicata: altera cum explicationibus aliorum refutata, & damnata.

VEnio ad Perſam, ut & hunc in Romano theatro doceam latinius, & elegantius loqui: neque hoc tamen ſolum, ſed & faciam, id omnino, quod vult, dicere: id eſt ne ſenſus multis locis abhorreant, quod quidem in ipſa ſtatim periochâ fit, ubi ſic plerique libri diſtinguunt:

Profecto domino ſuos amores Toxilus
Emit, atq; curat leno, ut emittat manu.

An non enim ſententia abſurda, lenonem curare, ut ancillula ſua manu mittatur? Id quidem Toxilus curabat, ac per ipſam emtionem. Quare nemo fuerit tam puer, qui non videat hoc modo interpungendum: *Toxilus Emit, atq; curat, leno ut em. m.* A lenone hero manumittitur Lemniſelene Toxilo liberante. Primâ deinde ſcenâ nihil eſt quod offendat magnopere, niſi luxati quidam verſus, quos tamen prætereo, & in ipſo fine perſonarum graviuſculum peccatum noto. Nam quæ ſic nunc inter ſervos dividuntur:

SA. *At pol ego abs te conceſſero.* TO. *jamne abis?* SA. *bene ambulato.*
TO. *Sed recipe te quamprimum potes. cave ſuas mihi in quæſtione.*

eorum ultima, quantum judico, melius uni Toxilo continuè dentur omnia, diſpuncto Sagariſtione:

. . . . . . TO. *jamne abis? bene ambulato*
Sed recipe te q. p.

Ne-

Neque levis ratio: cum non Toxilus abeat ultrò, ſed ab hoc alter, impatiens μω-ρολογίας ipſius. Atque ait manifeſtè Sagariſtio, conceſſurum ſe ab illo, ſimulque concedit: ubi tum ille, ſiccinne abeat? quærit, & eo pergente, bene ambulare optat, ſed ita ut ſe quamprimum recipiat, nec in quæſtione ſibi ſit aut mora. Sic igitur, ut monſtravi, ſunt omninò perſonæ componendæ. Scena ſecundà difficilis eſt locus, quem nemo dum ſatis expediit, etſi plures fuerunt adnixi. Eum prius adſcribam totum, dein meam ſubjiciam cenſuram ſingulatim.

Neq; quadruplari me volo, neq; enim decet
Sine meo periculo ire aliena ereptum bona:
Neq; illi qui faciunt, mihi placent, planè loquor.
Nam publicæ rei cauſſâ quicunq; id facit
Magis quàm ſui quæſti, animus induci poteſt,
Eum eſſe civem, & fidelem, & bonum.
Sed legirupam qui damnet, det in publicum
Dimidium, atq; etiam in ea lege adſcribier,
Ubi quadruplator quempiam iniexit manum,
Ut æqua parti prodeant ad treſuiros.
Si id fiat, næ iſti faxo nuſquam appareant,
Qui hic albo rete aliena oppugnant bona.

Sudat Lambinus mirum in modum, nec proficit tantillum: ut de aliis ſileam, quorum nemo fuit, qui germanum ſenſum aſſequeretur, quia nimis omnes receſſerunt à veterum librorum lectione. Hanc ſecutis nobis non erit, ut ſpero, difficile ad verum pervenire. Verſu autem primo, *me* Plauti more abundat, quod locutionis genus alibi neque ſemel attigimus: *quadruplari*, eſt quadruplatorem agere: quem ſe eſſe velle paraſitus negat, & addit rationem, in qua præcipuè obſcuritas, eaque ex interpolatione ſcripturæ veteris in contrarium planè ſenſum abeuntis. Ubi enim libri noſtri, *quicunq; id facit*; illi habent, *qui non id facit*: ubi noſtri, *animus induci poteſt*; illi negatione itidem inſertâ, *animus haud induci poteſt*, & denique, ubi vulgò, *qui damnet*; in illis, *quidem ni*, notabili diverſitate. Accedit, quòd fractus, & mutilus verſus eſt, *Eum eſſe civem & fidelem & bonum*, tum quòd ſententia defecta etiam iſtorum, *atq; etiam in lege adſcribier*. Poſtremò ſolœcum eſt, *quempiam iniexit manum*. Quæ tamen omnia ſic etiam leguntur in antiquis. At verſum mutilum juvare ſic nobis liceat:

Eum & fidelem civem eſſe, & virum bonum.

itemque ſententiam defectam ſic explere, *atq; æquum etiam in ea lege adſcribier.* Vox enim *æquum* à conſimili *atq;* potuit abſorberi. Pro *quempiam* reponere quivis ſciat *quoipiam*. Nam eo caſu ſtatim ſubjicitur, *illi rurſus injiciat manum*. Alterum *quempiam* ab iis natum, qui & pro *iniexit* fecerant *illexit*. Sed omnia nunc reſcribamus, ut de ingenio partim, partim ex veterum codicum auctoritate cenſemus optimè emendari.

Nam publicæ rei cauſſâ qui non id facit
Magis quàm ſui quæſti, animus haud induci poteſt,
Eum & fidelem civem eſſe & virum bonum:
Sed legirupam quidem: niſi det (vel *ni duit*) *in publicum*
Dimidium, atq; æquum etiam in ea lege adſcribier,
Ubi quadruplator quoipiam iniexit manum,
Tantidem ille illi rurſus injiciat manum,
Ut æqua parti prodeant ad treſuiros.

Jam cohæret ſibi mutuò ſententia, quæ divulſa antè non conſiſtebat. Et quid clarius eâdem? Hoc quidem tot verbis Paraſitus dicit: Nolle ſe quadruplari, neque id ſibi genus hominum probari, non enim decere, aliena bona ereptum ire ſine periculo ſuo: neq; poſſe fidelem civem aut virum bonum eſſe, qui id faciat non tam reipublicæ, quàm privati quæſtus ſui cauſſa: verùm profectò legirupam eſſe hunc talem, niſi ſi dimidium det in publicum, nam qui hoc det, ferri poſſe, atque id omninò dandum: utque detur, lege cavendum eſſe: cui legi illud etiam ſit æquum adſcribi, ut cui manus injecerit quadruplator, is ipſi viciſſim quadruplatori manum injiciat, ac quidem tantidem prorſus, ut ad triumviros æqua parte veniant, & æquo jure. Quod ſi ita fiat, nuſquam apparituros illos alienorum bonorum inſidioſos, & fraudolentos, inſi-

quiſſi-

quiſſimos quidem illos, ſed ſub æqui & honeſti ſpecie, captatores. Ceterùm quibus verbis hoc poſtremum in Plauto effertur, ipſa quoque controverſæ diu fuerunt inter eruditos ſententiæ, & aliquandiu etiam ſcripturæ. Sed hanc omnes amplexi poſtremò ſunt, ut ſcriberetur, *Qui hic albo rete oppugnant bona*, & hæc tamen approbatà, nihilominus in illa fluctuarunt. Quis non album illud rete torſit? Alius ad codicillos, dicas, ſyngraphas; alios ad Prætoris ſolius, alius nunc ad magiſtratuum aliorum etiam album, nunc ad album tabularum; alius aliò retulit: quidam & proverbium fecit, origine ejus noſcio unde, ſed, niſi fallor, à pictis & diverſicoloribus retibus deducta, contra quem Florentinum nugatorem Gallus tandem aliquis inſurrexit, communemque iſtam litem ſuam propriè fecit. Atque hic idem optimè omnium, tranſlatitium eſſe ſermonem docuit, & allegoriam in voce *Reti*. Per hanc leges intelligi: eas albas dici, quaſi ἀπαραίτητοι. Cujus in explicatione conquieſcere omnes hodie puto, ut jam olim in vulgata nunc lectione. At ego cum illam ſanè quoque recipiam, hanc tamen ſolus vix admitto: quod erit præter omnium exſpectationem. Quis enim putet novam litem moveri nunc poſſe ſcripturæ ſic interpretatæ? Movebitur ecce tamen: neque tantùm poteſt, ſed debet. Poſſe, lectionis antiquæ prærogativa facit: debere, certa ratio ſuadet. Priſca lectio eſt, *albo pariete*. Ratio iſta: Non enim Latinum, *retibus oppugnare*, quod ſenſit Yuo quoque, cum Titium interrogat, an Latinum putet, piſces retibus oppugnare? Ac mirùm, qui non hoc admiſit, eundem illud admiſiſſe tamen, ut bona reti dicantur oppugnari. Non enim diverſa ratio in piſcibus & bonis: Manetque idem loquendi genus, dum verbum *oppugnare* jungitur utrobique voci *reti*. Qui autem paullo elegantior, nedum Plautus elegantiæ princeps, ita loquatur, ut oppugnationem in retibus ponat? nam quid hæc ad pugnam? ut maximè ſit allegoria, quæ quidem nec eſt, niſi tranſlatio ſit cohærentior; Enimverò talem ex veteri lectione nos faciemus: & vicem retis, arietem oppugnandis bonis accerſemus. *Albo* inquam *ariete* corrigendum eſt, ex *alto pariete*: ſed ita ut neque *p* literam negligamus. Ea mutanda in *d*: quæ interiectio ſolennis inter voces à vocalibus inchoantes. Atque ita verò numeri poſcunt, *albod ariete*. quorum ipſorum cauſſâ plerumque elementum illud interponitur hiatui evitando. Jam *ariete oppugnare*, verius accommodatiuſque dici, nemo erit, qui neſciat, niſi qui bellicam arietis nomine machinam, ejuſq; præcipuum in oppugnantibus uſum non norit. Hanc machinam albam dicit Plautus eo prorſus modo, quo rete volebat Yuo. Eſt enim λόγῳ εὐσχηματισμένος certò. Leges & jura ſunt quaſi aries, ſed is albus, id eſt [illegible] & prætextu honeſto exornatus: quo callidi quadruplatores oppugnant miſerorum bona. Invadunt enim ea ſub æquitatis ſpecie, reipublicæ cauſſam ſe agere ſimulantes, cùm ſuo interim quæſtui tantum ſtudeant. Hæc de celebri Plauti loco ſententia noſtra eſt, pariter & lectionem, & explicationem germanam auctori reddens: quam deinceps non jubeo, qui enim ego? ſed ſuadeo ſequi, confidoque ſecuturos omnes, niſi qui ſponte in alterutra falli, vel aberrare ab utraque volent.

CAPUT II.

Surpta. Interibi. Herilis fides, pro ſervo, qui hero fidelis. Plinii ad Plautum aſpectus notatus, & in utroque addubitatum. Alterius error, alterius defectus emendatione levi fortaſſean ſublatus. Alia plura diverſi generis menda correcta.

AUt mutilus eſt hodie Plauti locus iſte proximâ ſcenâ:

Commiſce mulſum, ſtruthea, colutheaq; appera:
Bene ut in ſcutris concaleat, & calamum injice.

aut ratio fugit olim Plinium, qui myrrhæ ſeu vini murrhati mentionem hic fieri ſcripſit Hiſtor. Nat. lib. 14. cap. 3. *Lautiſſima apud ipſos vina erant myrrhæ odore condita, ut apparet in Plauti fabula, quæ Perſa inſcribitur, quanquam in ea & calamum addi jubet*. Liquet, ad hunc planè locum reſpexiſſe magnum illum Naturæ myſten: ubi cum ſane calami mentio exſtet, nulla eſt tamen illius murrhini condimenti. Utrum di-

Digitized by Google

dicemus autem, erraſſe Plinium, an Plautum mutilatum? Hoc, qui Plinio magis faveat, dixerit: illud, qui Plauti locum diligentius ponderarit. Neque enim ulla Plautini textus inconcinnitas apparet, unde quidquam deeſſe deprehendatur, & ſenſus eſt omninò plenus: ad quem neque facere videri poſſit, aut murrhati, aut ullius adeò vini mentio, quamquam ſanè *mulſum* tamen ibi liquidò perſcriptum: pro qua ipſa voce ſuſpicari liceat Plinium legiſſe *murrham*, atque hanc, ut utrique ratio conſtet, in Plauto reponendam. Quod vero quidem non abſimile videtur, utique cum & mutatio non ſit difficilis, & conjectura non vana ex Plinii affirmatione ducatur: ego tamen hactenus probo, ut & mihi & aliis aliter ſentiendi libertatem ſervatam velim. Itaque quidquid de eo eſt, ſatis mihi ſit hanc nunc ſuſpicionem injeciſſe, quæ utrumque poſſit, & Plautini loci ſuſtinere integritatem, & auctoritatem Plinii tueri. De cetero, monendus es, lector, ne vel illam loci totius vulgatam interpunctionem ex neſcio quibus veteribus libris amplectare:

Commiſce mulſum, ſtruthea, coluthea: aquam appara.

Vera ſcripta & diſtinctio iſta erit:

Commiſce mulſum: ſtruthea, colutheaq; appara
Bene ut in ſcutris concaleent, & calamum injice.

Vel adeo iſta, ſi ita vis:

Commiſce murrham, ſtruthea, colutheaq; appara,
Bene ut ſcutris concaleant, & calamum injice.

Quarum utramvis ſequeris, omnino *concaleant* multitudinis numero ſcribendum. Sed eâdem ſcenâ porrò multi verſum illum divexarunt:

Cynicam eſſe gentem oportet paraſitum probè.

neque attinet omnium reſtitutiones vel afferre vel examinare: meam pono, quæ reliquis collata facilè præponderabit:

Cynicâ eſſe è gente oportet paraſitum probum.

Ait, qui probus eſſe paraſitus velit, eum Cynicæ generis eſſe oportere: quod quomodo, mox declarat. *Probum* feci, quia probum paraſitum, quem nunc deſcribit, opponit illi alteri nihili, quem deſcripſit prius:

Nihili paraſitus eſt, cui argentum domi eſt &c.

Argutiam noſtri popularis in *Probe eſſe*, non alienam quidem à re aut ingenio poetæ fateor, ſed à vero ſenſu hic nunc remotiorem ajo.

Sequitur ibidem:

Nunquam hercle hodie hîc prius edis, ne fruſtrà ſis.

cujus ruentes numeros inſertione literulæ ſuſtinebis, & ſcribes *ſies*.

Ac deinceps:

Qui ſibi parentes fuerint, unde ſurrupta ſit:

etſi non neceſſariò, tamen fortaſſe *ſurpta* fuit, in quod numeri & ipſi nonnihil inclinant. Inferius:

TO. *Quaſi ſit peregrinus.* SA. *laudo.* TO. *& tu tuam guatam tamen*
Ornatam adduce lepidè in peregrinum modum.

Supervacuum hic *tu* videtur, quod abeſt antiquis: *tamen* autem prorſus inconveniens. Aliquando ſcribebam:

TO. *& guatam autem tuam Orn. add.*

nunc malim tamen, TO. *& tu tuam guatam item Orn.*

Mutatio hæc levior: atque *item* eò reſpicit, quòd & venditor ipſa peregrinum in modum juſſus fuit exornari. Proximi ab ultimo verſus hi ſunt:

TO. *Abi, & iſtuc cura, ego puerum volo*
Mittere ad amicam meam, ut habeat animum bonum.

quorum prior uno pede deficit, & integrior in vetuſtis ſcribitur quidem:

TO. *Abi, & iſtuc cura.* SA. *me tibi.* TO. *ego puerum volo.*

quid autem vult ſibi interpoſitum iſtud una cum nova perſona, *me tibi*? Nihil ad rem: ſed inde conjiciendum, quod ad rem. Conjeci, ac veriſſimè, *interibi*: quod adverbium pro intereà Comicis ubique, & Appulejo etiam in Apologia uſurpatum:

Augetur oppidò familiaritas: interibi revaleſco.

Hoc immiſſo, ſed perſonarum notis exturbatis, reſcribe: TO. *Abi, & iſtuc cura, interibi ego puerum volo Mittere.* Non certius, explendum eſſe verſum, quàm hoc

vocabulo explendum, quod rei tam aptum, & veteri tam ſimile ſcripturæ. Scenâ, *Satin' hæc tibi*, præter alia aliis obſervata notabi, *berilem fidem* dici ſervum qui ſit hero fidelis:

PÆ. *Scio fidei hercle herili ut ſoleat impudicitia opprobrari.*

Delendum enim ſic è medio verſu comma, ut quæ ſenſu cohærent, interpuncto ne divellantur. Impudici a conſervis inſimulantur in Comœdiis perſæpe ſervi, qui dominis ſe ſtudent eſſe fideliores. Mox ibidem:

TO. *Abi modo*. PÆ. *ergo laudabis ſaxo.*

rectius erit *ego* in vicem τῷ *erga*. Multo pôſt:

. . . . SO. *ergo huc mihi expedi*,
Quò agis? PÆ. *quo tu?* SO. *dic tu, prior rogavi*. PÆ. *at poſt ſcies.*

Inſeri volunt, *Quò te agis*: neſcio, an verſus tantùm cauſa, nam alioqui ſæpe Plautus eam particulam omittit. At veteres libri ſcribunt hic tamen *Quo abis?* verius fortaſſe. Nam verſui aliter etiam conſulendum. ita dico, ut pro *poſt*, adjectis aliquot literis, *poſterior* ſcribatur. Quod ita neceſſe. Nam inconcinna alias ſententia: *Prior rogavi, poſt ſcies*. Quanto autem & ſermo venuſtior? *Prior rogavi, poſterior ſcies*. Nullum eſt dubium, quin ſic debeat reponi. Verſu ultimo:

SO. *abeo*. PÆ. *at ego abiero*. SO. *ambula*.

legendum PÆ. *& ego abiero*. Abeunte ancilla, ſe quoque puer abiturum dicit.

C A P U T III.

Largiri bobus, dictis. Abi dum, Rejicere. Perennitare, Superſtitare. Quæ hæ rei ſunt? Cujuſmodi. Plautina aliquot loca contenduntur. Traducitur ambiguè verſus. Scenæ aliquot corriguntur, numeris, perſonis, diſtinctionibus mutatis.

SCenâ *Jovi opulento*, ne mihi quis mutandum cenſeat genus id loquendi, quo verbo *largiri* caſus jungitur non, ut ſolet, accuſandi, ſed auferendi:

Nunc amico homini bobus domitis mea ex crumena largiar.

Non enim hic ſemel ita Plautus, ſed & Pſeudolo ibidem:

Quid nunc acturu's, poſtquam herili filia
Largitus dictis dapſilis? ubi ſunt ea?

Quem locum ante nos ita cepit N. Douſa P. defenditque contra Lambinum & alios exemplo quidem uno ſimili, ſed quo multo clarius & firmius eſt hoc noſtrum. De bobus autem ipſis ex crumena depromendis ludit auctor ſuo more, quo etiam Aſinariâ de aſinis ex crumena clamantibus. Sc. *Perfidiæ*:

Nimis vellem habere perticam. LE. *quoi rei?* LI. *qui verberarem*
Aſinos, ſi fortè occeperint clamare hinc ex crumena.

Atque iterum hac fabula de bobus hiſdem. Sc. *Paratum*.

. . . . SA. *abi, atq; cave ſis*
A cornu. TO. *quid jam?* SA. *quia boves bini hîc ſunt in crumena*
TO. *Emitte ſodes, ne enices fame.*

Nec aliter Truculento: Sc. *Rus mane*. *Ego properam minas; Oves in crumena hac in urbem detuli*. Et ibidem in extremo Comœdiæ:

Pecua ad hanc collo in crumena ego obligata defero.

Quæ loca non injucunde, nec inutiliter inter ſe comparantur. Ultimus hujus ſcenæ verſus leviter una voce trajecta ſic fortè melius ad numeros ſcribetur:

Offerri poteſt, quin ſim peritus, ſed Toxili eccum puerum Pæginum.

Sequitur alia ſcena, cui initium, *Penſum meum*. In hujus principio video unius verſus tranſpoſitionem animadvertiſſe. Neque enim alter iſtorum admodum commodè hæret iſtic:

. . . . SA. *ſcelerate, etiam reſpicis?*

PÆ.

PÆ. *Scio ego quid ætatis ſim, eò iſtuc maledictum impune auferes?*

Ac traductus poſt eum, qui nunc octavus, optimè quadrabit. Ut hic ſcilicet ordo ſit:

. . . . SA. *ſcelerate etiam reſpicis?*
Ubi Toxilus eſt tuus herus? PÆ. *ubi illi libet, neq; te conſulit.*
SA. *Etiamne dicis, ubi ſit, venefice?* PÆ. *neſcio inquam, ulmitriba tu.*
SA. *Maledicis majori.* PÆ. *prior promeritus perpetiare.*
Scio ego quid ætatis ſim: eò iſtuc maledictum impune auferes?
Servam operam, linguam liberam herus meus me juſſit habere.

Jam is verſus illi Sagariſtionis dicto reſpondet, SA. *Maledicis majori.* Nam ægrè hoc ferente, minorem majori ſibi maledicere; ſcio, inquit alter, ætatem meam, ſcio minorem me, te majorem: ſed eamne ob cauſſam tibi licebit impune quidvis in me dicere, mihi reponere fas erit nihil? Hoc accommodatum vident omnes: neque tamen ego transferendum omnino verſum affirmabo. Neque enim ſic ſentio diſtrictè. Quin & ſuo loco non ineptè relinquetur: ſed detrahenda tum ei nota interrogationis, ut ἀζωικῶς proferatur. Pro ſcelerato enim increpatus, ſcire & recordari ſe dixerat ætatem ſuam: eò modeſtius honorem habiturum illi, nec maledictum maledicto penſaturum. Nec deinde tamen parcit: atque cum non parcat, huc reſpexiſſe Sagariſtio poteſt, cum ait, *Maledicis majori*, quaſi objectans illi impudentiam, homini, qui ſe feciſſet antea tam pudentem. Tu, lector, utrum mavis, ſequeris. Ego traductioni magis aliquanto adhærerem, niſi cohærerent illa tenacius, *Prior promeritus perpetiare*, & *Servam operam, linguam liberam &c.* neque diffindi ſe paterentur hac inſertione, quæ & ſequi juſtus debebat ipſum ſtatim illud *Maledicis majori*. Cui præterea leviuſculum aliud accedit, quòd is verſus eſt generis ab his, quibus nunc interponitur, diverſi, ejuſdem autem cum illis, quibus vulgò ſociatur. Eadem verò ſcena tenue quiddam aliud, non tamen prætereundum.

. . . . SA. *itane? ſpecta*
Quid dedero. PÆ. *nihil, jam nihil habes.* SA. *dii deæq; te omnes perdant,*
Niſi te hodie, ſi prehendero, defigam in terram colaphis.

Leges primò: PÆ. *nihil, nam nihil habes.* dein *me* repones in locum alterius *te*. SA. *dii deæq; me omnes perdant.* Ea enim communis formula dejurationum: à qua deflexiſſe per jocum Plautus hic videri poſſet, niſi ſubjiceretur mox à Pægnio, *Eveniant volo tibi quæ optas.* Optavit igitur ſibi Sagariſtio, ac *me* dixit: qui ſi *te*; non fefelliſſet id argutum puerum, atque idem longè aliud reſponſum repoſuiſſet. Proximâ ſcenâ nihil etiam magni momenti. Quod de callo aprugno ibi dicitur:

Satin ea tenes? SO. *magis calleo quàm aprugnum callum callet.*

Idem fuit Pœnulo:

Jam tenes præcepta in corde? CO. *pulcrè.* MI. *vide ſis calleas.*
CO. *Quid opu'ſt verbis? callum aprugnum callere æquè non ſinam.*

At ſtatim levites in ſcriptura novi priſcique libri diſſentiunt. Hodierni, TO. *propera, abi domum*; Vetuſtior unus: *abidum.* Utrumque rectè: Plauti tamen hoc hic fortaſſe. Tum infra:

SA. *Enim metuo ut poſſim in bubilem rejicere ne vagentur.*

patum refert, *bubilem* novo, an *bubile* vulgari genere ſcripſerit auctor: *rejiciendi* verbo appoſitè uſus eſt bis ibidem, uti & Virgilius:

. . . . *A flumine rejice capellas.*

neque audiendus, qui *reigere* & *reigam* hic eſſe voluit, quaſi melior ſit ab *agendo* compoſitio in illum ſenſum. Progredior ad illam bono cum omine; *Quæ res bene vortat*: cujus ſecundo verſu, *Perennitatiſq; adeo huic perpetuo cibo.* mirum ni voci *perennitatis* cauda præcruncanda, ut *perinnitatiq;* ſcribatur, quod eſt *perennitantiq;*, litera *n* omiſsâ, ut in *Prægnas*, aliiſque multis ſolet. *Perennitare* quidem verbum eâ formâ procuſum, quo ſtatim ſubſequens *ſuperſtitare*: quo Ennius etiam uſus, *Menalip.*

Regnumque noſtrum ut ſoſpitent ſuperſtitent.

Ac melius mihi verba caſu eodem omnia poni videantur, *perpetuo perennitanti cibo*: quia ſic aptior aliquanto ſenſus. Etſi non damno etiam cibum *Perennitatis*, quaſi ali-

cujus

cujus Deæ. Inferius in perſonam nonnihil variatur:

. . . . at nequidquam nevis:
Meo modò iſtud potius fiet quam tuo.
VIR. *Fiet?* PA. *quæ hæ res ſunt?* VIR. *cogita hoc verbum pater.*

Ita vulgò: contra quod Lambinus voluit:

VIR. *Fiat, quæ hæ res ſunt? cogita h. v. p.*

At ego veteres editiones ſequar, illas quas ſoleo præ ceteris plerumque ſequi, & reſtituam:

Meo modo iſtud potius fiet, quam tuo
Fiat, quæ hæ res ſunt? VIR. *cog. h. v. p.*

Stomachantis patris eſt *Quæ hæ res ſunt?* cui formulæ geminam, *Quæ res?* habuimus & notavimus ad Pœnulum: eademque hic eſt ultimâ ſcenâ:

Hicciune eſt qui fuis quondam fortis? DO. *quæ hæc res eſt? hei colapha me icit.*

Et Caſinâ:

. . . . OL. *hei hei, fætet*
Tuus mihi ſermo. ST. *quæ res?* OL. *hæc res.* ST. *etiamne aſtas?*

Et Aſinar.
Quæ res? tun libero homini ſervos malè loquere?

ad quam fabulam aliquid hujus generis & olim Gulielmius noſter. Ibidem ſcenæ poſt:

PA. *Tace ſtulta, non tu nunc hominum mores vides,*
Quojuſmodi hic cum fama facilè nubitur?

Ut rectè intelligas, aliter diſtingue:

PA. *Tace ſtulta, non tu nunc-hominum mores vides?*
Quojuſmodi hic cum fama facilè nubitur.

Affirmanter enim poſterior verſus efferendus, & *Quojuſmodi* non quærit, ſed valet hic cujuſque modi, cujus vis modi. Nam ſenſus eſt, cum qualicumque, ſeu cum omnis generis famâ, tamen facilè nubi, ſi dos non deſit. Is particulæ ejus uſus noſtro familiaris. Nam cum alibi, tum Pſeudolo ita:

Murrhinam, paſſum, defrutum, melinam, mel cujuſmodi.

Pro quo apud Gellium & Appulejum frequentatur ferè *cujuſcemodi.*

CAPUT IV.

Logi dotis, nummi præſidii, dies ſpatii, & talia quâ formâ dicantur. Traloqui, Tralegere, & ſimilia. Mirum quin. Schema pro quovis habitu, non tantum penula ſervili. Dos filiarum Homeri, & Paraſiti. Dubia verſus unius trajectio: alterius admodum controverſi conſtitutio. Locorum plurium variæ, & miſcellæ collationes, Emendationes, explicationes in aliquot ſcenas ordine perçuſas.

EAdem adhuc ſcenâ ridiculè Paraſitus filiæ ſuæ dotem promittit ex artis ſuæ libris, ſexcentos logos. Ridiculè ſed Homeri ſcilicet exemplo, qui ſuæ quoque filiæ propter inopiam Cypria ſua carmina dediſſe in dotem perhibetur. Id ex Æliano cognoſcimus, qui habuit ex Pindaro, & aliis non nominatis. Verba autem ejus iſta Variar. lib. 9. c. 15. λέγεται δὲ κἀκεῖνο πρὸς τούτοις, ὅτι ἄρα ἀπορῶν ἐκδοῦναι τὴν θυγατέρα, ἔδωκεν αὐτῇ προῖκα ἔχειν τὰ ἔπη τὰ Κύπρια: καὶ ὁμολογεῖ τοῦτο Πίνδαρος. Sed audiamus & Plautinum paraſitum.

. . . . PA. *cave ſis tu iſtuc dixeris.*
Pol deûm virtute dicam & majorum meûm,
Ne te indotatam dicas, cui dos ſit domi.
Librarum eccillum habeo plenum ſoracum.
Si hoc accuraſſis lepidè, cui rei operam damus,
Dabuntur dotis tibi inde ſexcenti logi,
Atq; Attici omnes, nullum Siculum acceperis
Cum hac dote poteris vel mendico nubere.

In quibus trajectionem moliri licet hujuſmodi:

. . PA.

. . . . PA. *cave ſit tu iſtuc dixeris:*
Ne te indotatam dicas; cui dos ſit domi.
Pol Deûm virtute dicam & majorum meûm,
Librorum eccillum habeo plenum ſoracum.

Atque in hanc cum ego ſanè inclinem, retinent tamen antiquæ editiones, quæ & ordinem vulgatum ſervant, & cum ſententiæ arctius vinciendæ, tum verſui magis explendo, particulam *enim* inſerunt ita:

Ne te indotatam dicat cui dos ſit domi.
Librorum enim eccillum habeo plenum ſoracum.

Sed jam pendet, nec habet quò referatur iſte verſus,

Pol Deûm virtute dicam & majorum meûm.

cui quidem aliud prætetea quid fuerat ſubjiciendum. Ceterùm *Dabuntur dotis* alibi conjungendum dixi: nunc potius videtur, ut *logi dotis* juncta capiantur, eodemque modo omnia, de quibus hoc genus ad ſuperiorem neſcio quam ſabulam pluribus egi. Sic & Pœnulo jam *trecentos nummos præſidii* capio: & in Appulejo *trecenta millia dotis*. Apologiâ: *Pudentilla locuples femina trecentis millibus dotis fuit contenta*. Nec aliter Cæſar lib. 1. bel. Civil. *Sex dies ad eam rem conficiendam ſpatii poſtulant*. Quæ omnia converſim vulgus diceret, ſpatium ſex dierum, præſidium trecentorum nummûm, dotem trecentorum millium, ſexcentorum logorum, atque ita deinceps. Ultimo verſu pulcherrimum eſt, quod παρ' ὑπόνοιαν mendicum ſuppoſuit homini nobiliſſimo & ditiſſimo. Nam auditores exſpectabant, ut cum tam præclara dote nubi poſſe diceretur vel præclariſſimo alicui & primori civitatis. At ille, quod verius erat, mendici conditionem inveniri poſſe ait: in quo & ipſo honeſtiſſima ambiguitas ſenſus. Dum enim hoc innuitur, utilitate dotis non niſi mendicum conciliatum iri; ſimul ejuſdem præſtantia commendari videtur: atq; ita interpretari licet, quaſi tam opulenta lautaque dos ea ſit, ut ſi puella vel egentiſſimo & prorſus inopi alicui viro nubat, tamen abundè ſatis habeat ad vitam inde cum marito, & familia commodiſſimè ſuſtentandam. Omiſimus verò ſuperius:

VIR. *Futura*. PA. *ſcis nam tibi quæ præcipio?* VIR. *omnia*.

in priſcis legi, *præcepi*, paullò melius. Nunc curam noſtram flagitat ſcena *Curate*, qua leviſſimè deſungemur. Eo verſu:

Pecuniæ accipiter, avide atq; invide:

veteres ſcribunt *Pecuniarum*, atque ita numeri quoque jubent: Mox *Traloqui* verbum habes, quod eſt ordine eloqui, ſeu percenſere: ad quod exemplum alibi formatum *Tralegere*, & hic poſtea *Tranſcindere*: & in Appuleii Apologia *Tranſvorare* Inferius non interpungitur, ideoque non capitur, rectè ſatis iſtud:

TO. *Fortaſſe metuit in manum concredere.*
DO. *Mirum, quin citius jam à foro argentarii*
Abeunt, quàm in curſu rotula circumvortitur.

Tu *Mirum quin* conjunge, & integro puncto à reliquis ſeparato. E præcedentibus enim ἀπὸ κοινοῦ ad hoc repetes, Mirum quin tibi in manum concredam, vel Mirum quin metuam: id eſt omninò metuo. Sic enim Plautus ubique formulâ iſtâ utitur, in qua fruſtra Lambinus ſe multis locis torquet. Fuit hic paulò antè: DOR. *Mirum quin tibi ego crederem.*

Et ſuperius:

Mirum quin regis Philippi cauſſa aut Attali
Te potius vendam.

Et ubique exemplorum copia: quæ commodè accipere ſatius eſt, quam de interpretatione per æquivalentia verba fruſtrà ſatagere. Reliqua jam hic, *Citius argentarii &c.* ſimillima ſunt iſtis prioribus:

Ubi quid crediderit, citius extemplo à foro
Fugiunt, quàm ex porta ludis cum emiſſuſt lepus.

Et tale quid fuit & Pſeudoli fracto hodie loco:

Heus tu, poſtquam hercle iſti à menſa ſurgunt,*
Qui ſuum repetunt, alienum reddunt nato nemini;

Scenæ conſequentis initium eſt:

Si quam rem accures ſobriè aut frugaliter,
Solet illa rectè ſub manus ſuccedere.

Atq; edepol firmè, ut quiſq; rem accurat ſuam,
Sic ei procedit, poſt principia deniq;
Si malus aut nequam eſt, male res vertunt quas agit &c.

Ubi primò emendabis *fermè*, quid enim hic firmè, quod omnes tamen libri obſident? In reliquis Scaliger legi voluit, *Sic ei procedunt poſt principia deniq;* Cui non repugno, ſed oppono veterem lectionem, *poſt principia denique*, & ex ea nonnihil trajecta ſententiam apiſcar:

Atq; edepol, fermè ut quiſq; rem accurat ſuam
Principiò, ſic ei procedit poſt denique.

Namque hoc planè vult, ut initio quiſque rem accurat, ita poſteà provenire: malè, ſi malè; benè, ſi benè. Ibidem mox non margini adjiciendum, ſed ipſi textui interjiciendum fuit, quod veteres libri objiciebant, ut verſus perficeretur:

Nunc ego lenonem ita hodie intricatum dabo.

Scenula iterum nova eſt, *Numquid moror*, quæ ſit rectius una cum ſuperiore. Hujus ille verſus diverſiſſimè ſcribitur à diverſis:

Tiara ornatum lepidè condecorat tuum.

Et quid omnium commenta recenſeamus? E Priſciani vetere ſcriptura, quæ hæc lib. 6.

Theatrum lepidum cum decora ſchema,

etſi mirificè quoque corruptâ, integerrimâ tamen omnium, novam integriorem, & non dubiè Plauti germanam iſtam facio:

Tiaram ut lepidam lepidè condecorat ſchemam!

Geminandam vocem, ſemel in Priſciano ſcriptam, Canterus etiam & Palmerius olim vidit: ſed in reliquis uterque nimium deinde aberravit, etſi magis ille, ac pueriliter quidem, cum *theatrum* è Grammatico arreptum in theatrum, & ſcenam hujus fabulæ pertraxit. Alii vocabulum *ornatum* mordicus tenuerunt, quia ad menſuram verſus implendam quadrabat. Id tamen manifeſtum gloſſematium eſt alterius *ſchemam*, quod ipſum ideò vitiatum, quia numeris videbatur repugnare. Sed, ò boni, corripitur, inque fine verſus ponitur & Amphitruone:

Quod ego huc proceſſi ſic cum ſervili ſchema.

Neque Latini ſemper, & minus Comici, naturam ac modulum originis Græcæ ſunt ſecuti. Quod poſui autem, *ornatum* eſſe hujus vocis gloſſam, audacter poſui: nec moveor auctoritate magni viri, qui *ſchemam* in Amphitruone penulæ ſervilis genus interpretatur. Fallitur, & unde autem ſic interpretatur? quiſve ita unquam uſus? Plautus utrobique pro habitu accipit, quem Græca vox ipſa ſonat. Hic Perſicum reliquum habitum tiara impoſita lepidè condecorare dicitur: Illic Mercurius, qui Deus ſit, excuſat, quòd ſervili habitu ſeu ornatu, Soſiæ ſcilicet æmulus, in ſcenam procedere non dubitarit. Nec juvat, quòd fortaſſe penulam indutus ibi tamen, utpote peregrè venientem aſſimulans. Quid enim? ideò generis ſignificationem adſtringemus ſpeciei? Comprehendit in ſe ſchema & penulam, & alium quemvis ornatum. Neque poſtea depoſitâ penulâ, cum omnem habitum ſervi Soſiæ porrò Mercurius imitaretur, non inceſſit cum ſervili ſchemâ: ſed rem claram non neceſſe eſt acriùs premere, nec fas adeò illum, contra quem hæc dicuntur, inſectari. Porrò ibidem illud:

SA. *Age illuc aſpice deprocul in conſpectum.* TO. *tace.*
Ubi cum lenone me videb.

refinxit Douſa F. ad exemplum gemini loci, qui infrà. De verbis, non ille quidem malè: ſed utrobique vitium aliud in collocatione perſonarum, quod mihi cum ſententia aperuiſſet, tum retexit magis editionum veterum ſcriptura, quæ utroque loco Sagariſtionem, quem huc ex altero illatum ille cupit, omittunt. Et verò continuè pronuntiat hic illa Toxilus:

. . . . TO. *lepide hercle adjuvat.*
Age illuc abſcede proculè conſpectu, & tace.
Ubi cum lenone me videbis colloqui,
Id erit adeundi tempus.

Eodemque modo reſcribendum eſt & illic: ſine, inquam, ſcenæ *Poſtquam illic:*

TO. *Age illuc abſcede procul è conſpectu, & tace.*
Ubi cum lenone me videbis colloqui,

Tum

Tum turbam facito.

Sic enim, ut dixi, veteres libri, Colonienſis & Florentinus: niſi quòd *&* inſerui ego, ſententiæ utile, quamquam non hercule neceſſarium: ſed à Plauto quidem non omiſſum.

CAPUT V.

Ais, & agis ſibi ſæpe ſuppoſita. Prægnaviter. Copiſſimus. Cadere, Labi, in obſcenum ſenſum poſt alios adſtructa. Locus intricatiſſimus, in quo aut ſuperfluit, aut deſit verſus unus, explicatus. Numeri ſæpiculè concinnati. Correcta multa in verbis & perſonis, quà malè diſpoſitis, quà omiſſis. Tibulli carmen emendatum, & totum enarratum.

QUàm parvum, tam frequens erratum eſt paſſim in mutua permutatione verborum *ais* & *agis*: quorum illud huic ſuppoſitum etiam puto.

Sc. *Satin' Athenæ.*

> TO. *Quid ais heſpes?* SA. *venio, adduco hanc, uti dudum dixeram.*

Nam *agis* ibi quidem opportunius haud paulò. Qua ſcenâ ſervant adhuc pertinaciter omnes editores adverbium *prognariter*, à Lambino meritò damnatum, qui *prognaviter* & hic & apud Ennium reſtituebat, aptiſſimo ſenſu, atque unicè cum interpretatione Nonii conveniente. Nam *gnaviter* eſt ſtrenuè: cui præfixa particula *pro* ſignificatum intendit, ut ſit, valde ſtrenuè, quamquam dubito, an non *præ* potius auctores præfixerint, ac *prægnaviter* ſit in Nonio & exemplis ipſis reſcribendum. At ibidem pòſt intricatæ admodum ſententiæ locus eſt.

> . . . . DO. *ſatis rectè monet.*
> *Hoſpes, volo ego hanc percontari.* SA. *à terra ad cælum quid lubet.*
> TO. *Iubedum ea huc accedat ad me.* SA. *i ſanè ac morem illi gere,*
> *Percontare, exquire quidvis.* TO. *age age nunc tu i præ, para.*

In quo perſona primùm Toxili fallit, qui nunc ad ſe vult puellam venire, prorſus ineptè. Lenonis enim ea poſtulatio eſt. Sed ineptius ſubiit Sagariſtio, *I ſanè, ac morem illi gere*, puellam iis alloqui viſus, quæ procul tamen abſtiterat, adeunda ultrò, ut adduceretur. Atque etiam alia ſunt in iis, quæ porrò, abſurda, quæ non excutio. Turba autem omnis ab iſto uno verſu:

> TO. *Iube dum ea huc accedat ad me.* SA. *i ſanè, ac morem illi gere.*

qui aut ipſe ſuperfluit: nam eo remoto plana res fuerit:

> . . . . SA. *à terra ad cælum quid lubet*
> *Percontare, exquire quidvis.* TO. *age age nunc i, præpara.*
> *Vide ut ingrediare auſpicato &c.*

Aut alius illi deeſt, qui ſententiam expleat explicetque, & id potius. Nam omninò poſt hunc in perſonas ita tribuendum,

> DO. *Iubedum ea huc accedat ad me.* TO. *i ſanè, ac morem illi gere:*

ſequi debuit alius, quo faſtidioſus Sagariſtio renuerit adducere lenoni puellam, quod ille petierat, ac Toxilus ſuaſerat, atque ipſum adire juſſerit, quæque vellet, ex ſtante iſthìc percontari: cujus quidem orationis reliqua particula eſt in deincipe verſu, *Percontare, exquire quidvis.* Tum enim, illo ſuperbius officiolum id negante, Toxilus ipſum igitur lenonem ire jubet: atque age age, inquit, ipſe nunc ito, *&* ad quæſtionem inter eundum te præpara, ſimul vide prius, ut auſpicatò iter ingrediare. At illum auſpicio ſatis, ut putabat, liquido profectum revocat idem ſtatim, & conſilio neſcio quo ſe potius iturum ait, & illam adducturum, quod Dordalo facilè permittente, adit ipſe virginem, ad quam illud ſolum pronuntiat, *Sequere me*: rediensque & adducens, ad lenonem porrò iſta,

Addu-

Adduco hanc, ſi quid vis ex hac percantarier.

In hunc modum totus locus accipiendus, in quo inexplicabiles aliàs abſurditates. Jam porrò nec illic perſonæ diſpoſitæ ſatis rectè:

TO. *Do ergo tibi operam.* DO. *tibi ibidem dat, ubi tu tuum amicum adjuvas.*
Exquire. TO. *heus advigila.*

Quid enim leno Toxilum exquirere jubet? qui planè contrà debet illum. Ita repone: TO. *Exquire, heus advigila.* Tandem poſt multas tricas, Hoc agere & lenonem & virginem ſervus conciliator jubet: & illo, ut initium exquirendi faciat, admonito, callidè huic quoque mandat, ut advigilet, ambiguo ſanè dicto. Nam & hoc clam innuit, ut fraudi ſuæ attendat, & illud palam, ut quæſitis lenonis, quò hic quidem tantùm reſpici putat: at illa alterum quoque intellexit, & æquè ſubdolè reſpondet, *Satis eſt dictum.* Ita miſerum lenonem paullatim in foveam illiciunt, & dolis ſuis, quò lubet, offrenatum ducunt.

Inferius, ubi vulgatur:

. . . . *nata eſt in calido loco,*
Ubi rerum omnium bonarum copia eſt ſæpiſſimè.

languere mihi videtur hoc *ſæpiſſimè*, quæro, an fuerit *copiſſimu*? an potius ad ſequentem verſum pertineat;

. . . . *copia eſt.* TO. *ſcitiſſimè Tactuſt leno.*

Iterum verò perſonæ vitiatæ ſunt illic:

TO. *Ita me Dii bene ament, ſapienter atq; equidem miſeret tamen.*
DO. *Sed tamen virgo, quæ patria eſt tua? age nunc actutum expedi, quid taces?*

Sed & alter verſus eſt aliquanto longior. Abjicienda verba *Sed tamen*, & omnia continuè lenoni Dordalo attribuenda:

DO. *Ita me Dii bene ament, ſapienter, atque equidem miſeret: tamen*
Virgo, quæ patria eſt tua? age actutum expedi, quid nunc taces?

Quam reſtitutionem ſententia ſatis ipſa per ſe manifeſta probat ne quid ego verborum inaniter appingam. Pòſt, ita numerorum cauſſâ verſum illum ſcribes:

Cum propè ipſus perdituſt, & benevolentes perdidit.

Et qui hunc ſtatim ſequitur:

DO. *Etiam opinor.* TO. *etiam opinor?* DO. *ſumma genere eſſe arbitror.*

ejus initio corriges è veteribus, DO. *Emam, opinor.* Alterum invenuſtum eſt, nec exprimit integrum ſenſum. Dubitat adhuc leno, an ſit emturus: ſed tamen, emam, opinor, inquit. Ibi Toxilus, etiamne opinaris? nec ſtatim quod tibi Dii objiciunt boni apprehendis?

Mox omiſſa perſona eſt:

. . . . *aderit hic, & me abſentem redimet, quid nunc?*
DO. *quid eſt?*

Toxilus iſta pronuntiat, *Quid nunc?* Atque hoc etiam clarum eſt. Igitur eum prænotabis. Altero abhinc verſu:

DO. *Ne ſis ploro, libera erit actutum, ſi crebrò cadet:*

Senſu obſceniore poſitum verbum *cadet* negarunt quidam, alii affirmarunt. Inter hos ego: & præter hujus exempla, quorum uni è Declamatore apud Senecam: *Fortaſſe pœnæ ſe præparavit, & ex quo peccare cœpit, cadere condidicit*, à Gulielmio noſtro primitus allato, addidit alterum poſteà Tibulli N. Douſa P.

Gratum eſt, ſecurus multum quod jam mihi de me
Permittit, ſubito ne male inepto cadam.

adjicio ipſe nunc Propertianum *Labi*, quod eodem modo ſic poeta elegantiſſimus uſurpavit lib. I.

Ut ſolet amoto labi cuſtode puella
Perfida, communes nec meminiſſe deos.

Sed & de Tibulli loco amplius moneo, leviter in voculis binis corruptum eſſe, quas hic per occaſionem emendemus, & ipſum illud totum elegiarion, quod doctis aliquot viris negotii non parum fecit, explicemus. Ita autem reſcribendum eſt:

Gra-

Gratum eſt, ſecurus multum quod jam tibi de me
Promittit, ſubitò ne malè inepta cadam.
Sit tibi cura togæ potior, preſſumq; quaſillo
Scortum, quàm Servi filia Sulpitia.
Solliciti ſunt pro nobis, quibus illa dolori eſt,
Ne credam ignoto, maxima cauſſa, toro.

Vides pro *mihi*, ſuppoſitum *tibi*; pro *Permittis*, *Promittit*. Ita ſententiam exigere videbis & ex hac paraphraſi noſtra, qua totum ſic breviter ac ſimpliciter reddo. Gratum mihi eſt, quòd jam tantum de me tibi promittis, ut animo ſecuro poſſis omittere curam & cuſtodiam mei. Atque haud immeritò ſanè illam potius cures quaſillariam amicam tuam, quam me nobilem adeò viri nobiliſſimi filiam. Et tamen me quoque ſatis obſervant nunc rivales tui apud togatam iſtam. Hi enim cum excluſi ab illa ſint, te ſolo recepto; in me oculos conjiciunt & fixos habent aſſiduos: quæ etiam maxima quidem mihi cauſſa eſt, ut peccare ſollicitius caveam: aliique me toro ignoto prorſus abſtineam committere. Sed amplius ibidem legendum videtur etiam *Solliciti ſunt de nobis*.

CAPUT VI.

Qui: Triginta minæ ſolenne pretium mulierculárum. Prorsùm. Re præpoſitio producta. Verò. Fruſtum verſus alteri agglutinatum. Ordinata ſæpè verba. Perſonæ digeſtæ alibi, alibi exemtæ. Lambiniana verſus inſertio probata, argutatio Gulielmiana improbata. Duplex loci diſtinctio, de elegantia inter ſe certans. Alia ad lucem & ſinceritatem Plautini textus dicta.

Supereſt eâdem ſcenâ unum alterumque etiam mendum: quæ noſtro more, ſine verborum pompa, correcta lectori proponemus. Literula unica abundat hoc verſu:

DO. *Tum tu pauca in verba confer, quid datur, tanti indica.*

Legendum enim *qui*, non *quid*, iſta cum diſtinctione;

DO. *Tum tu pauca in verba confer: qui datur, tanti indica.*

Uno verbo, inquit, abſolve: & tanti ſaltem indica, quo ſeu quanto es daturus. Idem eodem genere dictum ſuperius:

Indica, minumo daturus qui ſis, qui duci queat.

Reſpondet nunc Perſa:

SA. *Faciam ita ut te velle videam, ut emas, habe trecentis minis.*

Priora lege & interpunge:

SA. *Faciam ita, ut te velle video, ut emas.*

Jam reliqua nimis ſtatuunt grande pretium, cujus & mox nimia deductio, cum à nimis trecentis ad octoginta ſtatim venitur. Nec ita inſaniunt aliæ pleræque editiones: quarum ex recentibus optimæ indicant tantum *centum*, & vetuſtiores addita voce, *habe tibi centum minis*. Utrovis modo rectè, quòd ad numeros pariter & ſenſum. A centum ad octoginta, & denique ad ſexaginta labuntur, in quibus pretium conſiſtit, illud quidem tolerabile, duplo majus tamen vulgari, quod alibi notavimus eſſe plerumque minas triginta. Sed hæc duarum æquavit, propter ampliſſimam lucri ſpem, cui totus inhians leno quacunque conditione præcipitat emtionem. *Trecentis* illud ne mireris unde ſit: operâ bardiſſimi alicujus correctoris huc translatum eſt ex inferiore illo verſu:

Non edepol minis trecentis cara eſt: feciſti lucri.

cum quo quidem fruſtulum præcedens conglutinare poſſis, ut in unum ſic coeant:

Abi, argentum effer. non edepol trecentis cara eſt: feciſti lucri.

Ante quæ, diſtinxeris illa rectius ita:

. . . . DO. *quid id eſt ergo? eloquere actutum, atq; indica.*

Poſt eadem, ſi lubet, legeris æquè rectè, *decem accedent minæ*: atque in fine ipſo ſcenæ, *argentum effero*: quomodo quidam leviſſimo diſcrimine à vulgatis recedunt.

Proximâ deinceps ſcenâ:

Simulato quaſi eas prorſum in navem:

interpretor *prorſùm*, rectâ, quaſi proversùm, directâ viâ. Quæ hanc proximè ſequitur, ejus verſu tertio legis *remigrat*, initiali ſyllabâ productâ: quod veteribus in prepoſitione *re* frequens, ut ab aliis alibi oſtenſum: atque ita erat in ſuperiore ſcena *Satu'*:

Age, ſi quid agit, ego ad hanc redeo, ſequere, reduco hanc tibi.

Deinde hic verba verſus illius ita digere:

Nihil mihi tam parvi eſt, quin me id pigeat perdere.

Cui adhærent: *Age accipe hoc ſis.* SA. *hunc in collum, niſi piget*
Impone. DO. *verò fiat.*

Ubi Florentinus libet *hanc* legit, ut crumenam ſubintelligas: quamquam *hunc collum* ſuo more potuit auctor voluiſſe. *Verò fiat* junctim potes, & ſeparatò capere, virgulâ interiectâ. De particulæ enim *verò* tali uſu ad Pœnulum nobis dictum. Deinde verborum ordinem iſtum fac:

Eum ego ut requiram, atq; ut redimam, volo pergere.

Nam adjectâ quidem voce planè explendus verſus ex antiquis.
Mox: TO. *Quid attinet nomen ſcire?* SA. *auſculta ergo ſciet.*
Veteres loco *τ̃ nomen* habent *nos*. Inde ſcribe:

TO. *Quid id attinet nos ſcire?*

Illud neceſſarium viderant atque inſerverant, quibus non coſtabat deprecedente verſu:

DO. *Sed ſcire velimus, quod tibi nomen ſiet.*

quem perperàm omiſſum rectè atque ordine Lambinus ex libris ſuis reſtituit. Alia ſcena procedit, *Poſtquam illic abiit*. Hic fruſtrà Gulielmium noſtrum argutatum credimus in illis:

. . . . *nam ſenſi te ſedula*
Mihi dare bonam operam. TO. *tibin' ego? imò ſerio.*

Potius enim quàm *ſervii* mutetur, in quo nimis exilis, ſi quis eſſe poteſt, jocus; aliter perſonas ordinandas cenſeo. Neque fallor, ita Plautum diſtinxiſſe, aut diſtinctum voluiſſe:

. . . . TO. *tibin' ego?* DO. *imò ſerio.*
Atat oblitus ſum intus dudum edicere.

In quo ſimplex & apertus ſenſus: quem, qui ſapiat, mutare nolit illo argutiore, quantumvis eleganti. Quæ ad finem ſcenæ hujus, attigimus ſuprà & eum loco gemino ſuo correximus. Fine proximæ, verba digere cum libris ſeculi & fidei melioris:

TO. *Pol iſtuc quidem jam ego omne uſurpabo domi.*

Ita verſus poſcit. At initium portò proximæ dubiam admittit correctionem:

Niſi ego illunc hominem perdo. DO. *perii.* SA. *atq; optimè*
Eccum ipſum ante ædes.

Nam & ſic elegans eſt, ut ἀποσιώπησις ſit, apta quidem mirificè illa minitanti: *Niſi ego illunc hominem perdo.* Neque non rurſum gratia pænè major ſit in ſententia, quam multò diverſam efficient perſonarum notæ exturbatæ, ut Saturionis contineetur ita ſermo:

Niſi ego illunc hominem perdo, perii, atq; optimè Eccum ipſum.

Perierat enim hercule paraſitus, niſi lenonem perderet, abductâ in ſervitutem filiâ, neque patratâ fallaciâ, unde una illi vitæ in poſterum promiſſa ſpes, & capta jam fiducia perpetui perennitantis cibi. Ut de me fatear; vulgato acrius, hoc novo blandius afficior: & tandem cum illud ægrè dimiſero, iſtud cupidius acceptarim. Eligat & ſibi lector alterutrum: qui ſerio judicio cum utrumque expenderit, non poterit tamen non prævaricari, & noſtro impenſius favere. Ultima ſcenæ ejuſdem ſic omnia ſcribenda:

DO. *Sine dicam.* SA. *nolo.* DO. *audi.* SA. *ſurdus ſum, ambula:*
Sequere hàc ſceleſte, feles virginaria:
Sequere hàc mea nata me uſq; ad prætorem. VIR. *ſequor.*

perſonis intermediis utrinque remotis, quarum cum editio optima ejeciſſet unam priore loco, debuit nec alteram ferre poſteriore.

CA.

CAPUT VII.

Aquula in initio conviviorum. Me, particula antiquè abundat. Benè nobis omnibus, formula in Plauto hactenus fallens, luce diſtinctionis jam protracta. Ejicere vehiculum. Manum aaire. Hem, verberantis. Staticulum dare. Promiſcè. κολαφίζειν. *Nummi ſciunt. Multæ in reliquas ſcenas emendationes, inibi verba, interpuncta, perſonæ, variè omnia trajecta, abjecta, mutata: verſus ipſi concinnati: horum unus traductus. Lambini abſurdæ gloſſæ ſæpius exploſæ. Joca nonnulla declarata.*

CUm fabulæ Cataſtrophe inclinat in cataſtrophen noſter etiam in ea labor. Quinti, ut diſtinguunt, Actus ſcenæ ſunt hic duæ tantùm: quarum priore quis primus illa ſic mutarit haud ſcio nunc, neque unde noſtri imitati:

> *Statuite hic lectulos, ponite hic quæ aſſolent, hic ſtatui volo, primum*
> *Unde ego omnes hilaros, lubentes, lætificantes faciam ut fiunt aliqua mihi.*

Veteres quidem ſic legebant, *hic ſtatui volo primùm aquulam mihi*: quorum poſtrema verba malè nunc ad finem verſus alterius rejecta. Quid enim hic ſententiam juvant? At ea ſine illis illic non conſtat. Exprimat enim Toxilus, oportet, quid ſtatui primum velit, cùm ſe dicit primum aliquid ſtatui velle. Aquulam ſive aquam vilem credo nimis arbitrati ſunt, quæ ante omnia collocaretur. Hi tamen ſcire debebant, eam in conviviorum ingreſſu principem locum vel lavandis manibus tenuiſſe. Ac poſt aquam ſumtam, menſa demum apponebatur: quod cum undique, tum è Moſtellaria patet: ubi Philolaches cum Philematio ſuo accubiturus, aquam prius, deinde menſulam apponi poſcit, Scena *Jam pridem*, Atque ita paullò poſt hic quoque rurſus: *date aquam manibus, apponite menſam*. Adhæreo igitur veteribus libris, & paullà tamen mutatione ſic reſcribo:

> *Statuite hic lectulos, ponite hic quæ aſſolent, hic ſtatui volo primùm*
> *Aquulam mihi: inde ego omnes hilares, lubentes, lætificantes faciam ut fiant,*
> *Quorum operà hæc mihi facilia factu facta ſunt, quæ volui effieri.*

Feci *inde*, quaſi deinde, ut reſpondeat τῷ *primum*. *Lubentes* jam olim Gulielmius veriſimilibus emendarat, etſi poſteà ſibi alii vendicarunt. Porrò autem & interpunctorum, & perſonarum, & deniq; verborum vitio laborat hic locus, etſi maximè perſonarum: quem tamen ita, ut vulgò legitur, non hic adſcribam, ſed ut à nobis ſaltem eſt correctus:

> . . . . TO. *agedum ergo,*
> *Accedin' ad me atque amplecteris?* LEM. *ego verò, ob nihil magis dulce eſt!*
> *Sed amabo, oculus meus, quin lectis nos actutum commendamus?*
> TO. *Omnia quæ tu vis, ea cupio.* LE. *mutua fiunt à me.* TO. *age, age, age ergo,*
> *Tu Sagariſtio accumbe in ſummo.* SA. *ego nihil moror, cedo partem quam pepigi.*

Fruſtrà deinde eſt, qui *me* particulam delet iſthinc:

> *Optatus hic mihi dies datus hodie eſt à Diis, quia te licet liberam me amplecti.*

Dixi & hic & alibi adjectionem illam eſſe veteribus tàm aliis, quàm Plauto familiarem. Quod autem reſpondet hic ſtatim Lemniſelene:

> LEM. *Tuâ factum operâ benè omnibus nobis: hoc mea manus tua poculum donat.*

Sic in omnibus quos viderim libris interpunctum eſt, nec vulgo aliter accipitur, quàm ſi ſtructurâ verborum & ſenſu cohæreat hoc totum *Tuâ factum operâ benè omnibus ſuis*. At mihi diſpeſcendum videtur in membra duo: ut prius ſit, *Tuâ fa-*

ctum opera. Id eſt, quod à Diis tibi datum eſſe ais, ut me liberam tibi liceat amplecti, id tua tibi ipſius operâ evenit. Alterum jam, *Bene omnibus nobis*; habeo pro ſolenni bene precandi formulâ in propinationibus: qualis ab ipſo jam jam Toxilo uſurpata, *Bene mihi, bene vobis, bene amicæ meæ*. Hoc ſic cogitaram, cum ad Briſſonii Formulas reſpicio: atque ecce ibi ſic planè locum diſtinctum, qui credam niſi de induſtriâ? reperio. Gaviſus ſum judicium tanti viri cum meo conſpiraſſe: & rurſum dolui, neminem id hactenus ſecutum, ac fortè necdum obſervaſſe. Atq; idcirco moneo nunc ego iterum omnes hic, ne illic diutius prætereatur. Ceterùm exempla uberiora ipſius formulæ ex inſtructiſſimo illo peti jubeo penu Formularum. Finis ſcenæ mutilus eſt:

. . . . TO. bene ei qui invidet mihi,
Et ei qui hoc gaudet. *

ubi Lambinus inſipidiſſimam gloſſam appinxit, quam uno verbo rejiciens, negationem inſerendam illic eſſe dico, *qui non invidet mihi*: & ſententiam in univerſum fuiſſe ferè talem, qualis iſta Moſtellariæ ſcenâ jam antè à nobis hic citata, ut quidem verſus ibi nos etiam cunjungebamus:

Hæc qui gaudent, gaudeant perpetuo ſuo ſemper bono:
Qui invident, ne unquam eorum quiſquam invideat prorſus commodis.

Ultimæ ſcenæ ſecundus verſus interpungendus hoc potius modo:

Solus ego omnibus antideo facilè, miſerrimus hominum ut vivam.

Quintus vereor ne gloſſemate ſit oneratus:

Vehiculum argenti miſer ejeci, amiſi: neque quamobrem ejeci, habeo.

Nam *amiſi* illud cui rei? Deleo audacter ego: & *ejeci vehiculum* ſimile eſſe illi dico, *plouſtrum perculi*. Tralatitius enim ſermo eſt: quem non agnovit Interpres, cum explicat de magna vi argenti, atque adeo tanta, ut ei portandæ vehiculum ſit opus, in quo riſum difficile tenemus. Idem alibi nugatoriè phraſin hanc interpretatur, *Manum adire*, quæ & hic paullo pòſt:

Ut me in tricas conjeciſti? quomodo de Perſa, manus mihi adita eſt?

Neque tamen illo ſanius alii, qui mutandum etiam *adeundi* verbum neſcio quomodo putarunt. At ubiq; ſic liquidò literis omnibus perſcriptum: neq; ſenſum uſquam alium admittit, niſi de callida deceptione & fraudulenta fruſtratione. Loca noſtri quid opus omnia afferri? Duo tantum ponam, quæ videantur ægrius in hanc mentem flecti.

Aulular. Sc. *Volui*.

Abeo illinc iratus, quoniam nihil eſt, qui emam:
Ita illis impuris omnibus adii manum.

Pænulo Sc. *Dii illum*:

Quoniam litare nequeo, abii illinc illico
Iratus, vetui exta proſicarier,
Neq; eo aſpicere volui, quoniam illa non bona
Aruſpex dixit: deam eſſe indignam credidi.
Eo pacto avaræ Veneri pulcrè adii manum.
Quando id quod ſat erat, ſatis habere noluit,
Ego pauſſam feci.

At his quoque locis palam eſt, eſſe fruſtrari. Et Pœnulo quidem ipſe leno diſertè ſatis explicat, quomodo Veneris avaritiam eluſerit: Aululariâ triparcus Euclio cum æs non haberet, tamen empturiens in forum proceſſiſſet, ut honeſto prætextu vacuus à macello diſcederet, irâ ſeu verâ ſeu ſimulatâ, caritatem annonæ fugiens, improbos lanios & piſcarios fruſtrabatur. Ipſa loquendi ratio unde ſit ducta, non video, niſi ſi ab athlethica re, in qua manum adire forſan artis præcipuæ fuit, & induſtriæ callidioris ad adverſarium occupandum.

Sequitur:

DO. *Quin elude, ut ſoles, quando liber locuſt hic.*
TO. *Hui babæ, baſilice te intuliſti & facetè.*

Quæ

Quæ hic appoſitæ verſibus perſonæ, libri veteres omittunt, ac meo judicio rectè : rurſus hæc Toxilo junctim adſcribantur:

TO. *Vin' cinædum novum tibi dari, Pægnium?*
Quin elude, ut ſoles, quando liber locuſt hic.
Hui babæ! baſilicè te intuliſti & facetè.
PU. *Decet me facetum eſſe.*

Non enim dubium, quin inſtigantis Toxili ſit, non permittentis Dordali, *Quin elude*: cujus exemplo non mutandum ſuperius fuit, SA. *Quin jube adire*: ubi *jubes* ſuppoſitum ierunt. Deinceps eſt:

TO. *Perge ut cœperas.* PU. *hoc leno tibi.*
DO. *Perii, perculit me propè.* PU. *hem ſerva rurſum.*

Scribo, *hem lene tibi*, nam iſta interiectione verberantes utebantur, quæ ſexcentis locis apud unum noſtrum. Atque hic ibidem eccam itarum eandem: *hem ſerva rurſum*, ubi corrigendum *ſervo*. Feriebat puer lenonem, is ab eo ſe perculſum propè queritur, igitur ille iterum ferit, atque iſto ictu reſtituere illum rurſus in gradum dicit & ſervare.
Mox in illis:

DO. *Cave ſis me attigas, ne tibi hoc ſcipione*
Malum magnum dem. PU. *utere, te condono.*

ſuavis etiam Interpres, cum poſtrema verba de ſcipione capit, quaſi puer lenoni permittat, ut ſe feriat iſto ſcipione. Tu de *magno malo* intelliges: quod cum Dordalus puero daturum ſe minaretur: ille recuſat iſtiuſmodi munus, eoque ipſum condonat, ut ſibi fruatur. Non minus idem ridiculus, & aliquanto ineptior ad illa:

PU. *Nequeo, lene, quin tibi ſaltem ſtaticulum, olim quem Hegea*
Faciebat.

Pro verbo accipit *ſaltem*, quod adverbium. Quis verò dixerit, *ſtaticulum ſaltare*? At ipſum verbum ibi deeſt, magno librariorum flagitio: quod è veteribus libris facilè reduco. In illis enim opportuniſſimè invenio, *quin tibi ſaltem ſtaticulum dem, olim quem &c.* Dare ſtaticulum à Catone dictum etiam memini, ſed non ſuppetit locus. Hic autem *dandi* verbum fuiſſe vel ex eo colligitur, quod mox ſubjicitur illi reſpondens *reddendi*:

SA. *me quoque volo Reddere, Diodorus quem olim faciebat in Ionia.*

verſui, *Iam tace hercule &c.* Dordali perſona præfigenda, quam optima editio peſſimè omiſit. Illi verò:

LEM. *Attamen non tamen.* TO. *cave ſis malo, & ſequere me.*

conſtant ſuæ perſonæ ubique, ſed nuſquam ſuo loco Toxili ponitur, præter in antiquis, unde reſtituo:

LE. *Attamen.* TO. *non tamen: cave &c.*

quomodo verba pæne eadem in aliam ſententiam diſterminari prorſus eſt neceſſe. Et nihil enim aliàs ſignificant: & non excuſaturam oppoſituramque neſcio quid amicam cohibet ſervus, nec paſſus abſolvere ſententiam, Non oggere mihi, inquit, tuum *attamen*, ac mitte de priore hero, maloque cave, quam nunc meam meo dicto decet eſſe audientem. Non longè hinc:

Sed ita pars libertinorum eſt, niſi patrono qui adverſatus eſt,
Nec ſatis liber ſibi videtur, nec ſatis frugi, nec ſatis honeſtus.
Ni id efficit, ni ei maledixit, ni grato ingratus repertus eſt.

Neſcio an non poſtremus horum collocari ante medium debeat: certè quidem pro *Ni id efficit* in eo, legendum ex veteribus eſt, *Ni illi officit*. Sed interim & tranſponamus:

Sed ita pars libertinorum eſt: niſi patrone qui advorſatus eſt,
Ni illi officit, ni ei maledixit, ni grato ingratus repertus eſt,
Nec ſatis liber ſibi videtur, nec ſatis frugi, nec ſatis honeſtus.

Fortè autem nec *officit* ſcribendum, ſed *effuit*, quia præteriti ſunt reliqua temporis omnia: tum & primo verſu *qui* capiendum auferendi caſu. Proximè vulgatur:

Probiſce hunc volo ludificari.

quod venuſtè ſanè Lambinus emendat, *Graphicè*: vix adducor tamen ut credam,

verè. Propius ad literas fuerit *Promiſcè*: idemque nonnihil aptius ad ſenſum. Promiſcuè ſive promiſcàm, ut alibi loquitur, ab omnibus ſimul voluiſſe lenonem miſerum ludificari, patet ex Lemniſelenes reſponſo: *Meo ego in loco ſedulò curabo*. Nam ſe non defuturam ſuis partibus ideò ait, quia Toxilus pariter omnes ac ſingulos ad ludos imperaverat accingi. Vides, ſi *Graphicè* aut aliud quid malis, non ita convenienter ſequentia ſubjungi. Superius cùm hunc verſum laudarem:

Hicciune eſt, qui fuit quondam fortis? DO. *quæ hæc res eſt?*
hei colaphum icit.

non ſequebar ullam è Lambini conjecturis, ſed propriâ ſcribebam *colapho me icit*. Neque eam repudio nunc: tantùm, quod ibi res non tulit, muneo de alia, quæ Græcum verbum ſupponat, Latinis hic literis ſcriptum κολαφίζει. quippe ſolet miſcere Græca ad hunc modum Plautus, & in Latina vocabula alibi quoque non diſſimiliter alia abierunt. Proximè finem:

DO. *Malè diſperii, ſciunt referre probè inimico gratiam.*

Verbum *ſciunt* de nummis accipe, qui quid agerent quærebatur. Ità ſuprà verbum idem de iiſdem uſurpatum, hujus fabulæ ſcenâ *Probati*:

Duobus nummis minus eſt. SA. *quid ei nummi ſciunt?*
DO. *Crumenam hanc emere.*

VA-

VALENTIS ACIDALII

IN PLAUTI RUDENTEM DIVINATIONES, ET INTERPRETATIONES.

AD

NOBILISS. ATQUE ERUDITISS. JUVENEM

JANUM DOUSAM

Fil.

CAPUT I.

Rudens inchoata. Ibi Arcturi ortus & occaſus novo ſenſu. Quæſtus meretricibus. βωμολόχοι. *Variis modis oratio ſæpe complanata. Contra Lambinum locus unus atq; alter correctus, explicatus: quidam traductione ordinatus: alii cum aliis collati. Plutarchus etiam emendatus.*

E Plautino infeliciſſimo naufragio cum paucis tabulis miserè diſiectis ac laceratis evaſit tamen etiam Rudens, non ille quidem planè ſalvus, ſed minus lacer & corruptus, præut aliarum Comœdiarum fatum fuit. Ad hoc, operam illi feliciorem multò quàm reliquis induſtria multorum navavit. Unde minor in eo nobis labor, & ſic tamen ſatis quoque magnus. Etiam nunc enim non paucis partibus vitia illi priſtina è madore & tempeſtate maritima contracta hærent, & nova inſuper acceſſerunt ab imperitis Cenſoribus, qui fractum hic, ibi putreſcentem refecturi, magis ultrò corruperunt. Sed jam de integro nos eum excutiemus, & hinc incipiemus explicare, atque interim ubi opus eſt, quodque eſt in nobis opis, reſtaurare.

Prologi initio ita de ſe Arcturus:

> *Ita ſum, ut videtis, ſtella ſplendens candida,*
> *Signum quod ſemper tempore exoritur ſuo*
> *Hic atque in cœlo.*

dubiâ ſententiâ, & interpunctione. Sic enim diſtinguunt veteres quidam, ut iſta *Hic atque in cœlo* à præcedantibus ſeparata conjugant ſequentibus verbis *nomen Arcturo eſt mihi*: quaſi idem in terris & cœlo nomen ſibi eſſe dicat, quod ego non valdè quidem probem, uti neque multo magis illud, quòd ſententiam priorum eſſe vult Interpres de vero ſideris ortu, qui motu cœleſti ratoque ſtellarum ordine, & vicibus converſionum fit undecim diebus ante æquinoctium Autumnale. Non illuc Plautinus hic reſpicere videtur, qui ſeriò quidem de Arcturi ortu, & occaſu Inferius:

Nam-

Namque Arcturus ſignum omnium ſum acerrimum,
Vehemens ſum exoriens; cum accido, vehementior.

Verùm hic ſimpliciter intelligitur fortaſſe talis ortus, quo per vices nunc in cœlo, nunc in terra adſit: atque eò vulgata hæc diſtinctio retinenda ſit vetere contemta. Noctu in cœlo, de die in terra ſe verſari dicit. Et ad hanc mentem exoritur, quoties in cœlum ſedit: cum in terram deſcendit, occidit. Id enim mox vocari cenſeo *de cœlo ad terram occidere*, cum & alia ſigna inquit idem munus obtinere, ut noctu quidem in cœlo luceant, interdiu autem in terra obambulent, hominumque facta notent, & ad Jovem de ſingulis referant. Sed huic interpretationi obſtat aliquantulum illud *tempore ſuo*. quamobrem nondum prorſus à Lambiniana recedo. Deinceps cohærentior & æquabilior oratio fuerit ex antiquis ita concepta:

Cotidie ille ſcit, quis hic ſibi quærat malum.
Qui hic litem apiſci poſtulant perjurio
Mali, res falſaſque impetrant apud judicem;
Iterum ille eam rem judicatam judicat &c.

Et paullò pòſt:

Idcirco moneo vos ego hæc, qui eſtis boni.

melius crediderim:

Idcirco moneo vos ego, heic qui eſtis boni.

Et poſterius ita interpungendum:

Ibi eſt: quæſtum maximum meretricibus.
Perſuadet, navis clanculum conducitur.

Talibus enim commatis oratio perpetuò decurrit. Ipſe verſus autem prior eſt totidem verbis idem infrà ſcenâ *Qui homo*, & utrobique *quæſtus meretricibus*, pro eo, qui fit habendis meretricibus, vel ex meretricibus, per lenocinium A Prologo jam ad ſcenas ipſas. Secundâ non difficilis intellectus eſt illius loci, ſed lectio & interpretatio controverſa:

PL. *Peculioſum eum eſſe decet ſervum & probum,*
Quem hero præſente prætereat oratio,
Aut qui inclementer dicat homini libero.

Lambinus hanc ſcripturam tenet, & *probum* κατ᾽ εἰρωνείαν ait dictum pro *improbum*, quod expreſsè veteres habent: tum reliqua ſic explicat: cui hero præſente excidat oratio, qui hero præſente loqui audeat. Non ſatis facit. Emendandum:

PL. *Peculioſum eum eſſe decet ſervum probè,*
Quem hero præſente haud prætereat oratio,
Quique inclementer dicat homini libero.

Et jam interpretandum: Benè peculiatus ſit neceſſe eſt is ſervus, qui, fiduciâ ſcilicet peculii ſui, præſente hero orationem audeat occupare, libereque in liberum hominem contumelioſè dicere. *Probè* vulgatiſſimum eſt pro valdè: quod huic τῷ *probum* rectè ſubſtituimus, ut contrà proximè ſuperiore fabula *probum* in locum τῶ *probè*. Neque *decet*, pro oportet, exemplis paucis eſt in noſtro. Deniq; *haud* in vicinum verſum è ſuo excidiſſe, atque in *aut* mutaſſe, nemini videbitur novum. Ibidem mox iſtis verbis:

SC. *Heus tu, qui fana ventris cauſſa circuis,*

βωμολόχῳ circumſcribitur: è quo genere hominum perditiſſimorum honeſtum adoleſcentem ruſticus ſervus cenſet. Erant autem βωμολόχοι & propriè dicebantur ſcurræ, qui templa & aras frequentabant, ſacrificiorum nidorem ſecuti, ut dicacitate ſua victum ſibi emererentur, cumque alios oblectarent, offenderent alios, ſemet interim victimarum partibus explerent, & ingluviem ſuam ſacerrimam ſacris ſcilicet epulis & vino effercirent. De quibus non inelegans Plutarchi locus eſt, cujus partem mendoſiorem hic adſcribam, ut nuper in eum incidens correxi: πλεῖστον μὲν τῷ ποιητικῷ ἐνέπλησεν ἀδοξίας ὁ ἀγοραικὸν καὶ ἀγοραῖον καὶ περὶ τὰ μητρῷα καὶ σεραπεῖα βωμολοχοῦν καὶ πλανώμενον γένος. Ubi potiſſimum eſt, quòd ἀγοραικὸν reſtituimus pro inepto hic verbo ἀγυρτίον. Sequitur commiſeratio naufragorum cum ſententia in miſeriam mortalitatis, quæ non apparet ſatis ex hac vulgari interpunctione;

Homunculi quanti eſtis ejecti, ut natant!

Cui ſimilis Captivorum Prologo:

Ho-

Homunculi quanti ſunt, cum recogito!

Et Ciſtellar. *Hillo ſunt homines miſerè miſeri.* Sed Petronii eſt maximè gemitus locus itidem in naufragum: *Hæc ſunt conſilia mortalium, hæc vota magnarum cogitationum. En homo quemadmodum natat!* Interiectis paucis, verè notat Lambinus haud conſequentem eſſe orationem:

. . . . euge, euge, perbenè
Ab ſaxo avortit fluctus ad littus ſcapham:
Neq; gubernator uſquam illis eſſe potuit.

Sed explicatione ſua locum non reſtituit. Mihi trajectus videtur unus verſus, cui perſonæ quoque ſuæ ademtæ:
Lego totum:

Quod facinus video? DÆ. *quid vides?* SC. *mulierculas*
Video ſedentes in ſcapha ſolas duas.
DÆ. *Neq; gubernator uſquam illis?* SC. *eſſe potuit.*
Ut afflictantur miſeræ! euge, euge, perbene,
Ab ſaxo avortit fluctus ad littus ſcapham.
Non vidiſſe undas me majores cenſeo.
Salvæ ſunt.

Ad ſolitudinem muliercularum commotus ſenex, quærit an nullus illis gubernator ſit: reſpondet obliquè ſervus, potuiſſe aliquem eſſe: id eſt, non eſſe nunc quidem, ſed fuiſſe forſan, & nunc amiſſum.
Ibidem poſtremò:

SC. *ſi ad ſaxum quod capeſſit, ea deorſum cadit,*
Errationis fecerit compendium.

inutilis mutatio Lambini, *cadet*. *Cadit* enim ἀρχαϊκῶς pro *cadat*, ut edit, duit. Potius autem, pro *ea*, ſcribendum *eo*, videlicet ſaxo.

CAPUT II.

Loca Rudentis aliquot collata: quædam emendata; verſus concinnati, dimenſio indicata. Lambini interpretatio rejecta. Imprecatio occultior in ambiguitate verbi, eruta & illuſtrata.

SC. *Nimio hominum*: non dubiam per ſe correctionem præſtantiſſimi Lipſii.

Hoc, quod induta ſum, ſunt meæ opes oppidò.

ubi vulgò erat *ſummæ opes*: confirmat ſimilis infrà locus Sc. *Qui ſunt*:

Neq; hoc amplius, quam quod vides, nobis quidquam eſt.

Ubi & alia quædam his porrò valdè affinia. Sed præter puellas idem hoc quoque leno ac Siculus hoſpes poſtea conqueruntur SC. *Qui homo.*

Eheu redactus ſum uſq. ad hanc unam tuniculam,
Et ad hoc miſellum pallium &c.

Sequitur autem ſuperiorem illum verſum ſtatim iſte:

Nec cibo, nec loco tecta quo ſim ſcio.

Quem Lambinus incommodè ſanè explicat, nec ego poſſim aptius, niſi mutem:

Nec cibum, nec locum, tecta quo ſim, ſcio,

In ſolis iis locis neque unde cibum habitura ſit, neque ubi recipi & tegi contra cœli injurias poſſit, novit. Equidem *tecta* non video qui jungi queat *cibo*, & *quò* adverbialiter, *ſim* de futuro capienda ſtatuo. Frequenter autem caſuum accuſandi forma vetus per *o*, deſtructa pòſt in auferendi, occaſione literæ iſtius ipſius. Sc. *Quid mihi*. verſus ultimos ita ſcribendos reor:

AM. *Haud longè abeſſe oportet homines hinc, ita hic*
Lepiduſt locus, nunc quiſquis eſt, veneror, deus, (vel deu' veneror)
Ut nos ex hac ærumna miſeras eximat,
Inopes, ærumnoſas aliquo auxilia adjuvet.

Sic Jambicorum leges non violabunt.

Tranſilio nunc duas ſcenas, quod admodum quidem inſolens mihi. Verùm ità res eſt: quàm tenuia, tam pauca nobis in hanc fabulam relicta: quorum tamen quod ſupereſt cumque,

Animo advorſavi ſedulo, ne quid uſquam præterirem,

ſi modò eſſet ei mederi in noſtra manu. Jam cujus ſcenæ primum verſum poſui modò hic aliud agens, ejus ſecundo fruſtra delendum τὸ *ſe* putavit quidam:

Nam cum modò exibat foras, ad portum ſe ajebat ire.

quod ait verſum reſpuere, non ſatis cautè. Nec enim animadvertit *ajebat* locis plurimis apud noſtrum in dimenſione contrahi ita, ut quaſi diſſyllabum exaudiatur, id quod infinitis poterat exemplis oſtendi. Satis unum è Pſeudolo Sc. *Viſa.*

Malum & ſceleſtum & periurum ajebat eſſe me.

cujus ſimilia paſſim unicuique obvenient, numeros vel leviter attendenti. Quamquam hunc Rudentis locum & aliter metiri licet, ad *foras* eâdem contractione vel potius eliſione remiſsa. Mox ibidem:

Famelica hominum natio, quid agitis? ut peritis?

PI. *Ut piſcatarem æquum eſt, fame, ſiti, ſpeque.*

Non puto *nationem piſcatorem* hic dictam: ſed ſcriptum, *ut piſcatores æquum eſt.* Pro omnibus enim reſpondet unus de omnibus, ut erat univerſim interrogatum. Ad finem:

Numquid mihi meliuſt, quàm illico hic operiar herum dum veniat?

Diſpeſce primam vocem, *Nunc quid.* Sc. *Intelligo*: miror *auferendi* verbum ſic uſurpatum:

Qua pacto lena clanculum nos hinc auferre voluit.

modò ſit illic uſurpatum. Et mihi quidem *avehere* videatur emendandum, id enim navigationi appoſitum magis. Nunc binas iterum præterimus ſcenas: neque abhinc tertiâ noto niſi unum:

LA. *Quin tu hinc is à me in maximam malam crucem.*

CH. *Eas, easq; res agebam commodum.*

Locum interpolatum videri, qui multo aliter in veteribus ſcribatur;

CH. *Da quas res tecum in navi agebam commodum.*

à Lambino autem, ut vulgo legitur, ineptè explicetur. Prius *eas* ſatis benè in lenonem dirigit: reliqua hoc ait ſonare: Atque ego commodùm nunc idipſum cogitabam & optabam, ut ires in malam crucem. Apage inficetam gloſſam. Nos verba primum genuina recolligemus, mox ſenſum germanum reddituri. Sanè neque vetus lectio ſincera: ſed ex utraque hanc concinno, ſinceram, ut confido:

CH. *Eas quidem res tecum agebam commodùm.*

Utrinque quid ſumſerim, vides. Nam illud *in navi* apertè ſenſus averſatur, & gloſſematis convincit. Ipſe autem hic eſt: Quòd tu me in crucem ire jubes; eam quidem rem jam jam commodùm uterque agebamus, cum naufragi in alto jactaremur, directi in omnium maximam malam crucem. Sed enim *eas res*, non *eam rem* dixit Plautus de induſtria. atq; hoc conſilio, ut ambiguam rurſus ſententiam faceret, ſuo quodam peculiari modo & genere, de quo multis exemplis copiosè mihi actum ad Pœnulum capite quarto. Nam dum continuare verba hæc omnia in unam ſententiæ illius, quam dixi, comprehenſionem videtur; interim interſpiratione quadam prima iſta, *Eas quidem*, à reliquis diſtinguit, & his viciſſim ire lenonem ſolum in crucem jubet, uti priore verſu erat ab ipſo juſſus. Ita *eas* & verbum ſimul eſt & provocabulum: Vide, quæ de toto illo taciturum imprecationum, dupliciſque intellectus genere ad Pœnulum dixi; quibus hoc quoque nunc exemplum accenſebis, eo loco, cum omnia ſedulò colligerem, tamen imprudenter à me omiſſum. Fine proximæ ſcenæ ſola ferè optima editio errat in verbo *edormiſſemus*, pro quo aliæ omnes *obdorm.*

. . . . *ſi invitare nos paulliſper pergeret*

Ibidem obdormiſſemus. Rectè hoc. Nec enim crapulæ edormitio intelligitur, ſed perpetuus ſomnus, id eſt mors, de qua & Lambinus interpretatur.

CA-

CAPUT III.

Deripere. Venire, evenire. Mœnia hunc. Avidum argentum pro avidis mulierculis. Eſcit. Quine. Medicina plurium porrò verſuum. Loci unius ἀλογία *confutata, & ad rectam rationem emendatione reducta.*

TErtium Actum tertio capite inchoemus: cujus primâ ſcenâ non malè Dionyſius *deripere* ſupponit illic,

Neque eum eripere quibat inde.

Plerumque enim eo verbo deinde Plautus uſus: quamquam de altero Sc. *Exi.*

Quæ hac hirundines ex nido volt eripere ingratiis.

niſi etiam ibi illud reſcribendum. Ibidem, non quidem muto:

Atq; illa animo jam fieri ferocior.

velim tamen. *Atque illa nimio jam f. f.* Et altera ſcenâ *Pro Cyrenenſes*, neq; illud damno:

Facite hic lege potius liceat, quàm vi, victo vivere.

ſed melius item arbitror, *vitam vivere*. Nequaquam verò poſt eum Lambino mutandum *venturam* ibi:

Eamque eventuram exagogam Capuam ſalvam & hoſpitem.

Cur enim? Etſi idem fortè alterum ſit, hoc tamen libentius uſurpat noſter, atque eſt ipſum illo ſignificantius. De utroque, ni fallor, etiam ad Curculionem aliquid dictum. Hic infra leges:

Miroque modo atque incredibilis hic piſcatus mihi lepidè evenit:

Itemque inferius;

Credebam edepol turbulentam prædam eventuram mihi,
Quia illa ſic mihi turbulenta tempeſtate evenerat.

Et hac ipſa ſcenâ:

Ut tibi ulmeum uberem eſſe ſperes virgidemiam,
Et tibi eſſe eventuram hoc anno uberem meſſem mali.

Ubi corrigi porrò volo: *Si tibi ulmeum uberem eſſe ſperas virgid.* Sententia vult: nec patitur aliter ſermo, qui reſpondere debet illi ſuperiori:

. . . . . . TR. *teq; oro & quæſo, ſi ſperas tibi*
Hoc anno multum futurum ſirpe & laſerpitium &c.

Prope finem:

. . . . *ite iſthinc foras.*
Turbalio, Sparax, ubi eſtis? TR. *i obſecro intrò, ſubveni*
Illis. DÆ. *iterum haud imperabo, ſequimini huc.*

Veteres omnes habent, *iterum autem imperabo.* quod nimio quanto melius appoſitâ interrogandi notâ:

DÆ. *iterum autem imperabo?* Evocabat Dæmones Lorarios ſuos: qui cum morari viderentur, minaciter eos increpat illo dicto. SC. *Nunc id eſt*, omnes libri edunt:

Bonum animum habere. PA. *nam obſecro unde animus mihi invenitur?*
TR. *Ne inquam timete.*

niſi quod veteres quidam, *inveniatur*. At ego ſcio perſonam etiam aliter collocandam:

. . . . PA. *nam obſecro unde animus mihi?* TR. *invenietur.*
Ne inquam timete.

Deſpondet animum puellæ: tum ſervus inventum aliquid iri dicit, unde bonum habere poſſit. Indidem non longè:

TR. *Sedete hic modò, ego hinc vos tamen tutabor, aram habete hanc*
Vobis pro caſtris, mœnia, hinc ego vos defenſabo.

turbat vox *mœnia*, cui multi quæſierunt quod jungendum eſſet, nemo feliciter invenit: Ego autem, niſi fallor, ſcribo, diſtinguoque, *mœnia hunc, ego vos defenſabo.* Aram pro caſtris, ſe pro mœnibus futurum ait. Se namque notat δεικτικῶς *hunc*: quod fami-

familiare Comicis ubique. Sequitur ſcena *Exi.* Ejus initio.

DÆ. *Optumè.* LO. *iſtuc volueramus, jube modò accedat propè.*
DÆ. *Tun' legirupionem hic nobis cum Diis facere poſtulas?*

quæ turpiſſimè Interpres explicat: melius L. Carrio, qui & corrigi voluit:

. . . . . . *accedat propè*
Hunc legirupionem. Hic nobiſcum Diis facere poſtulas?

Sed neque is aſſequitur verum: quod iſtud eſt ſine dubio:

. . . . . . TR. *Huc reſpice.*
DÆ. *Optimè iſtuc volueram, jube modò accedat propè*
Legirupionem hunc. TR. *tun' hic nobiſcum Diis facere poſtulas?*
DÆ. *Pugnum in os impinge.*

Nunc demum omnia ſibi reſpondent invicem, tamque ſunt clara, ut non egeant ullius interpretationis. At verſum medium ut rectè metiaris, ne juſto plures habere pedes videatur, obſervabis, in duos primos duo prima verba *Legirupionem hunc* coarctanda: quod commodiſſimè fieri poteſt. Mox deinde:

Si tuas eſſe oportet, nive eas eſſe oportet liberas,
Neu te in carcerem compingier eſt æquum.

Non aptum ibi *Neu*, quod eſt *Neve*, ubi *Nive* requiritur: pro quo & ipſo illud poni non eſt, quod ſciam uſitatum. Ego verò hoc ſtatim reſcripſerim, nihil illius exemplum moratus, quod inveniri nuſquam credo. Porrò autem manifeſta nimiſque gravis ἀκυρία in hiſce:

. . . . . . LA. *mihi cum veſtris legibus*
Nihil eſt commercii, equidem iſtas jam ambas educam foras.
Tu ſenex ſi iſtas amas, huc arido argento eſt opus.

Quomodo Labrax educturum ſe foras dicit mulierculas, cum omnia hæc non intra fanum, ſed exterius agantur, apud eam Veneris aram, quæ in publico præ foribus fani? Mira corruptio, & contra omnem rationem. Nam Plautus ita quidem non ſcripſit: cujus hanc ego ſcripturam veſtigiis quam proximè conſequor:

. . . . . . *Equidem iſtas jam ambas abducam uvidas*
Tu ſenex ſi iſtas amas, huic arido argento eſt opus.

Abducturus leno minatur eodem modo, quo & infra heic:

Atqui quia vetas, utramque jam mecum abducam ſimul.

Uvidas è *foras* exſculpſi, quod ſenſui neceſſarium. Nam contemtim mulierculas hoc epitheto deſignat, quæ verè madebant à Neptunio balneo: atq; his *aridum* argentum deinde opponit: quod utcunque Nonius interpretetur purum & lucidum, non habet locum, aut certè ſine gratia eſt, niſi contrarium illud præcedat, quo alludatur. *Huic* iterum eſt pro *mihi*: quod idem paullò ante notabamus. Et quia uvidas puellas leno dixit, eò ſenex ſubjungit: *Hæ autem Veneri complacuerunt*: quantumvis ſcilicet humidæ & incultæ. Nam quaſi excuſabundus hæc profert, atque omninò lenonis dicterium reſpicit. Statim.

. . . . . . La. *habeat, ſi argentum dabit.*
DÆ. *Do tibi argentum, nunc adeo ut ſcias &c.*

Præ Lambini *Dem tibi*, multis modis malo meum, DÆ. *Ehò, tibi argentum?* quod proximius vulgatæ lectioni, & affectus vehementioris. Inferius:

Jam tanta eſſet, ſi vivit, ſcio.

Pro *eſſet*, *eſt* Lambin. Quid ſi *eſiit*? antiquum pro erit. de quo Gellius & Feſtus. Aliquanto longius inde:

LA. *Ignem magnum hic faciam.* DÆ. *quin ut tu monum exurat tibi.*

Lego, DÆ. *quine ut tu*, cum interrogatione poſt *tibi*? Interrogat, cur ignem facturus ſit: anne, ut eo manum ſibi exurat? *Quine* pro *quone*, & horum utrumque eâ loquendi formâ jam triviſſimum auribus Plautinis. Prope finem:

DÆ. *Quære herum, atq; adduce.* TR. *at hic ne?*

Interrogationem abjice, quæ libris melioribus & nulla. Ellipticam orationem benè Lambinus interpretatione ſupplet. Ultimo verſu, numerorum cauſſâ ex antiquis ſcribe:

Carnifici aut talentum magnum, aut iſtunc hodie ſiſtere.

CA-

CAPUT IV.

Amplecti crura fuſtibus. Ampectere. Totum cum pulviſculo. Proficiſci: Profectus ire. Pariter qualis. Nequi. Inventuſt, mentituſt, communeſt, qualia. Exurgeri. Exſugebo. Mutata interpuncta, verba, numeri ad concinnitatem. Carrionis argutia rejecta. Locus rationi adverſus ad ſanitatem correctus. Multa, nec exiles omnes, emendationes, explicationibus paſſim annexis.

MInimus interpunctionis error non minimam elegantiam invidet huic loco Scenæ *Utram tu*:

Age alter iſtinc, alter hinc aſſiſtite.
Aſſiſtite ambo ſic, audite nunciom.

Quanto enim venuſtius, ſi intervallum aliquod interveniat in ſermone ſenis, ad hunc modum?

Aſſiſtite ambo. ſic. audite nunc jam.

Altrinſecus aſſiſtere ſervos jubet: juſſis, moratur aliquantulum, dum aſſiſtant. cum aſtitiſſent, ut voluerat, ſubiicit *ſic*: id eſt, rectè aſtitis, ita volebam: nunc jam audite porrò. Mox editiones quædam:

. . . . . . *ſi appellabit quempiam*:

At *quampiam* melius eæ, quæ meliores. Niſi & *quiſpiam* utroque genere dici permittis, ut *quis* interdum: quod non impugno. Non de aliis quidem, quàm de mulierculis ipſum verbum capiendum. Statim eſt:

Extemplo amplectitote crura ſuſtibus.

Utitur hac phraſi etiam Captivis, ſed alio orationis habitu, SC. *Quò illum*:

. . . . . . *TT. quid ceſſatis compedes*
Currere ad me, meaq; amplecti crura, ut vos cuſtodiam?

Non enim auſim deletà literulà facere *ampectitote*: quod eſſet circumpectite, à pectendo: etſi ſic crebrius Plautus: ut Pſeudolo,

Sed vide ſis ne tu oratorem hunc pugnis pectas poſtea.

Et exempla pluria ſuperius alicubi dedi. Non longè: diſcrepant à veteribus libri novi, inter quos arbiter ego ſi adigat, in hac lectionem utrinque conveniri vellm:

LA. *Heu hercle, næ iſtic fana mutantur citò.*
Jam hoc Herculiſt, modò Veneris fanum quod fuit.

Nullo pæne intervallo excuditur in omnibus:

Palæſtra? LO. *quidvis?* LA. *apage, controverſia eſt.*
Hæc equidem Paleſtra, quæ reſpondit, non mea eſt.

In quibus ſcio quam argutiam olim Cartio captàrit ex ambiguà voce *Palæſtræ*, quæ & mulierculæ nomen ſit, & aliam ſimul veram ſignet palæſtram, qua duo loratii cum clavis erant ad demulcendum caput lenonis à ſene deſtituti. Ad quam mentem legebat, *abſq; controverſia eſt Hæc equidem palæſtra*. Mihi acutum hoc ſemper viſum eſt, nunquam verum. atque adhuc ſimplicitati meæ conſto, legoque potius:

. . . . LA. *apage controverſias.*
Hæc quidem Palæſtra, quæ reſpondit, non mea eſt.

Pro muliercula compellata lorarius reſpondebat. ibi leno conteſtatus nolle ſe controverſias, agnoſcere pro ſua negat & nihil ad ſe pertinere profitetur eam Palæſtram, quæ reſpondiſſet. Nec aliud ibi quidquam occultioris joci. Jam ubi alteram appellat:

Heus Ampeliſca. CO. *caveſis infortunio.*
LA. *Ut poteſt ignavi homines ſatis rectè monent.*

non ſanum eſſe poteſt altero verſu iſtud *Ut poteſt*. Emendaverim:

LA. *Id potiuſt: ignavi homines ſatis rectè monent.*

Certè potius erat infortunio cavere, monebantque loratii rectè: quos ignavos ideo vocat, qui monerent potius, quàm malum ſibi darent, quod ſtrenuè facere ab hero erant juſſi. Ad finem:

LA. *Quæſo hercle abire ut liceat.* LO. *abeas ſi velit.*

LA: *Bene hercle factum, habeo vobis gratiam.*
LO. *Non, accedam potius, illic tu aſta illico.*

Memini, ne abitum quidem permiſiſſe lenoni ſuperius ſenem: nec malè ad hanc ſententiam à Lambino perſonas mutatas aſſentior. Sed non mihi leno videtur abire voluiſſe, cui certum erat obſidione uſque eas vincere. Quod dum cogito, venit in mentem lectio vixdum audeo dicere commodior, verùm non minus hercule conſtanter affirmo commoda:

LA. *Quæſo hercle adire ut liceat.* LO. *adeas, ſi velis.*
LA. *Bene hercle factum, & habeo vobis gratiam.*
Nunc, accedam? LO. *potius illic tu aſta ilicò.*

Perſiſtit in precibus adeundi leno. quod permittunt lorarii tandem. ſed ipſius periculo. atq; hoc ille metuens, trepidat, iterumque interrogat, an nunc igitur bona fide poſſit accedere? tum negant denuò, & quieſcere potius ac ſuo loco aſtare pro imperio jubent. Aliquanto ſuperius copula inſeratur:

. . . . *atque curriculo affer huc*
Duas clavas. LA. *clavas?* DÆ. *ac probas. properà, citò.*

Nunc pergamus ad Sc. *Meamne*:

Converret jam hoc me totum cum pulviſculo.

Scribatur ex antiquis *hic*, Sc. Pleuſidippus. Eadem autem locutio Truculenti Prologo:

Quo citius rem ab eo auferat cum pulviſculo.

Deinde mox:

PL. *Etiamne in ara tunc ſedebant mulieres.*
Cum ad me profectus ire?

Mutant quidam *ires*. Malè. Nec enim attendunt ſatis vim verbi *proficiſci*, quod eſt non ire proprii, ſed eundi facere initium, ſe commovere primùm ad iter. Atque hic ſcribendum fuerat *profectu's*. quæ nota verbi *es* omiſſa ſæpius, atque iterum hac ſcenâ mox:

. . . . CH. *Ut nactus, habe*
Bono animo, melius eſt te in nervum correpere.

Fac verſus cauſsâ, *ut nactu's*. Nec enim aliter ea ſyllaba producetur. Sed & ſenſus cauſsâ diſtingue paullo aliter:

. . . . CH. *ut nactu's habe.*
Bono animo meliuſt te in nervum correpere.

Singulare dictum eſt, *Ut nactus, habe*: quod alibi effertur, *Habeas, ut nactus*. Priore loco neque vim phraſeos attendarant in verbo *ire*: qui infinitivus poſitus, pro ad eundum. Ibidem ſequetur:

PL. *Abi ſanè ad littus curriculo, Trachalio,*
Jube illos in urbem ire obviam ad portum mihi,
Quos mecum duxi.

Exſtenſa lectio, *ad portum*. An enim od portum adoleſcens erat, aut ire cogitabat? Ille verò in urbem. Jom ſi in urbem ſibi volebat obviam veniri, quomodo jubet & ad portum? Niſi ſi portus is in urbe: quod inſonus dicat aut credat. Enimverò ad litus & portum erant, quos prius eò ductos à ſe vult nunc in urbem ſibi revocari, quò ipſe lenonem in jus rapere feſtinat. Igitur quid certius, quàm *à portu* ſcribendum? ita repone ſine omni dubitatione. Nam quòd dicas, jungenda verba *illos ad portum*, pro qui ad portum nunc ſunt; ſtructura non patitur orationis; nimiſque violenter ac duriter coacta ſit ſententia. Indidem non procul:

Quine arrabonem à me accepiſti ob mulierem, &
Eum hinc abduxiſti. LA. *non avexi.* PL. *cur negas?*

Eſt qui elidit *abduxti*. Non improbo: ſed ajo aliud eadem formâ verbum ibi fuiſſe *avexti*. Eo enim reſpondet, *non avexi*: in eademque perſiſtit deinde ſemper. Etiam *&* particula retrahenda a fine prioris verſus ad alterius caput. In illis ibidem verſibus cave Lambini aliarumque editionum diſtinctionem, qua fingi nihil ineptius poteſt, ſequaris: ſed hanc tene:

LA. *ſequere obſecro me.* CH. *pariter ſuades, qualis es.*
Tu in nervum rapere: eò me obſecras ut te ſequar.
Etiam recuſas?

Non

Non concoxerunt illud *pariter qualis*, pro quo tuliſſent *taliter qualis*, ſed illud Plauto magis placet: qui hoc ait, tale protſus conſilium das, qualis ipſe es, id eſt nequam. SC. *Benefactum*.

Ne quid ſignificem quippiam mulierculis.

Durè junguntur *Ne quid quippiam*. Igitur ſcribo *Ne qui*, id eſt aliquo modo. Sc. *Heus mane*:

TR. *Non edepol piſces expeto, quàm tui ſermonis ſum indigens*

Non ultrò damnem *quam*: ſed quia veteres non habent, facilè ſinam deleri. Et certè ſenſum nihil juvat: impedit etiam, ſi *tam* ſubintelligas. Nam planè non expetebat Trachalio piſces: ſolum conferre ſermonem cupiebat. Mox:

GR. *Non audio*. TR. *at pol quin audies pòſt*. GR. *quin loquere quidvis?*

Traiicienda particula eſt: TR. *at pol quin audies*. GR. *quin poſt loquère quidvis*. TR. *Ebò modò*. *eſt operæ pretium &c.* Abſtrudere prædam cupiebat antè Gripus, quàm cum Trachalione colloquium inire. Igitur is differri vult, & paullù pùſt locuturum quidvis ait. Sic enim accipio *loquère* in futuro, ut reſpondeat τῷ *audies*. in qua contentione vis eſt iteratarum utrinque particularum *quin*: alter urget, ut audiatur jam nunc ſtatim: idque valet, *ebò modò*. Deinceps omnes editiones præter unam, optimam alioqui, rectè:

GR. *Ecquid eſt quod mea referat?* TR. *ſcilicet, ſed boni conſilii*
Ecquid in te mihi eſt?

quomodo & in illa quilibet ſibi reſcribet: niſi in ſenſu ſolus errare, quàm cum reliquis rectè ſentire malet. Porrò:

TR. *Et quo pacto periit*. GR. *at ego quo pacto inventum eſt ſcio.*

Non ſum ego qui negem *vidulum* neutro quoque genere potuiſſe uſurpari: ſed ſequor, qui negant, vetuſtiores libros. In iis enim *inventuſt*: & hue ſcio verum. Erratum enim in elidendi ratione, quæ ſæpius has turbas dedit. Ita quippe & Mercatore & Pſeudolo, quæ nunc loca ſuccurrunt, utrobique *mentitum eſt* fecerant, ubi priſci rectè *mentituſt*, pro mentitus eſt. Atque ecce hic iterum idem *inventuſt* eodem modo corruperunt à pauculis verſibus:

In mari inventum eſt, commune eſt.

Sed quid facio? Contra me locum hunc adducere videbor, & in me ipſe pugnare. Neutro enim genere hic adjungitur *commune eſt*. Neſcis, quò eam, ô bone. Dico & illud falsò ita ſcriptum diviſim, cum junctim debuiſſet *communeſt*: quod veteri ſcribendi ratione eſt pro hodierna *communiſt*: id eſt, communis eſt. Ita enim antiquitus ſolitum docui ad Amphitruonis illos verſus Sc. primâ:

Quemadmodum ego ſæpe in ſpeculum inſpexi, nimis ſimileſt mei.
Itidem habet petaſum ac veſtitum: tam conſimileſt atq; ego.

Quò recurre, & ejus totius generis cum exempla plura, tum rationem ipſam vide. Propero hic ad alia, neque neceſſe pluribus locis eadem inculcari.
Poſt pluſcula ſequitur:

Vide ſis cujat arbitratu nos facere vis? GR. *viduli*
Arbitratu. TR. *ita enimverò ſtultus es*. GR. *ſalve Thales*.

Convicio Trachalionis non cohærere debent verba *ita enimverò*: ſed hæc per interrogationem prius efferenda, tum illud ſubjiciendum: TR. *ita enimvero? ſtultus es?* Deinceps ſic Douſica editio:

GR. *Ego jam hic te itidem quaſi penicillus novos exurgeri ſolet,*
Ni hunc amittis, exugebo quidquid humoris tibi eſt.

quæ evariavit de induſtria ab aliis, in quarum pleriſque *exſugeri* & *exſugebo*. Rectè illa verò mutavit *exurgeri*: ſed cum hoc amplexa eſſet, cur retinuit alterum tamen *exugebo*? Et illud mutari debet in *exurgebo*: ut utrumque ſit ab urgendo, non ſugendo. Exurgetur enim ſeu exprimitur peniculus, haud exſugitur. Et profectò in metaphoræ imagine perſiſtendum fuit. Alias *ſugendi* verbum inflexione ſecunda quoque futurum format. Nam Epidico quidem:

Iam ego me vortam in hirundinem atque eorum exſugebo ſanguinem.

Sed hic ſenſui non id aptum eſſe patet. Quærendum autem, cur Plautus de novo peniculo potius quàm quovis hic loquatur: ſi vox *novos* ſincera eſt habenda.

Pro-

Propius finem:

TR. *Vin' qui in hac villa habitat, ejus arbitratu tu fieri?*

Ejiciendum quidem *tu*, ſed *rem* viciſſim à Lambino non recipiendum: multo minus cum aliis legendum *fiat hoc*. Nihil additum ab auctore verbo *fieri*, cujus ſyllabam primam ſolenniter produxit. Poſtremus verſus ita denique ſcribendus:

Etſi ignotuſt, notuſt: ſi non; notat ignotiſſimuſt.

Aliter in numeris obhæteſces.

CAPUT V.

Primarius vir: rem faceſſens. Abs te, contra te. Ab re. Cibit. Solutuſt. Hoc habet. Propere, placidè. Promiſcàm, promiſcus. Locus unus intricatior, expeditus: alii multi variè correcti. Lambini interpretationes & cenſuræ quædam ventilatæ. Verba trajecta: verſus compoſiti. Perſonæ ſæpius errantes ſub legitima ſua ſigna revocatæ, & in ordinem rurſum diſtributæ.

INitio proximæ ſcenæ *Seriò*, tam malè editiones noſtræ:

Metuo propter vos, ne uxor mea me extrudat pedibus.

quàm veteres benè, ædibus: vel numeris, ne ſententiâ dicam, judicibus. At pliтera non inanis tamen, ſed inverſa particulæ *me* eſt addenda, ut fiat, *med extrudat ædibus*. Porrò ſenex domo progreſſus cum puellis incidit in ſuum & adoleſcentis ſervum inter ſe de vidulo certantes:

GR. *O here ſalve.* DÆ. *ſalve Gripe: quid fit?* TR. *tuuſne hic ſervus eſt?*

GR. *Haud pudet.* TR. *nihil ago tecum.*

Quorum verborum illa, *Haud pudet*, peſſimè Lambinus interpretatur, cum per interrogationem effert, & objurgari à Gripo Trachalionem cenſet, quem non pudeat ſecum in præſentia ſenis heri ipſius contendere, & rem alienam ſibi vendicare. Friget hic ſenſus adeò, ut ad ipſum meritò dicatur, Haud pudet? Profectò enim pudere debebat hujus & ſimilium paſſim ineptiſſimarum explicationum. Sententia autem germanâ ut facilius, ſic elegantius etiam nihil. Interrogante Trachalione Dæmonem, eſſetne is ipſius ſervus; ipſe pro hero occupat reſpondere, & ait affirmanter *Haud pudet*; id eſt, ſum verò illius, neque mei pudet eum, ut eſſe ſuum neget. Intervallo aliquanto, trajectis verbis erunt verſus ita concinnandi:

. . . . TR. *ut nequitur comprimi!*

Ita ut occœpi dicere, illum quem tu dudum Veneris è

Fano lenonem extruſiſti, hic ejus eccillum vidulum.

Si Lambini quidem fidem ſequimur in ipſis verbis, quæ defecta aliquot ſupplevit. Paullò poſt:

TR. *Quoad primarius vir dicat, comprime hunc ſis, ſi tuuſt.*

nota *primarium virum* dici accuſatorem, cujus primæ ſunt agendi partes: quas Trachalio ſibi vindicat & ſuperius eodem modo:

. . . . DR. *eloquar.*

GR. *Imò ego eloquar.* TR. *ego opinor, qui rem faceſſo.*

Inferendum enim illic ita planè ſtatuo provocabulum *qui* ex editionibus aliis haud alias planè bonis. At porrò:

Hoc neq; iſti uſus eſt, & illi miſeræ ſuppetias feret,

Si dederis, qui ſuos parentes quærat.

monitore nemo indiguerit, perſonâ tertiâ ſcribendum *dederit*, ut in pleriſque. Nam id omnibus, etiam ſine aliorum librorum inſpectione, ſubjecerit illud ſubjectum ſtatim, *Faciat ut det*. Porrò etiam:

GR. *Omnia iſtæc ego facile patior, dum hic hinc à me ſentiat.*

TR. *Atqui nunc abs te ſtat: verum hinc tibi teſtimonium.*

Verſu priore ſine cauſſa delet quidam *hinc*, etſi plena abſque eo ſententia in *à me*, cum quo paria facit. At contra id ipſum, *abs te*. Ut enim illud eſt, pro me:

ſi hoc

ſi hoc, contra te. Qui uſus particulæ *ab* & *abs* venuſtus ac frequens, ſed aliquot locis non intellectus. Ut Trinum. Sc. *Multas res.*

. . . . *eos cupit, eos conſectatur, ſubdolè blanditur, ab re Conſulit, blandiloquentulus.*

Ubi Lambini contrariam interpretationem meritò Douſa P. exploſit. Aſinariâ:

Si papillam pertractavit, haud id eſt ab re aucupis.

quod benè Gulielmius noſter contra vulgum oſtendit olim accipiendum, addito & Captivorum loco:

Quidvis, dum ab re ne quid roges, faciam.

& altero Terentii Adelph.

. . . . *At enim metuas ne ab re ſint tamen Omiſſiores.*

quem melius omiſiſſet judicio meo, neque hunc eòdem trahendum affirmaſſet. Cæterùm noſtro Rudentis loco, reliquorum verborum, *verum hinc tibi teſtimonium*, Lambinus explendam ita ſententiam cenſuit, ut *ſumendum* vel *depromendum* ſubintelligatur, contra quem Centuriator Nob. *ibit* ex τῶ *tibi* legi vult, rurſùm contra utroſque ego, *cibis*: quod ad ſenem æquè referendum, ut prius *ſtat*. E vidulo Dæmones teſtimonium cibat ſeu ciebat. Ibidem etiam nunc verſus ordinem vocum hunc ſuadet:

Quibus cum parva Athenis periit, ſicuti dixi prius.

Et inferius:

Ibi ego dicam quidquid inerit nominatim, tu mihi Nullum oſtenderis.

Si *Nullus* minus velis, *Nihilum* poſſis. Etiam mox:

. . . . DÆ. *placet*

Jus merum oras, meo quidem animo. TR. *at meo hercle* *

GR. *Quid ſi iſta aut ſuperſtitioſa aut ariola eſt &c.*

Feliciter Camerarius noſtras explevit primus ſenſum verſumque mutilum appoſitis vocibus *injuriam meram*: quem diſſimulato nomine Lambinus eſt ſecutus. At neuter attendit, perſonas minus conſtare. Non enim Trachalioni videri poterat injuriam dicere Palæſtra, cujus ipſe partes adjutabat. Contra Gripum id erat: cujus perſona ſubſequens ad hæc quoque retrahenda, relegatâ procul Trachalionis:

Ius merum oras, meo quidem animo. GR. *at meo hercle injuriam meram.*

Quid ſi iſta aut ſuperſtitioſa &c.

Atque iterum paullò poſt malè perſonæ diſpoſitæ, ſi verba incorrupta:

GR. *Hoc habet, ſolutum eſt, aperi, video ciſtellam.* DÆ. *hæccine eſt?*

Non enim Gripo convenit *Aperi*: magis ſeni, qui hinc incipiat, & reliquum porrò verſum abſolvat ſed aliter veteres ſcribunt unum verbum, & hoc ipſum *aperi*, quod certè nullius boni ſenſus, aperto jam vidulo & ſoluto. Pro eo igitur illi, *ah perii*: quod quis non aptiſſimum aſſentiatur? Enimverò præterieram & hic pæne imprudens, quod præcedenti capite non debebam omiſiſſe. Pro *ſolutum eſt* hic quoque ſcilicet ſcribendum *ſolutuſt*: eâ formâ, cujus ibi pluſcula exempla cum origine & cauſsâ mutationis indicabamus. Solutus vidulus genere maſculino dicitur: cui non incommodat vox ſolventis, *Hoc habet*. Ita enim Gripus tralatitio more exſultantium exclamat in ipſa vel ſtatim à ſolutione. Mirum autem deinceps, ni denuò in perſonis & illic erratum:

PA. *Sunt crepundia.* DÆ. *ecca video.* GR. *perii in primo prælio.*

DÆ. *Mane ne oſtenderis. qua facie ſunt? reſponde ex ordine.*

Ad quem enim Dæmones hæc? *Me ne oſtenderis*, quæ mihi profectò Gripo adſeribenda videntur, herum ipſum monenti, & ſibi callidè caventi.

. . . . GR. *perii in primo prælio.*

Mane, ne oſtenderis. DÆ. *qua facie ſunt? reſp. e. o.*

Sic, qui me audiet, reponet. At nec ibi quidem verba rectè perſonis ſuis ſingula diviſa:

DÆ. *Pergite obſecro continuò placidè.* GR. *aut ite in malum crucem.*

Quod & imperfecta & in ſe pugnans ſententia poterat monuiſſe Nam non plenus Gripi ſermo, quem liquet priore membro deſici, cui alterum ſubjiciatur, *aut ite in malam crucem*. Dein *placide & continuò* qui hærent? Contraria ea ſunt, & alibi paſſim *properè* ac *placidè* opponuntur, ut Milite Sc. *Niſi hercle.*

Arripe opem auxiliumq; ad hanc rem: properè hoc, non placidè decet.

Diſtingue igitur hic, ſed & corrige leviter aliud ſimul:

DÆ. *Perge te obſecro continuò*. GR. *placidè, aut ite in mal. cr.*

Properat avidus ſuæ ſpei ſenex, & filiam ſperatam pergere celeriter jubet & pendentem ſe abſolvere: tum Gripus veritus ne cauſſæ ſuæ damnum ferat hæc properatio, inhibet eam, & placidè modeſteque rem cupit agi. Id uno verbulo exprimit *placidè*: quo item Mercatore, Sc. *Ex ſummis*:

Loquere id negotii quidquid eſt. AC. *placidè*: *volo acquieſcere.*

Quem ibi locum, ne diſſimulem, jam olim ſic Gulielmius noſter interpunxit & explicavit. Alia ſunt etiam in hanc ſcenam, ſed minutiora: ac tandem ultimum ſit non minutiſſimum iſtud:

TR. *Eamus intrò omnes, quando operam promiſcam damus.*

Mancus eſt verſus integro uno pede, ac jam olim doctiſſimus Camerarius aliquid deeſſe videri cenſuit: ſed is quidem ante vocem *promiſcam*: fortè quia illic ſpatium in libris ſuis vacuum deprehendiſſet. Ego verò potius ante *operam*: ſiquidem id deeſt, quod ego jam pridem mihi perſuaſi. Statuo enim geminandum fuiſſe τὸ *omnes*: & hercule ſententiæ id non minus quam numeris neceſſarium.

TR. *Eamus intrò omnes, quando omnes operam promiſcam damus.*

Ideò ſcilicet hortatur omnes ſimul introire, quia ſimul omnes operam dent promiſcam, quod vocabulum *promiſcam* utrum voles, aut adverbium, aut nomen potes accipere. Nam & *promiſcus*, non ſolum *promiſcuus* uſurparunt Latini, unde *promiſcè* proximè ſuperiore fabula: quod alibi iterum commodius oſtendam.

C A P U T VI.

Tamen. Infelicito. Licet. Præda prædatum irier. Or ultima verborum ſyllaba Plauto interdum longa. Numeri verſuum, & interpuncta aliquoties aptata. Lambini quædam ineptæ explicationes damnatæ: aliæ cum emendationibus ſubſtitutæ.

ETiam nunc aliquantis porrò locis ſcabra aut hiulca Rudens hæc eſt, quam ut a capite cœpimus, ad extremum evoluemus, totamque conabimur ita reficere, ut & in ſpeciem honeſtior ſit, & firmior in uſum. Scenâ igitur *Proh Dii*, quamquam relinqui poterat, ut hactenus eſt vulgò:

Iuſſiq; exire huc ſervum ejus, ut ad forum
Iret: nondum egreſſam eſſe eam id miror, tamen
Accedam opinor ad fores.

tamen melius ad numerorum alicubi legem verba, ad ſententiæ nexum interpuncta in hunc modum collocabis:

Iuſſiq; exire huc ejus ſervum, ut ad forum
Iret, nondum egreſſum eſſe eam id miror tamen.
Accedam opinor ad for.

Latuit hactenus hic vis particulæ *tamen*: quod ſuperiore aliquâ fabulâ plurib. ſum perſecutus, atque eam interiectio ſaltem obſcuravit horum verborum, *id miror*. Proximâ dein ſcenâ rectum illud quoq; ſane ſit:

DÆ. *Sed propera*. TR. *licet*. DÆ. *jam hic fac ſis, cœna ut curetur*. TR. *licet*.

at rectius exiſtimem nihilominus, *jam hic fac ſit*, unius literulæ mutatione. *Sis* enim non adeò ſenſui aptum: quando nec ipſius præſentiam tantopere, quanto heri cupit; nec ejuſdem, alieni quidem ſervi, operâ vel eguit, vel uſurus fuit in cœna

cu-

Digitized by Google

curanda. Facere autem hunc jubet, ut herus ejus quamprimùm ibi *ſit*, cujus cauſſa cœnam erat paraturus, quemque ideo adeſſe ſtatim cupit, ut maturè cœna, ac forte nuptialis illa quidem, curari etiam in iſtam veſperam poſſit. Ibidem poſtremis verſibus ita legendum, diſtinguendumque:

Hercules iſtum infelicitet cum ſua licentia:
Ita meos replevit aures, quidquid memorabam, licet.

Aliquoties in optima etiam editione *infelicet*, & ejuſdem originis alio flexu plura, quaſi *infelico* θέμα ſit, quod per Grammaticos canones eſſe non niſi *infelicito* poteſt. Sed numeri multis locis incautos in fraudem induxerunt, à quibus etſi contractum aut eliſum illud in dimenſione poſtulatur, integrum tamen ipsâ ſcriptione ubique debet exhiberi. Nam hic quidem etiam ſine illorum ipſorum damno decurtari nequit. *Licet* illud, quo moleſti ſibi invicem collocutores hi fuerant, eſt hic vel τὸ, vel τῷ Nam utrumque idoneum ſenſui, quidquid memorabam; vox *licet* replevit meas aures. Alia ſcena ſequitur, *Quam mox*. In ea non ferenda Lambini ſtolida audacia, qua duos verſus hos ex ſermone Dæmonis exemtos Gripu adſcribit:

Mihi iſtæc videtur præda prædatum irier,
Ut cum majore dote abeat quàm advenerit.

atque eos ita interpretatur, ut profectò nec obſcurius, nec ineptius potuerit. Ego Dæmoni ereptos juſta vindicta viciſſim aſſero, ac ſenſum hunc eſſe puto. Docebat pius ſenex impium ſervum, periculosè quamvis prædam appeti, nam ſæpe dolum ſubeſſe, per eamque inſidias de induſtria incautis ſolere tendi. Atque idem ſibi de hac præda videri nunc porrò ait. Videtur, inquit, mihi fore, ut hæc præda viciſſim prædetur, id eſt præda fiat, παθητικῶς. Nam *irier*, non *ire* legitur, atque ut ita quidem præda ipſa fiat, ut aliam ultrò prædam ſecum trahat, abeatque multò cum majore dote, quàm venerit. Id fieri poterat, ſi quis datâ operâ prædatum eam objeciſſet; cui, ſi recepta & celata eſſet, repoſcenti ac furti nomine agenti, duplum pro furto ex populi lege reddendum erat. Itaque nullo modo celari vult iſtum vidulum, quocunque fato ad ſe deveniſſet. Hanc ſententiam omninò reor, etſi durior ſtructura verborum, *præda prædatum irier*: non tamen adverſus regulas aut ſine exemplis. Eodem enim modo dic, Iſte liber ſcriptum itur: itemque, videtur iſte liber ſcriptum iri. Nihilo verò minus expeditior res fuerit, ſi *præda* caſu auferendi accipiatur, & ſcribatur *iſtac*. Sic enim omnes facillimè, quod dicitur, apprehendent, nulla locutionis inſolentiâ turbati. Sed hoc poſſe dico, in rudiorum gratiam; debere non dico, ut Plauto ſua ſcriptura ſervetur. Atq; adeò longius huic loco inhæſi, ut cum ipſe omnibus clariſſimè pateret, tum magis, ut ſtupor quorundam à Lambini Commentariis tantummodo pendentium excitaretur. Jam ibidem hodie vulgatur ſtatim:

Egone ut, quod ad me allatum eſſe alienum ſciam,
Celem? minimè iſtuc faciet noſter Dæmones.

& haud malè *noſter* de ſe ipſo. melius autem meo animo, *voſter*, quod ſcribunt veteres plerique. Ad ſervum enim ſuum loquitur herus. Et mox iterum:

Ego mihi cum luſi, nihil moror ullum lucrum.

iterum, inquam, ridiculus Interpres: qui ipſe videatur. Senſus hic verus eſt. Cum, id eſt, poſtquam mihi luſi, ſeu poſtquam mihi non modo non damno, ſed & uſui ſic feliciter ſatis fuit hic vidulus, inventâ nempe & agnitâ filiâ, nullum præterea lucrum inde quæro. Non tranſponenda autem, quod cenſeas, verba, *nihil ullum moror lucrum*. Longa enim ultima in *moror*, ex Plauti conſuetudine, qua paſſim *or* in fine producit. Hic ſuperius:

Si tu proreta iſti navi es, ego gubernator ero.

Sticho: *Hoſtis eſt uxor, invita quæ ad virum nuptum datur.*
Pœnulo: *I ſoror: abſcede tu à me. AG. perii, eho, quid agis Milphio!*

Plura ubique inveneris, ſi venêris. Illius autem verſus:

Ego daturus ibi nihil ſum, ne tu fruſtrà ſit.

trajiciendæ aliquot voculæ, atque una ejicienda, tum altera leviter augenda:

Ego tibi daturus nihil ſum, ne fruſtra ſiet.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VII.

Cenſionem facere. Os calens frigefactare. Git. Quid iſtuc? Ni, nive. Promiſti. Mirum quin. In correctione & ſenſu loci vitiati. Lipſio ſubſcriptum. Verſus quidam expleti. Contra Lambinum & alios multa emendata & explicata. Pœnuli locus ad exemplum Rudentis reſtitutus. Juramentum malæ fidei & defectus argutum. Ejus formula de novo concepta & præita ex conſilio magni amici.

DIverſæ ut ſcripturæ librorum, ſic ſententiæ virorum doctiſſimorum in hoc joco ſunt ſequentis ſcenæ *Itera dum*, quæ quidem omninò ſic inchoaada, ut inter pauca rectè quidam correxit. Sed jocus, quem dicebam, is eſt:

PL. *At ſume equidem, ne cenſionem ſemper faciat*, TR. *cenſeo*.

Lambinus eam quidem lectionem retinet, & ad Cenſorum morem trahit, equiti multam irrogare ſolitorum: qui quid huc faciat, aut quid hic eò, non video. Turnebus legit, *Adſum equidem*: & capit de alio ritu, quo abſentibus, cum citarentur, cenſus capiebantur. At neque hoc convenit ſanè nimis. Immane enim quantum differunt *cenſum capere* & *cenſionem facere*. Nec aliorum nugas perſequar, Lipſii cenſura ſupereſt: cui uni adhæream, ſcribenti, *Abſume quidem*: explicantique de decoctoribus, qui cum bona ſua abliguriſſent, ſoluti erant neceſſitate quidquam eorum in cenſum dedicandi. Id enim eſt *Cenſionem facere*: in quo alia levior etiam ambiguitas, ut ſit interim ſimpliciter pro *cenſere*. Nam talia alibi habuimus. Aſcenſionem & Revorſionem facere, pro Adſcendere & Reverti. Cenſet autem ſemper Trachalio, cum ſingulis heri ſententiis ſubjicit aſſenſum ſuum iſto ipſo verbo *cenſeo*, quod hic itidem addit eò, quia ſuaſus erat *abſumere*: quod, ludens perpetuo modo, faciundum ſanè ſibi & ipſe cenſet, id quod nulli ſententiæ priorum aptè hæret, quocunque pacto coneris accommodare. Solum ergo Lipſium, quem ubique ducem agnoſcimus, & hic ſequamur.

Deinceps verbulum iſti verſui deeſt:

PL. *Etiamne eam adveniens ſalutem?* TR. *cenſeo*. PL. *etiamne patrem?*

Inſere, PL. *etiamne ejus patrem?* ut in ſequente: PL. *Poſt ejus matrem?* Sed in illo noſtro monoſyllabum erit *ejus*: quam contrahendi rationam memini alibi & mihi, & ante me aliis non ſemel annotatam.

SC. *Numquid edepol*: editione Douſicâ,

LA. *Quid refert, qui periit?* GR. *tamen ſi non hoc, aliud fabulemur*.

malè omiſſum *nihil*, quod inſerunt veteres, & exſtat etiam in Lambini: GR. *nihil, tamen ſi non &c* qui Interpres ſenſum tamen reliquorum non eſt aſſecutus. Atqui, cum de iis quæ in vidulo fuiſſent, interrogaret Gripus; leno reſpondere non ſuſtine: quid enim ſcire de illis referat, cum quibus unà ipſe perierit? Tum ille iterum: Nihil ſanè referre; neque ſe verò aliâ cauſsâ quærere, niſi ut ſermonis ſit argumentum, nam ſi non hoc, tamen aliud ſe inter ſe fabulaturos. Potentialis, quem dicunt, modus eſt *fabulemur*: ne ſuaſionis in eo vim arbitreris.

Deinceps eadem editio ſic exhibet:

LA. *Dabo ſeptingentos*. GR. *os calet tibi, nunc git frigefactat?*

è veteribus quidem libris & Gulielmii noſtri reſtitutione, ut ad oram notat. Sed illi *num* voluerunt, non *nunc*, atque id neceſſarium conficiendo ſenſui, quem ſpectabant. Ait Grypus: os calet tibi, an ergo calidum pulmentum è git comediſti, quod frigefacias? Etſi eo ampliùs, non ad pulmenti tantùm calorem, ſed ipſius etiam git acrimoniam peculiarem alludi poteſt. Nota enim illius acredo in guſtu, ad piperis inſtar, vel ex Auſoniano verſiculo:

Eſt inter fruges morſu piper æquiperans git.

Quæ omnia veriſimiliter quidem dicuntur, ac maximam partem verè; neq; tamen ine-

Digitized by Google

inepta prorſus eſt vulgata lectio, *nunc id*: pro qua ſtare videatur geminus il le Pœnulo locus, ſi arctius contendas:

LA. *Calidum prandiſti prandium hodie? dic mihi.*
AG. *Quid jam?* LA. *quia hoc nunc frigefactat, cum rogat.*

Ut enim ibi, *hoc nunc frigefactat*: ita hic, nunc id frigefactas, quamquam ibi quidem ſuſpicor nunc ac pæne credo, non legendum *hoc*, ſed id mutandum in *os*. Os enim rectius frigefactari dicitur, quàm prandium, aliquanto antè ſcilicet abſumtum, ex quo caleant adhuc fauces. Atque ita etiam hic pervicerit vulgata lectio, *nunc id*: ut ad *as* æquè *id* referatur, quod profectò melius, ut ajo. Nam os undecunque calens refrigerari dicitur: de *git* argutiuſculum eſt, neque ratio ſatis conveniens, illud frigefactari, cum os caleat. Ergo recipiamus illud vulgatiſſimum ſaltem abjecta nota interrogationis:

GR. *as calet tibi: nunc id frigefactat.*

Sequetur porrò: *Talentum magnum: non poteſt triobolum hinc abeſſe:*
Proin tu vel ajas, vel neges. LA. *quid iſtuc neceſſum eſſe video.*
Dabitur talentum.

Mutant alii non commodè: quos vellem libros veteres diligentius inſpexiſſe. Ex iis repono ego: LA. *quid iſtuc? neceſſum eſſe video. Dabitur tal.* Imperfecta oratio labaſcentis, *quid iſtuc?* quam ſuppleas variis modis, ſed in eam planè ſententiam, qua ſimilem locum ſuprà Bacchidibus emendabam, explicabam: Sc. *Aridæ.*

Quid ego iſtuc? quod perdundum eſt, properem perdere.

Jam ad juramentum parvenimus, quod lenoni conceptiſſimis verbis Gripus præit. In eo repetendos olim ſingulos verſus judicabam, ut ordine leno ſubſequeretur, Nam pars illa præcipua deeſt, nec ſemper altera rectè præitur, ut in libris noſtris perſonæ digeruntur. Itaque ſic faciundum putabam, ut primis quatuor verſibus, *Venus Cyrenenſis &c.* poſtquam à Gripo eſſent pronunciati, ſubjicerentur iidem mox, iteratò ſcripti, & lenoni adſcripti: tum deinde reliqui eodem modo alternarentur. De quo cum per occaſionem, ut de multis hujus generis aliis, in familiari ſermone apud Nobiliſſimum & Ampliſſimum virum Joan. Matthæum Wackerum, cujus in laudes & titulos ambitioſiùs hic diffundi non debeo, quamquam ægrè ob merita ejus in me temparo, nuper admodúm diſſerviſſem; viſum eſt id paullò incommodius, quia pluſculos verſus uno tenore non ita facilè comprehendere memoriâ, & ſine titubatione ſubſequi leno potuiſſet: ac propterea ſatius eſſe, ſi ſinguli aut dimidii per vices præirentur, ac redderentur, ad hodiernum Jurationum morem, à quo non diſſimilem fuiſſe priſcum, vero diſſimile non eſt. ita euntem ultrò me facilè traxit vir harum quoq; literarum præter graviores callentiſſimus & ſtudioſiſſimus, ut non repetere, quidem verſus omnes vellem, ſed perſonam utramq; Gripi & Labracis præfigere, quod indicio eſſet ultrò re petendos. Quamobrem ad hunc jam modum tanto auctore & approbatore locum integrum ipſe ſcribo, cunctiſq; reſcribendum ſuadeo, nemini poſthac auctoritatem ab illo mihi commodatam defugiturus.

LA. *Quod tibi libet id mihi impera.* GR. *tange aram hanc Veneris.* LA. *tango.*
GR. *Per Venerem hanc jurandum eſt tibi.* LA. *quid jurem?* GR. *quod jubebo.*
LA. *Præi verbis quidvis, id quod domi eſt, nunquam ulli ſupplicabo.*
GR. *Tene aram hanc.* LA. *teneo.* GR. *dejura te mihi argentum daturum*
Eodem illo die, viduli ubi ſis potitus. LA. *fiat.*
GE. LA. *Venus Cyrenenſis, teſtem te teſtor mihi.*
Si vidulum illum, quem ego in navi perdidi,
Cum aura atque argenta ſalvum inveſtigavero,
Iſq; in poteſtatem meum pervenerit:
GR. *Tum ego huic Gripo dico, inquita, & me tangita.*
LA. *Tum ega huic Gripo dico, Venus, ut tu exaudiat.*
GR. LA. *Talentum argenti magnum continuò daba.*
GR. *Et ſi frandaſſis, dicito, uti in quæſtu tua*
Venus eradicet caput atq; ætatem tuam.
Tecum hoc habeto tamen, ubi juraveris.

LA. *Et illam ego advorſum ſi quid peccaſſo, Venus,*
Veneror te, ut omnes miſeri lenones fient.

Ita mero meridie ſunt omnia liquidiora, nec uſquam quis offenderit, eum & interpuncta ſimul adaptata magis, & vocula una adjecta, una abjecta: quod è comparatione vulgatorum quorumvis codicum rectiſſimè conſtabit. Nunc reliqua in ſcenam ultimam, quæ paucula ſunt, adjiciamus. In oblato certamine ſponſionis:

. . . . LA. *cedo qui cum habeam judicem,*
Ni dolo malo inſtipulatus ſit, nive etiam dum ſiem
Quinq; & viginti natus annos.

omiſſa negatio eſt ubique, per ſenſum nequaquam omittenda. Is namque planè inſeri vult, *nive etiam dum haud ſiem Quinq; & viginti natus annos*. Niſi putes eundem æquè juvari, repoſito *ſive etiam*, quod nec ego negem: ſed certè formula ſtipulationis magis amat. *Ni, nive*, itaque non hæc mutetur, ſed negatio addatur. Contendit enim, ſe nondum quinque & viginti annos natum: quibus minores, non majores Lætoria lege gaudent. Paullo pòſt:

Promiſiſti huic argentum? LA. *fateor &c.*

Verſus cauſâ potius *Promiſti*. Hinc longiuſculè:

. . . . LA. *nempe pro meo*
Jure oras. DÆ. *mirum quin tuum jus meo periculo abs te expetam.*

Sententia efflagitat, *pro tuo Jure orat*, quomodo & legunt veteres editiones, quaſcunque vidi. Turbavit eos, qui *meo* ſuppoſuerant, locutio Plauti *mirum quin*: a qua ſæpius, ut ſuo loco notavimus, ejuſmodi turbæ conflatæ. At quomodo ea capienda dictum etiam eſt alibi, ne ſim hic prolixior denuò: qui jam feſtino, & tempus eſſe video, portu ex hac naufraga jactatione repetito, Rudentem aliquanto complicare.

VA-

VALENTIS ACIDALII

IN PLAUTI STICHUM DIVINATIONES, ET INTERPRETATIONES.

AD

Nobiliſs. Et Doctiſſimum Virum

JANUM GRUTERUM

Juriſconſultum, Philologum, & Poetam clariſſimum.

CAPUT I.

Salvène amabo? Salvè agere: & de ejus formulæ ſcriptura. Exangeri. Animum augere. Augeri, Creſcere, Foveri. Expleri, nova ſignificatione. Implere apud IC. Mureti verſificatio in prima Stichi ſcena non cum aliis approbata. Ibidem unus alterq; locus excuſſus, & recens emendatus. Firmata vetus Palmerii in Terentium alibi, & hic in Plautum correctio: nova à nobis Panegyrica Nazarii imputata.

STichi ſcenam primam in ſenarios redegit Muretus, exemplo bono: ſed non bono, Lambinus in editione iua prorſum eſt ſecutus. Neque enim ille ſie præivit, ut pro legitimis Plauti verſibus agnoſci vellet: & ut poſſent, non ut deberent, reſtitui monſtravit, adeoque nimis ambigua res eſt: ac ſunt permulta, in quibus ei nemo, ne Lambini quidem gratiâ, aſſentiatur, quippe qui non modò verba pleraq; mirificè trajieiat, quod ſanè fuit hoe aggreſſo faciendum & à nobis permittendum, ſed & multa deleat audacter, & audacius non pauca de ſuo addat. Inter quæ vei minimum illud non proeul initio, ubi ſic reſtituit:

Sed hîc mea ſoror aſſis, multa dum volo
Tecum loqui de re viri. PA. *ſalvæne res?*

Nam ut traductionem parrieulæ *dum* taceam, quam probare nequeo tamen, quia non ad illam, ſed priorem orationis pertinet partem, & verbo *aſſis* eontinenter adhæret, ne interpuncto quidem, ut in vulgatis, divellenda: qui feram, quòd *amabo* abjecit, *res* ſuppoſuit, atque ita formulam elegantiſſimam inque percunctatione hujuſmodi ſolennem ae perpetuam deſtruxit, *Salvène amabo?* Sie enim ea quoque ipſa ſcribenda, ut adverbium agnoſcatur *Salvè*, non nomen *Salvæ*, quod diſputavit olim ad Auſonium probavitque, non magna tamen ratione, Vinetus: &

pòſt

poſt tacitâ quaſi ſententiâ decidit Briſſonius in arduo opere Formularum, qui & hanc & ſimiles ibi ceteras omnes ita plane concepit, atque expreſſit. Illinc exemplorum theſaurum petes: at pro ratione habebis tibi potiſſimum, quod verbum ad iſta talia ſuppreſſum intelligatur, aliud atque aliud pro ſententiæ flexu, plerumque tamen & ad pleraque verbum *agendi*, aptius omnibus & flexibile in quemvis habitum præ ceteris. Quod ipſum diſertè adjungit Appulejus binis locis, unde certum huic opinioni firmamentum. Metamor. lib. I. *Quàm ſalvè agit*, inquit, *Demeas noſter?* Apulogia: *Interroga, Maxime, quatuordecim, ſervos quos exhibemus, Thallus puer ſit, & quam ſalvè agat*. Ita igitur ſecuri numerorum, ſententiæ curioſi reſcribamus in noſtris libris:

Sed huc (al. hic) mea ſoror aſſiſdum: multa volo tecum
Loqui de re viri. PA. *ſalvène amabo?*

Quamquam ſi curioſius in ſententiam loci totius inquirimus, videbitur omninò neſcio quid aliud ſubeſſe. Vide enim. Ait Panegyris, locuturam ſe de re viri, potius virorum dicere debuiſſet. Sed de iis neque *multa* dicit, quod facturam ait: imo pænè nihil. Nihil enim in ſequentibus deinceps, quod ad viros magnoperè ſpectet: ſed omnia ad ipſas, & parentem, de cujus iniquitate in ſe conqueruntur & mutuò ſolantur. Hoc me, fateor, aliquando movit, ut totam lectionem vulgatam mutandam arbitrarer, ſed facili modo, quem pudenter & cum venia apponam:

Sed huc, mea ſoror, aſſiſdum: mutuo volo tecum
Loqui de re. PA. *viri ſalvine* (aut *ſalvène*) *amabo?*
PI. *Spero quidem & volo: ſed hoc ſoror crucior,*
Parentem tuum &c.

Cum adeſſe & attendere ſororem Panegyris juſſiſſet, addidiſſetque de communi re loqui cum ea velle; ſuſpicatur illa ex amore & timore, de viris id fore, quæritq; ſtatim, anne mariti ſalvi ſint, aut ſalvè agant? Quod aptiſſimum ut nemo negabit, ita verum non ego tamen affirmabo. Sit in medio: ac nos ad alia pergamus.

Honeſtiſſimus ibidem ille ſermo:

PA. *Ne lacruma ſoror, neu tuo id animo*
Fac, quod tibi tuus pater facere minatur.

ac ſenſus elegans non minus: quem præ modeſtia, & reverentia in parentem Panegyris innuit obſcurè tantum, non exprimit diſertim. Pater ægrè & male facere minabatur: item ne ipſa ultrò ſibi faciat, hortatur. Sub finem etiamnunc legitur:

PI. *Scio, atque in cogitando mærore augeor.*

quod emendandum jam olim Palmerius monuit, *angeor*: rectiſſimè. Probat id apertè Colonienſis meus, in quo *angor*. Neque de Terentiano loco dubitandum, Heautontim:

Concurrunt multæ opiniones, quæ mi animum exaugeant.

quod idem, ni fallor, ille ſic reſcribit. Nam profectò *exaugeant* non modò nihil ad rem, ſed planè contra. Neque enim commodè, quod iſti in ſcholis volunt, ſubintelligitur vox *dolore*: nec *animum exaugere* id eſſe poteſt, quod alii putant, ſententiam firmare: & valet autem prorſus in mentem priori contrariam & loco alieniſſimam, animum exhilarare ſeu oblectare. Id adeo non vulgatum hactenus per occaſionem hanc paucis, ſed illuſtribus exemplis oſtendam. Primùm *Animus augetur* eſt ad verbum Homericum ἀέξεται ἐνδόθι θυμός. Deinde apud Symmachum eſt eo ſenſu, loco qui memoriam nunc meam fugit & veſtigationem fruſtratur: *Quæ mihi animum augeant*. At Taciti ſimilem in numerato habeo, XV. Annal. *Neque infamiâ Pæti augebatur* (*Corbulo*:) *quod eo maximè patuit, quia filio ejus tribuno ducere manipulos atque operiri reliquias malæ pugnæ imperavit*. Perſpicuè *augeri* eſt hic delectari. Eo amplius & lætari, alio Taciti loco II. Hiſtor. *Titus aucto animo ad patrem pervectus*. Neque enim tantum de majore atque erectiore, ſed & hilariore ſimul animo ibi interpretandum. Seneca *Creſcendi* verbum non diſſimiliter uſurpavit Epiſt. XXXIII. *Creſco & exſulto & diſcuſſâ ſenectute recaleſco*. Apud Auſonium *Fovere* itidem inveni, Parentalibus Severi Cenſoris Juliani:

Si quid apud manes ſentis, fovet hoc tibi mentem,
Quod fieri optaras, id voluiſſe Deum.

Denique & *Explere* eſt voluptate afficere, Panegyrico Nazarii, qui Conſtantino dictus: *Miſſum ejuſdem Tyranni ad permulcendam Africam caput, ut quam maxi-*

mè

Digitized by Google

ut vivus aſſixerat, *laceratus expleret*. Quem ipſum ibi locum ſic emendamus per viam, nam vulgò malè, *ut quam maximè unus*. Sed ad hoc quidem verbum ſubintelligi videtur aliquid oportere, ut ſit quaſi gaudio explere: quem in modum ſimpliciter in Juriſconſultorum libris ſæpe ponitur *Implere*, cum ſenſus aſſumendum monet, argumentis implere. Eſt enim, pro certis & firmis probationibus evincere & obtinere; quod me monitum à magno amico, magnifico viro Jo. Matth. wachero teſtor.

CAPUT II.

Voluntate. Igitur deinde. Poſtidea igitur deinde. Illico, quot modis accipitur. Penſior conditio. Aliæ quædam verborum notæ. Multa verò loca, & quædam contra Lambinum, emendata, explanata: interpunctis, verbis, numeris mutatis. Præter hoc perſonis ſæpius ſui verſus redditi, & ipſi aliter conſtituti. Plauti etiam inconſtantia notata. Et Nonius caſtigatus & expletus.

SEcundæ ſcenæ initium in pleriſque libris non diſtinguitur rectè ſatis, in Lambinianis interpolatur inſertione particulæ *ſua*, pro voce *ſervus*. Hæc autem ſcriptura & interpunctio germana:

Qui monet ut moneatur ſemper ſervos homo officium ſuum,
Nec voluntate id facere meminit, ſervos is habitu haud probuſt.

Quod ſi Lambinus è libris inſeruit *ſuâ*, non debuit tamen ejicere vocabulum alterum, à Plauto minimè omiſſum. Et ferant utrumque numeri ſanè, pede primo Amphimacro, ut ſolet haud rarò, conſtituto, & in monoſyllabum contracto ipſo *ſuâ*, quo frequentius nihil. Sed è libris hoc eſſe non equidem puto: magis, de ſuo Lambinum attuliſſe, qui neceſſariò id addi perſuaſerat ſibi. At otioſum prorſus eſt, nec ille ſcibat aut meminerat, *voluntate* ſic uſurpari abſolutè ac velut adverbialiter, ut vulgò *ſponte*. Res in noſtro multis exemplis clara, quorum unum ſaltem adſcribo. Milite:

Quin ſi voluntate nolet, vi extrudam foras.

Mox etiam interpunctio vacillat:

Jam ego domi adero, ad meam majorem filiam inviſo domum.
Si quis me quæret, inde vocatote aliqui, aut jam egomet hic ero.

& huc inclinat, ut *domum* ab *inviſo* diſcriminetur, accenſeaturque ad *vocatote*, quò ego nec impello, nec retineo. *Aliqui* ibidem pro *aliquis* poſitum, ne multitudinis eſſe numerum putes.

Inepta porrò ſenis oratio:

AN. *Si manere hic ſeſe malint potius, quàm alio nubere,*
Non faciam, quid mihi opuſt decurſo ætatis ſpatio cum eis
Gerere bellum?

Quid enim ſe facturum negat, qui diſputavit ſecum etiam nunc nihil, ſed deinceps deliberat primùm? Antiquiores libri *faciant* legunt, non *faciam*. Illud verum, ſed falſum nihilominus *non*, idq; aut delendum, aut traducendum, mutandumq; ſic:

AN. *Si manere hic ſeſe malint potius, quàm aliò nubere,*
Faciant, nam quid mihi opuſt &c.

Sententiam hoc efflagitare vides, quæ ipſa clarior omni declaratione. Liceat tibi tamen *τὸ nam* non recipere, & *non* ipſum penitus abjicere. Nihil hinc ad ſententiam damni, quæ in ſolo *faciant* ſita. Aliò non eſt pro *alii*, ſed adverbium. Sic enim & aliquò nubere, & deſponderi in fortem familiam, aliis ſæpe locis. Statim interpuncta iterum, & verbula quædam leviter errant quidem, ſed ut ſenſum graviter tamen lædant. Totus autem locus, quem dico, ſic reſtituendus, ne bis adſcribendi vanam operam ſumam:

Minimè volo turbat, ſed hoc mihi optimum factu arbitror,
Principium ego quo pacto cum illis occipiam, id ratio cinor:

Vtrum ego perplexim laceſſam oratione ad hunc modum,
Quaſi nunquam quidquam in eas ſimulem, quaſi nihil inaudiverim
Eas in ſe meruiſſe culpam, ac potius tentem leniter,
An minaciter?

Quidquid mutavi, quod eſt parum, ſententia juſſit. Primò, nihil dum ſtatuerat, quid optimum ſibi factu eſſet ſenex, de re univerſa. Sed id optimum eſſe adhuc dicit, ut ratiocinetur ſecum prius, quomodo principium ſit occœpturus. Deinde duos init modos, utrum leniter filias tractet, an minaciter: atque in priori includit iſtum, num perplexabiliter & ex obliquo. Sic enim leniter eas adoriatur. At contra minaciter, ſi directè & aperta incuſatione. Quamobrem peſſimè erat ſcriptum *an potius*, quaſi diverſum hoc à præcedentibus caput deliberationis: ubi, ut idem videatur, *ac potius* nunc ſubſtitutum. Sed nihil abſurdius totâ ſcenâ, quàm quòd proximum verſum,

Exorando, haud adverſanda ſumendam operam cenſeo

ſeni etiam adſcribunt, & quidem ubique librorum. Nec quiſquam adhuc attendit, patri non convenire, ut ipſe de filiabus cogitet exorandis. Quâ enim cauſsâ, aut quid oret? ut aliò nubant, an ut maneant? Alienius nihil à conſilio ejus, nec magis quidquam contra rationem. Quin filiarum alterius eſt verſus, & illius maximè, cujus proximè ſequens, ille quidem in eandem ſententiam cum hoc conſpirans, quo mirum magis eſt, nemini de tam craſſo & obvio mendo ſuboluiſſe. Deliberant inter ſe quoque filiæ, quomodo cum patre ſibi agendum, ut in conjugiis ſuis relinquantur.

Id conſilium conſtituerant paullò ſuperius:

PI. *Quid agimus, ſoror, ſi offirmabit pater adverſum nos?* PA. *pati*
Nos oportet, quod ille faciat, cujus poteſtas plus poteſt.

Nunc hoc conſtituunt, non adverſandum parenti præfractius, ſed blanditer eum exorandum, ut cum gratia impetrent, quod volunt: id quod multo facilius ſit, & honeſtius, & in certa ſpe. Quæ omnia quibus verſibus dicuntur, ii à numeris alicubi exorbitantes in hunc modum omnes reſcribendi, primo illi, de quo agebam, contendebamque ſeni diſconvenire, ſub Pinacii perſona continuati:

PI. *Exorando, haud adverſanda ſumendam operam cenſeo.*
Gratiam ſi à patre petimus, ſpero ab eo impetrabere:
Adverſari ſine dedecore & ſcelere ſummo haud poſſumus.
Neq; ego ſum factura, neq; tu ut facias, conſilium dabo.
Verùm ut exoremus. Novi ego noſtros, exorabiliſt,

Quæ vel poſtrema vox *exorabilis* poterat admonere primam *Exorando* oportere eſſe. Atque idem poterat etiam membrum hoc ultimum, *Novi ego noſtros, exorabiliſt*: quod reſpondet illi alteri in ſenis conſultatione: *Scio lites fore, ego meas novi optimè*: ut ſit æquè ultimum, in qua clauſularum ſimilitudine ſumma quoque conſiſtit elegantia & lepor ſingularis.

Jam porrò ſenex decernit:

AN. *Sic faciam, aſſimulabo quaſi aliquam culpam in ſe admiſerint:*
Perplexabiliter earum hodie perpaveſaciam pectora.
Pòſt id agam igitur: deinde, ut animus meus erit, faciam palam.

Ubi dubium primò, *aſſimulabo* an *inſimulabo*. Sed recedit utrumvis in eundem ſenſum, neque tamen vel aſſimulat vel inſimulat deinceps, ut hic ſe ſtatuit facturum, de qua varietate & inconſtantia ſæpe notatur auctor. Sed verba, *Poſt id agam igitur*, quid ſibi volunt? Nam nunc quidem ſtatim hoc acturus erat. Omninò *Prius* ſuſtituendum τῷ *Poſt*, atque etiam interpungendum ita:

Prius id agam: igitur deinde, ut animus meus erit, faciam palàm.

Prius perplexabiliter eas paveſaciet: deinde animum ſuum liquidò pateſaciet. *Igitur deinde* Plautinam locutionem cum reliquis cognatis ad primam Comœdiam copioſè perſecuti ſumus. Ex *Poſt* aliquanto facilius *Aſtu* fieri poterat: niſi prius ad ſenſum aptius: nec intercedo tamen, ſi quis illud malet. Nam vix fore arbitror,

qui

qui audaciorem conjecturam probet *Poſtidea igitur deinde*: quamquam ſic quoque Plautus potuit fortè, qui ſimili conjunctione ſæpè *Poſt igitur demum*. Sed certè durior hæc eſt: nec ſenſui ſatis opportuna.
Sequitur:

PI. *Solve mi pater*. AN. *& vos ambæ illico agite, aſſidite*.

Diſtinguendum poſt *ambæ*: nam prius utraſque reſalutat, deinde non hercle aſſidere jubet eas, ſed abſiſtere potius: quippe qui oſculum prohibet, quod offerebatur. Atque ita jam reponebam, *illico agite abſiſtite*: cum inſpexi demum veteres libros, & non hoc, ſed *abſcedite* reperi, quod non tamen melius eſt noſtro. Neque enim abſcedere prorſus eas jubet, ſed non accedere ad ſe, & adſtare tantum paullò remotius: id quod eſt *abſiſtere*, juvatque particula etiam *illico*, quam non valere ſcies hic, quod aliàs vulgò, ſed Plautinè & antiquè, eo loco. Non enim tantum χρονικὸν, ſed & τοπικὸν adverbium eſt, & idem cum *elocò*, de quorum utroque non nunc primum ego, ſed poſt alios moneo: quos tu ipſos & præcipuè Nonium vide. Qui Nonius ſub ejus particulæ titulo caſtigandus, cùm eam & ad locum valere docet magna exemplorum congerie, quorum nullum tamen ea ſignificatione eſt præter unicum primum ex Turpilio. Reliqua omnia non *illò*, ſed *illo loco* notant. Ac fortè verba illic aliquot exciderunt, quibus novam porrò & diverſam ſignificationem indicarit: ad hoc inquam exemplum. *Illicò, illò. Turpil. Leucadia: Sed quam longè eſt cum iſti illicò? id eſt in eum locum. Illicò, illo loco. Nævius Bel. Pun. lib. 6. Septimum decimum annum illico ſedent. &c.* Ceterùm è Plauto noſtro teſtimonii vicem nihil hic, cum ſit tamen hoc ſenſu innumeris, quamquam & pauciſſimis advertitur locis. Sed ſatis eſt attentionem lectorum ſemel hic excitaſſe, nullis hic adeò exemplis cumulatis.
Statim ſic interpunge:

AN. *Non ſedeo iſthic, vos ſedete: ego ſedero in ſubſellio*.

Et aliquo intervallo *eſt* inſere propter verſum:

PA. *Nullus eſt præter nos teque*. AN. *veſtrum animum adhiberi volo*.

quamquam & ibidem ſcribere malim, AN. *vos tum adhibere animum volo*. Et enim duriuſculum eſt alterum; & in hoc, *tum* notat cauſſam. Quando inquit, alienus nemo adeſt, loquar: & vos igitur animum adhibete.
Inferius:

PA. *Cui malefaciundi eſt poteſtas, quæ ne faciat id temperat*.

Exiſtimem *Cum* potius legendum initio verſus, quia præcedente *Ubi* fuit: *Ubi facillimè ſpectatur mulier? &c.* cui melius hoc reſpondet, *Cum malefaciundi eſt poteſtas, &c.* Statim pergit quærere ſenex, & his verbis debet:

. . . . *age tu altera, utra ſit conditio penſior,*
Virginemne, an viduam habere?

quibus minimum quid à nobis acceſſit, verſus bono. At penſiorem conditionem non iam explicem, quæ ſit majoris ponderis, quàm quæ penſi magis ſit habenda: quamquam in eundem ſenſum ſie revolvor. Paullò poſt ſupplevit Lambinus defectum verſum, ex ingenio magis, opinor, quàm veſtigiis, ut ait, veteris ſcripturæ:

AN. *Edepol vos lepidè tentavi, veſtrumq; ingenium duim*.

Aſperum hoc *duim*, quod addidit. Et numeri de ſequente verſu poſſunt facilius expleri: quamquam illi non ſuperfluit quidem; ſed neque decedit quidquam, ita:

AN. *Edepol vos lepidè tentavi veſtrumq; ingenium, ſed hoc*
Eſt, quod ad vos venio, quodq; eſſe ambas conventas volo.

Eadem adhuc ſcenâ:

AN. *Quid illos exſpectatis, qui abhinc jam abierunt triennium?*

Lambinus fecit *abſunt*. Malo vulgatum retinere, ſed ejus ſenſum juvare additione vocularum deperditarum:

. . . . *qui abhinc jam, cum abierunt, triennium*.

Non dubiè ſic Plautus ſcripſit: quod vel *abhinc* particula innuit, non commodè jungenda cum *abierunt* aut *abſunt*. At jam triennium abhinc eſſe ait, cum abeſſent. Ad finem reconcinno perſonas ubique ferè turbatas:

Nunc ſoror nos abeamus intrò. PI. *imò interviſam prius domum*.

Si

Si à viro tibi fortè veniet nuntius, facito ut ſciam.
PA. *Neq; ego te celabo, neq; tu me celaſſis quod ſcies.*

Etiam primo verſu è veteribus inſerui *prius*: quo lædi numeros aliquis opinetur. At ipſum monoſyllabum fit, & primus pes Amphimacer iterum, ut hic alicubi ſuprà.

CAPUT III.

Inter. *Ex vero, facili. Ex pictura. Paupertas ridicularia. Supellex pariſitica. Locus ab additamentis inquinatiſſimus, expurgatus. Mox verſus unus tranſpoſitus: plures in numeros repoſiti. Iuvenalis cum Plauto compoſitus. Mutatæ diſtinctiones. Alius integer locus de paraſiticæ auctionis præconio diligenter examinatus, mirificè trajectus aliquot verſibus correctus, perſpicuè explicatus. Aliorum quædam approbata, quædam refutata.*

FEſtiviſſimè Gelaſimus paraſitus ridiculus eſt & nomen ſuum tuetur ſequentis ſcenæ principio: ubi novo inauditoq; exemplo Famem ſibi olim matrem & nunc filiam eandem argutatur: quam parere viciſſim nequear tamen, & eò de ingratitudine ipſius, ventriſque ſui inanitate pleni diutina verminatione queritur, cujus orationis tam venuſtæ principem partem invenuſtiſſima interpolatione non invenuſti aliàs homines quidam contaminarunt. Nam ex librariorum oſcitantia, qui iteratò pleraque verſus tertii verba ſcripſerant, extiterunt, qui verſum alium novum verbis aliquot aliis adjectis concinnarunt, adeò ipſum plenum ruris, & ſententiæ tam inficetæ, ut nullum rus inficetius eſſe poſſit. Quos dicam, ſciunt, quibus Plautus & ejus Cenſores noti. Parco enim alteri, ne lædere ſimul alterum cogar, atq; nec ipſam eorum lectionem pono, nec vulgatam quidem alteram ponere dignatus, inq; unam ſolam intentus antiquarum editionum, quam literulâ minus unicâ veram & germanam præſtare ſum paratus. Ea hæc eſt, additâ literulâ ibi deficiente:

GE. *Famem fuiſſe ſuſpicor matrem mihi.*
Nam poſtquam natus ſum, ſatur nunquam fui.
Sed quam ego matri meæ retuli invitiſſimus,
Eam mihi nunquam retulit mater gratiam
Nam me illa in alvo &c.

Quarto verſu *Ea* in veteribus erat, pro qua *Eam* ſenſus facere monuit: qui ſenſus omninò nihil ad alios homines porrigitur, ſolumq; inter matrem & filium gratiæ relatæ inſtituit comparationem. Quod, qui non nimis ſupinè omnia legit, ultrò animadvertet, nec ullam poterit ab hac aliam lectionem approbare. Sed pergit porrò Paraſitus & de ipſo nomine ſuo diſputare:

Gelaſimo nomen mihi, indidit parvo pater,
Propter paupertatem hoc adeo nomen repperi.
Quia inde jam à pauxillo puero ridiculus fui,
Eò quia paupertas fecit ridiculus forem.

Quibus in verſibus manifeſta unius eſt tranſpoſitio. Nam quantò melius & ſermo fluit, & ſententia cohæret, iſto ordine reſtituto!

Gelaſimo nomen mihi indidit parvo pater,
Quia inde jam à pauxillo ridiculus fui.
Propter paupertatem adeò hoc nomen repperi,
Eò, quia paupertas fecit ridiculus forem.
Nam illa annuet.

Veriſſima & ὀφθαλμοφανὴς reſtitutio, in qua præter ordinem legitimum, id boni quoque loco acceſſit, quod ſupervacua vox *puero* abſceſſit, à nobis in exſilium procul hinc ire juſſa, quippe quæ nec ſenſum juverit, & numeris fuit moleſta. Nam trajectam ibidem & aliam voculam numerorum item cauſſa, levius eſt, quàm ut debeam imputare. Sententiam autem procedere ſic vides: Gelaſimo parvo nomen inditum: quia à parvulo ridiculus, inditum autem propter paupertatem, quia ridicu-

dicu-

diculus propter illam. Quò Juvenalis hoc pertinet Sat. 3.

> *Nil habet infelix paupertas durius in ſe,*
> *Quàm quod ridiculos homines facit.*

Sequitur non longè:

> *Hæc verba ſubigunt me, mores ut barbaros*
> *Diſcam, atq; ut faciam præconis compendium,*
> *Itaq; auctionem prædicem, ipſe veneam.*

quod è veteribus ſcribes & diſtingues rectius:

> *Hæc verba ſubigunt nunc me, ut mores barbaros*
> *Diſcam, atq; ut faciam præconis compendium,*
> *Atq; auctionem prædicem ipſe, ut veneam.*

Ita præconis compendium facit, dum ipſe auctionem prædicat, non dum ipſe venit. Atque illud ingerit iterum paullò pòſt, ubi cauſſam & auctionis & compendii hujus dicit:

> *Ipſe egomet quamobrem auctionem prædicem.*

Ubi contrà ſenſum apertè veteres alioqui bonæ editiones interſerunt negantem particulam *non*. quam temerè tamen irrepſiſſe non putarim. Et proclivis emendatio eſt: *quamobrem nunc auction. præd.* neque ea incerta: quando numeri inanimento medio quæritant ejuſmodi explementum. Mox:

> *Quæ inter continuum perdidi triennium.*

ſine cauſſa mutant *intra*: ſiquidem illud accipiendum pro *in continuo triennio.* quomodo uſurpari *inter* oſtendimus alicubi ſuprà laudato præter alia Trinummi quoq; è Fullonibus exemplo:

> . . . . *quæ inter decem*
> *Annos nequiſti unam togam detexere.*

Et ſtatim:

> *Præ mœrore adeo miſer atq; ægritudine*
> *Conſenui, pænè ſum fame emortuus.*

labat alter verſus, cui fulcimentum dant priſci libri, *fame ipſa emortuus*, quod potius fortè ſit *ipſe*. Nam & mancipia ſibi periiſſe ait, & denique ſeipſum ab interitu parum abfuiſſe per ægritudinem & famem. Niſi *ipſâ* hoc innuit, non tantum mœrore, ſed & eſuritione ſe ad mortem propè acceſſiſſe. Jam verò ipſum præconium paraſiticæ auctionis audiamus.

> *Adeſte ſultis, præda erit præſentium.*
> *Logos ridiculos vendo, agite licemini.*
> *Qui cœnâ poſcit? ecqui poſcit prandio?*
> *Hercules te amabit prandio? cœnâ tibi?*
> *Ehem annuiſtin'? nemo meliores dabit.*
> *Nullis meliores eſſe paraſitos ſinam.*
> *Vel unctiones græcas, ſudatorias,*
> *Vel alias magis malacas crapularias,*
> *Cavillationes vel aſſentatiunculas,*
> *Ac perjuratiunculas paraſiticas,*
> *Rubiginoſam ſtrigilem, ampullam rubidem,*
> *Paraſitum inanem, quò recondas reliquias.*
> *Hæc veniſſe jam opus eſt, quantum poteſt,*
> *Uti decumam partem Herculi polluceam.*

Hic primùm obſcurum illud, *Hercules te amabit prandio*: & qualiſcunq; ſententiæ, ad rem non tamen aptæ: aut ſi hujus aptæ, non plenæ rurſum orationis. Fortè enim ſic aliquis torqueat: Hercules te amabit, ſi prandio poſcis, aut ſi prandio tibi vendo. At imperfectus hic ſermo nimis, & interpretatio violenta. Mihi olim conjectanti legendum videbatur:

> *Hercule iſti jam, tibi prandio? cenâ tibi?*

Ut cum interrogaſſet, numquis cœna aut prandio poſcat, ſubjecerit quaſi bonæ ſpei plenus, imò emtoris certus, hercule iſte jam poſcit: ibique tum urſerit magis illum quemcunq;, vendone igitur tibi prandio? an magis cœnâ? & tandemne annuiſti planè? Quod nemo facile contemſerit: etſi nunc ipſe non admodum probo. Nam argutior emendatio ſubiit, dum retracto veteres cogitationes, & ſcripturam ipſam inſpicio accuratius: à qua minus, atque adeò minimum ſic recedam:

Herculet te ama, tibi prandio? cœnâ tibi?

Et ad genuinam Plauti lectionem proximè puto me acceſſiſſe, germanumq; ipſum ſenſum non acu, quod dicitur, ſed ſtilo ferè tetigiſſe. Ridiculè hic omnia paraſitus: itaq; & ſuavis in numinis invocatione, quam lepidè reliquis anxiis interrogationibus inſerit. Herculem enim precatur, ut in auctione ſibi præſtò ſit, ita autem precatur, quaſi non tam ſibi ab illo, quàm ipſi a ſemetipſo velit beneficium præſtari. ideoque ait, non me, ſed te ama, quorſum verò ita? Nempe decimam partem ex auctione voverat Herculi, quod è præconii extremo patet, & inferiore ſcenâ *Quiſuam*:

Herculet decimam eſſe adauctam, tibi quam vovi, gratulor.

Ibidemque:

Hercules ſanè, qui Deus ſit, diſceſſiſſet non malè.

Eam ut pollucere poſſit, opem ipſius ſic implorat, ut jubeat ipſum ſibimet non deeſſe. Ni juvaret enim, polluctum non auferret. Amaret igitur ſeipſum & lucrum ſuum, ſibique daret operam, dum alii ferret opem. Id quod eſt tam profectò venuſtum, ut eo tota iſta auctio ſingulariter commendari, & ipſa ſcena mirificè colluſtrari videatur. Sed ibidem porro non rectè multi accipiunt iſtum verſum:

Nullis meliores aſſe paraſitos ſinam.

Idque facit ſcriptura non recta: quam tamen pridem Gulielmius noſter benè correxit, *paraſitis* legens; & melius nuper optimus editor & cenſor Plauti Douſa F. *Nulli meliores eſſe paraſito ſinam*. De logorum enim bonitate, non de ſeipſo, quamquam & ita de ſe, promittit: quos nemini alii paraſito paſſurus eſt eſſe meliores, ipſe optimos omnium daturus. Ne jam & veterem Lambini interpretationem, & novitium docti alterius commentum pili facias: qui diligentiſſimus alioqui, & in Comicis benè verſatus, ad Theophraſtum extruere hinc morem ſolennem voluit antiquis, oſtentare ſolitis ſuum quoque paraſitum, id quod fieri potuit, huc tamen nihil ſpectat. Non autem nihil eſt amplius eodem in loco, de quo moneamus. Turbatus etiam porro verſuum ordo videtur mihi: certè confuſa oratio eſt, logos, cavillationes, perjurationes, balnearia inſtrumenta, & ipſas unctiones incerta ratione miſcens: has denique poſtremas non aptè in auctionem accerſens. Vide, in quem alium ſenſum quam aliam ſeriem ego cogitarim:

. . . . nemo meliores dabit.
Nulli meliores eſſe paraſita ſinam
Cavillationes, aſſentatiunculas,
Ac periuratiunculas paraſiticas.

quibus inter ſe mutuò cohærentibus ſubditur aliud caput auctionis deinceps:

Rubiginoſam ſtrigilem, ampullam rubidam
Vel ad unctiones Græcas ſudatorias,
Vel ad alias magis malacas crapularias:
Paraſitum inanem, quo recondas reliquias;
Hæc veniſſe opus eſt jam, quantum poteſt,
Uti decumam partam Herculi polluceam.

quæ & ipſa pendent à ſe invicem, peculiari ſtructurâ ſermonis connexa. Jamq; non ipſæ lavationes atq; unctiones venditantur, ſed ad eas inſtrumenta, ſtrigilis & ampulla: quæ ſolenniter à paraſitis geſtari ſolita docet locus ille Perſâ, ſic à nobis ibi reſcriptus:

Cynicâ eſſe è gente oportet paraſitum probum:
Ampullam, ſtrigilem, ſcaphium, ſoccos, pallium,
Marſupium habeat &c.

Itemque Pollux: τοῖς δὲ ἀθλητικοῖς φέρειν καὶ στλεγγίδα καὶ λήκυθον. In hunc ſenſum nihil niſi *ad* præpoſitionem adjecimus, vitio traductionis amiſſam: cui indicio vel id quoque ſit, quòd mancus abſque ea verſus,

Vel ad alias magis malacas crapularias.

Etiam alibi numeros leviter adjuvimus. Sed ſententiæ potiſſima mihi cura fuit: cujus hæc exacta quibus oſtendi modis ratio, non aliis potuit à me, vix ab alio etiam poterit iniri. Nunc leviora ſcenæ ejuſdem attexamus.

Proximo inde verſu;

CR-

Digitized by Google

CR. *Ecaſtor auctionem haud magni pretii.*

plena ſententia, & orationis forma venuſta: numeri tamen appetunt verbum, quod in medio veteres addunt, *auctionem facit*, atq; ita vox *auctionem* in triſyllabam ipſa coit. Mox rectè à Lambino interpretatum, quod mireris:

Nunc Miccotrogus nomine ex vero vocor.

addito Horatiano exemplo,

Cui canis ex vero ductum cognomen adhæret.

cui adſtruas multo ſimilius aliud Ovidii in Tibulli mortem:

Flebilis indignos elegeia ſolve capillos:
Ah nimis ex vero nunc tibi nomen erit.

Nomen enim hic elegiæ ἐπιμελεγῷ, quomodo Plautus Miccotrogi, & formula ipſa cum particula *ex*, in aliis multis frequentata: ut *Ex facili*, *Ex tuto*, pro adverbiis, facilè, tutò.

Nec procul:

Rogare juſſit te, multo opere maxima.

vel *multùm* ſcribe, ut ἀσυνδέτως ſit multùm & maximo opere: vel junge verba ſic, multò maximo opere: quod potius erit. Geminanda autem ibi interrogatio in diſtinctum ſenſum:

Jamne exta cocta ſunt? quot agnis fecerat?

ne junctim cum Lambino quæri putes, an exta cocta ſint agnorum eorum omnium, quotcumq; fecerat. Nam qui & *fecerit* mutant, ii verò Bonæ Menti facere opus habent.

Porrò exple verſum:

CR. *Imo hercle ut abs te mutuum nobis dares.*

è veteribus in quis & proxima leguntur aliter aliquanto:

GE. *Negato eſſe quod dem nec mihi nec mutuum,*
Neq; aliud quidquam, niſi hoc quod habeo pallium,
Linguam quoq; mihi etiam eſſe venditariam.

maximèq; poſtremus verſus:

Præter unam linguam quoq; etiam venditariam.

quomodo etſi non ſunt peſſimi numeri, ſi Amphimacrum initio iterum admittas: tamen verius eſt Plautum ſcripſiſſe:

Præterq; linguam unam, etiam venditariam.

Nihil ſibi paraſitus ait eſſe, præter pallium & unam linguam, ſed quæ ſit etiam ipſa venditaria. Cui ſine interrogatione reſpondere Crocotium debet:

CR. *Hau, nulla tibi lingua eſt, quæ quidem dicat, dabo.*

Nec enim quærit, an dataria ipſi nulla lingua ſit: ſed ajente illo, linguam ſibi eſſe; hæc contra, nullam eſſe ait, ſed quæ dare quidem dicat. Antepenultimum verſum unâ particulâ fac auctiorem ex antiquis:

Satin' ut facetè atq; ex pictura hic aſtitit.

Ubi *ex pictura* eſt, quod alibi dicit graphicè & euſchemè.

CAPUT IV.

Confunderè, an contundere alicujus facta. Contemnere pro contemni facere: & ad eum modum pluſcula, Intermittere, Reſultare, Decipere, Deſidere, Cohærere, Decidere, Recidere, ex noſtro & aliis. Inter, Intercidere, Interbibere, Intertrahere, Interſtringere, cum ſimilibus, ex noſtro. Contumelia, unde. Contemtim conterere. Spatium breve curriculo. In Plauto trajectio verborum, atq; alia plura in verſibus & verbis correcta. Contra alios quædam dicta, & explicata. Appulejus, Petronius, Manilius, Nævius emendati, aut illuſtrati.

HOneſtè quidem illa valdè tralatio ſequente ſcena:

Ripaſq; ſuperat mihi atq; abundat pectus lætitia meum:

quæ

quæ & apta rei non minus, ſed neq; mala lectio veterum editionum, *Nimiſq;* habentium pro *Ripiſq;* , ex quo *Ripaſq;* Lambinus fecit. Tamen hanc omninò præ illa ſpernimus: & mox verſum illum,

Heræq; egenti ſubveni, beneſacta majorum tuorum exauge:

transformamus in aliud genus, membris converſis,

Beneſacta majorum tuûm exauge, heræq; egenti ſubveni.

non tam ut vicinis ſuis ipſe aſſimiletur (miſcentur enim & ſuperius & inferius numeri totâ ſcenâ:) quam ut oratio rectè ſtruatur, & ſententia cohæreat cum proximo deinceps. Neque enim initio copula in *Heræq;* convenit, & ab hoc membro divelli non poteſt ſequens verſus, *Quæ miſera &c.* inde dependens: ut peſſimè hic interiectum appareat, *Beneſacta majorum &c.* Jam verò ſic plana erunt omnia:

Propera (ſic enim etiam malo, quàm *Propterea*) *Dinacium pedes hortare, honeſta dicta factis:*
Nunc tibi poteſtas adipiſcendi eſt gloriam, laudem, decus.
Beneſacta majorum tuûm exauge, heræq; egenti ſubveni,
Quæ miſera exſpectatione eſt Epignomi adventus viri.

Quam traductionem tam veram fatebuntur omnes, quàm neceſſariam vident. Inferius paullò continuos aliquot hos verſus ita ſcribes & interpunges:

An verò nugas cenſeat, nihilq; eſſe, quod ego nunc ſcio?
Tantum à portu apporto bonum, tam gaudium grande affero,
Vix ipſa ut domina hoc, niſi ſciat, exoptare à Diis audeat.
Nunc ultrò hoc deportem? haud placet: neque id viri officium arbitror.
Sed hoc videtur mihi magis meo convenire &c.

Nuſquam enim omnes rectè habent, ſed alii alibi melius, quod ex comparatione deprehendes: nec tamen aliunde id ſumtum univerſum, quod illſcunq; boni à nobis factum. Hoc quoque, ſi contendes, apparebit.

Pergo cum Dinacio:

Non enim poſſum quin revortar, quin loquar, quin ediſſertem,
Heramq; ex mærore eximam, beneſacta majorum meûm
Exaugeam, atq; illam augeam ex inſperato opportuno modo.

Quorum è medio verſu potuit error naſci in ſuperiore conſimili, ut vulgò ſcribebatur:

Heræq; egenti ſubveni, beneſacta majorum tuorum exauge.

Sed de illo ibi ſatis. In poſtremo horum delenda ſupervacua præpoſitio *ex*: & ultimâ pro voce *modo* legendum abſque dubio *bono*: quod Gulielmius olim cenſuerat: an autem & *ob portum* ex hujuſdem ſententia, non ſcio. Potius *à portu* ſit, niſi *opportuno* ipſum relinquimus. quod haud ægrè videmur poſſe.

In proximo,

Contundam facta Talthybii, contemnamq; omnes nuncios.

audio eſſe, qui legere velit *Confundam*, iſta mente: Faciam ut Talthybii factis exæquem mea, populuſq; de me tamquam altero Talthybio loquatur, ac neſciat adeò diſtinctè, quæ ille fecerit, quæ ego. Satis acutè, minus verè. Quod vulgatur, rectum eſt, & in eo is ſenſus. Superbam illam Talthybii famam ſe compreſſurum dicit, & facturum, ut præclara ejus facta præ ſuis minora videantur, atque adeò omnes nuntii præ ipſo contemnantur. Ita enim lubido eſt interpretari *contemnam*, pro contemni faciam: quo genere nonnulla interdum uſurpantur. Afferam quædam, ut ſub manum venient in Adverſariis meis hic illic deliteſcentia. Primùm Petronius ſic videatur locutus, ibi: *Et quia repentina tranquillitas intermiſerat curſum.* Hac enim ſcriptura ſtante, qui aliter interpreteris *intermiſerat*, niſi intermitti fecerat? Sed alias & *tranquillitate* legi notarunt in librorum marginibus: quod ſi verius; cadit hoc: & ad *navigium* præcedens, verbum id referetur. Quod ipſum, & in eodem loco aliud, alibi pluribus diſputabo. Certò ſic autem Appulejus *Reſultare* lib. 5. Aſini. *Feſtinantes adveniunt, ibiq; deſlebant oculos, & plangebant ubera, quoad crebris earum ejulatibus ſaxa cauteſq; parilem ſonum reſultarent.* Idem alicubi *Decepit*, pro latere fecit: qui me locus jam planè decipit inveſtigantem. Fortè verò & idem *Deſidere* non aliter libro primo, ubi mirificè in ſcriptura variatur; *Et quoniam denſa habitantium ædificia locum novo hoſpiti non dabant, ante portam* pro-

Digitized by Google

projectam domum deſedit. id eſt, deſidere fecit. Verùm hac lectione reliquis non peſſimis etiam præjudicatum nihil volo. quamquam omnis ea diverſitas ab hac ratione loquendi forma potuit oriri. Manilium ſic quoque accipere neceſſe eſt in voce *cohærent* lib. Aſtronom. III. ſi ea ſincera:

Athla vocant Grais, quæ cuncta negotia rerum
In genera, & partes bis ſex diviſa cohærent.

Athla nempe cohæret, faciunt illa quæ in partes duodecim diſtincta. Sed ibi quidem *cohercent* à nobis emendabitur ſuo loco. In Plauto noſtro pridem ita Colujus accepit *Decidere* Caſinâ, Sc. *Omnibus reb.*

. . . . uti te bonus
Mercurius perdat myropola, qui hæc mihi decidiſti.

ut ſit, decidere & ſtillare feciſti, nimirum unguenta, de quibus agit. Idemque Colujus eodem modo *Recidere* apud Appulejum libro 3. Metam. *Sed quod alterius rei cauſſa facere juſſa ſum, mala quædam mea ſors in tuam recidit injuriam*. quod facilè ibi probo: non apud eundem ab eodem ſimiliter exauditum *Intercidere*, lib. VIII. *Nec acerbæ mortis meæ caſus fœdus caritatis intercidit*. Emendandum enim hîc *caſu*: quod certum eſt, etſi vel ſi *caſus* retineatur, aliter accipi tamen *intercidit* queat, penultimâ nempe longâ, ut intercidiſſe, id eſt rupiſſe dicatur, à cædendo. Ac valde ſignanter id dictum ita videri poſſit. Auget enim *inter* præpoſitio ſic verbis addita vim eorum, ut ſit pro penitus & planè. Frequens in hac forma Plautus: & paſſim habemus Interbibere, Intertrahere, Interſtringere, Interprimere, atque alia: ſed iſtorum hic exempla ſingula ponam.

Aulular.

Quæ mi interbibere ſola, ſi vino ſcatit,
Corinthienſem fontem Pirenen poteſt.

Amphitr.

Ni ego illi puteo, ſi occepſo, animam omnem intertraxere.

Aulular. iterum:

Ibo intro, atq; illi ſocienno tuo jam interſtringam gulam.

Rudent.

Qui ſacerdoti ſceleſtus fauces interpreſſerit.

Sed & apud alios paria multa: nec aliud aut aliunde vulgatiſſimum illud *Interficere*: quod, nimio uſu tritum aures noſtras minus ferit, neque mentem huc advertit. Eſt tamen quaſi penitus conficere. Atque indidem *Interfieri*: Trinummo:

Hem iſtic oportet obſeri mores malos,
Si in obſerendo poſſint interfieri.

Quæ omnia per occaſionem dicere hic licuerit: etſi in Appulejo *intercidere* non ſic adſtruimus, ſed emendationi noſtræ inhæremus. Neque verò, unde primitus huc delapſi ſumus, in noſtro *contemnam* novitio quo dixi intellectu propugno: ſit vulgato etiam poſitum, ac vel proprio, quo Gulielmius explicavit, etſi nec hinc Ulpianam *contumeliæ* originationem acceptare poſſum: quæ inde potius, unde contumax. Sed *contemnere* ſic prorſus apud noſtrum, quomodo aliàs *conterere*, cui *contundam* optimè reſpondet. Atque inde junxit idem noſter, *contemtim conterere*, Pœnulo:

Eſt domi, quod edimus, ne nos tam contemtim conteras.

quod eodem modo Nævius belli Pun. lib. 6. apud Nonium in Superbiter: *Superbiter & contemtim conterit legiones*. indidemq; ſenſus petendus vexato Taciti loco de German. *Nec tributis conteruntur*. Sed nimium exorbitamus. In qua ſcena eramus, illud porro vix bene eſt:

Sed ſpatium hoc occidit, breve eſt curriculo, quàm me pœnitet.

peſſime quidem vir magnus & Plauti familiariſſimus interpretatur, quò nos ad marginem editionis optimæ remittunt: quaſi hoc dicatur: ſpatium ſive curriculum iſtud citius à me celeriuſq; decurſum eſt, quam me curſuræ porro longioris tædium aut ſatietas cepit. Atq; is addit, Lambinum ſe non moratí. Ecquæ verò cauſſa eſt, cur nos hîc ipſum? Equidem Lambino hîc ego defenſor: qui ſanè rectius, etſi, quin rectiſſimè, falsâ voculæ unius ſcriptura fuit impeditus. *Occidi* enim, non *occidit* legendum, atque illud ἐν παρενθέσει:

Sed ſpatium hoc (occidi!) breve eſt curriculo, quàm me pœnitet!

Magna meditatione ad curſuram ſe inſtituerat, quaſi ad Olympiæ ludos, ut ipſe jam jam ajebat. At vix ubi currere incepiſſet, jam ſpatium deficiebat: atq; igitur, Perii, inquit, vix cœptum curriculum abſolvi, nimis ejus me pœnitet ſpatii, nimium brevis ad legitimam curſuram, id enim verba ſonant, *breve curricula*. Finem ſcenæ conceptum verſiculis Anacreonticis affirmant quidam. Ego non auſim Anacreonticos dicere, qui plerique omnes aut longis ſyllabis aut longas æquiparantibus conſtent: tum quorum alius ſupra menſuram deſtinatam amplius trahat, ut hic, *Unde is, quid feſtinas?* alius curtior extremo pede claudicet, ut iſte,

Cures. GE. *quid iſtic ineſt?*

C A P U T V.

Multo tanto vanius, impenſius. Nimio tanto plus. Nimio multo tanto plus. Nimio minus multo parum. Perbibere & percipere. Vita & Genius paraſitorum, rex eorum. Ridiculiſſimus. Ilicet. Perſonarum crebri ac turpes errores pluribus & inſignibus quibuſdam locis caſtigati. Alia præter id multa correcta: & in iis verſus traductio perſpicua. Sæpius alii refutati. Pluſcula interpretata & illuſtrata, ex aliis etiam fabulis, Curcul. Menæch. Captiv. Epid. Appulejus denique gloſſemate liberatus: & Seneca contra alium, non ejectione ſed trajectione emendatus.

SEquitur ſcena *Quiſnam obſecro*. Ibi ſub initium levis perſonæ forſan error:

PA. *Quiſnam hic loquitur tam prope nos?* DI. *Dinacium*. PA. *ubi is eſt?*

Non enim videtur ipſe puer ſe, ſed illum Paraſitus indicaſſe, quoniam Panegyris ſubjicit, *ubi is eſt?* Alioqui certè ipſum vocatura fuerat directè, *ubi es?* Sed ita eſt. Pulſaverat puer, atq; una cum paraſito ſuperveniente ad fores adſtabat. Tamen ipſum hera non videt, cumq; paraſito de forium injuria expoſtulat, hunc rata ſic tumultuatum. Ibi ipſe neſcio quid interfatus, ſono proditur: atque illâ quærente, quis tam prope ſe loquatur, eſſe ipſius Dinacium, reſpondet Paraſitus, cujus igitur perſona præſcribenda nomini *Dinacium*. Sed is error, ut dixi, levis, ſi tamen adeò error. Deinceps non multo gravius, ſed erratur certò, tam hercule, quam variatur, in ſcriptura:

. . . . PA. *ecquid apportas boni?*

DI. *Nimio impertiar multo tanta plus, quàm ſperes*.

In aliis *tanto*, rectius. ſed fœdè Lambinus interpunctis ita diſparat,

Nimio impertior, multo: tanto plus quàm ſperas.

Cohærent omnes particulæ, quas tam multas non miraberis in unum ſenſum conſtipatas. Junctim inquam efferenda, *Nimio multo tanto plus*. in qua forma ſunt aliquot gradus augmenti. Plus, tanto plus, multo tanto plus, nimio multo tanto plus. Cujus non diſſimile Bacchidibus ſcriptum memini, *Nimio minus multo parum*. Sc. *hunc hominem*.

MN. *Chryſale occidi*. CH. *fortaſſis tu auri demſiſti parum*.

MN. *Qui, malùm, parum? imò verò nimio minus multo parum*.

Alibi non tam multa junguntur ſimul: frequentius hæc tantùm, *nimio multo* aut *tanto plus*: ut æquè Bacchid. Sc. *Jamdudum*:

Video nimio jam multo plus quam volueram.

Frequentiſſimè vero *multo tanto*, cum addito gradu, quem vocant, comparativo. Appulejus Apologiâ: *Accipe aliud, pari quidem ſtultitia, ſed multo tanto vanius & nequius excogitatum*. In quo alibi corrupta hæc formula ab imperitis: Aſin. lib. x. *Lumen propter adſiſtent, de ſtagneo vaſculo multo ſeſe perungit oleo balſamo, meque indidem largiſſimè perfricat: multo tanto impenſius cura etiam nares perfundit meas*. Non dubium, quin gloſſemate laboret is locus, & *curo* delendum ſit, ſcribendumque: *ſed multo tanto impenſius etiam nares perfundit meas*. Niſi tamen

reten-

Digitized by Google

retento *cura*, flectendum potius *impenſius*, in hanc faciem: *ſed multo tanto impenſiore curâ etiam nor. per. m.* Alterum quidem certum: peius mihi magis acceptum, quod idem eodem ferè modo in Seneca turbatum, Epiſt. 72. *Beatus verò & virtutis exactæ tunc ſe maximè amat, cum fortiſſimè expertus eſt; & metuenda ceteris non tantum fert, ſed amplexatur: multoque audire mavult tanto melior, quàm fortior.* Ubi vir doctiſſimus ejicere pridem molitus eſt ipſum *tanto*, ut gloſſema. Trajiciendum autem ego dico: *multoque tanto audire mavult melior, quàm fortior.* Hæc ipſiſſima veritas, omnem dubitationem excludens. In Plauto ſequuntur hi ſtatim verſus:

> DI. *At ego perii, cui medullam laſſitudo perbibit.*
> GE. *Quid ego, cui miſero medullam ventris percepit fames?*

quorum altero variè mutant verbum *percepit*: alius *peredit*, alius *perrepit*. etiam qui relinquunt, non commodè interpretantur. Ajunt enim, *percipere*, deguſtare interdum eſſe, ideoque hîc opponi τῷ *perbibere*, atque huc vocant è Menæchmis teſtimonium:

> *Quid ceſſas dare potionis aliquid, prinſquam percipit inſania?*

Miror, quomodo hîc inſania & quid deguſtare dici poſſit. Utrobique eſt *Percipere*, penitus capere & totum pervadere, idque idem ipſum Amphitruone quoque:

> *Nam mihi horror membra miſera percipit dictis tuis.*

Percipit autem Stichi loco legendum; & præſentis utraque temporis ſunt *perbibit* & *percipit*: in quis hoc etiam aſſentior, affectatam eſſe παρονομασίαν, nec inelegantem. Inferius aliquanto perſonæ conſunduntur, ab ipſis etiam, qui confuſas digerere profitentur. non enim veris & peculiaribus ſuis notis omnes ſignant. Ita reſtitue integrum locum:

> . . . . DI. *factum oportuit.*
> *Ego hinc araneas de foribus dejiciam, & de pariete.*
> GE. *Edepol rem negotioſam; quid ſit, nihil etiam ſcio:*
> *Niſi fortè hoſpites ſunt venturi.* DI. *alii lectos ſternite.*
> GE. *Principium placet de lectis.* DI. *alii ligna cædite &c.*

Mox pede toto mutilus verſus eſt:

> PA. *Tum tu igitur qua cauſſa miſſus es ad portum, expedi.*

quem veteres integrum faciunt inſertione brevis particulæ, *mihi expedi*. Jam iterum perſonæ mutatæ loci elegantiſſimi ſententiam pulcherrimam obſcurarunt:

> *Interim Epignomum conſpicio tuum virum & ſervum Stichum.*
> PA. *Hem quid Epignomum elocutus?* DI. *tuum virum.* PA. *& vitam meam.*
> DI. *Venit inquam.*

Sanè vitam ſuam meritò & benè dicat uxor virum ſuum: at hic multo rectius Paraſitus ſuum regem. Et omninò ſic reſtituendum:

> PA. *Hem quid? Epignomum elocutu's?* GE. *tuum virum, & vitam meam.*

Occupat reſpondere Gelaſimus, quemnam rediiſſe Dinacium nuntiarit: qui poſtea ſtatim idem repetens confirmat. Nemo autem non viderit vel propter copulam iſtam uni neceſſario adſcribenda, *tuum virum & vitam meam*. cui autem, niſi Paraſito? quod genus paſſim reges ſuos, vitas & genios ſuos appellat. Ita Phædromum Curculio, fabulâ ab ipſo denominatâ. Sc. *Date viam.*

> CU. *Ecquis eſt qui mihi commonſtret, Phædromum genium meum?*

Et Menæchmum Peniculus Menæchmis Sc. *Ni mala:*

> ME. *Quis homo eſt?* PE. *ego ſum.* ME. *ô mea commoditas, ô mea opportunitas,*
> *Salve.* PE. *ſalve.* ME. *quid agis?* PE. *teneo dextera genium meum.*

Quin & Captivis Ergaſilus Philopolemum, Sc. *Quanto:*

> . . . . ER. *ita me amabit ſancta Saturitas,*
> *Hegio, itaq; ſuo me ſemper condecoret cognomine,*
> *Ut ego vidi.* HE. *meum gnatum?* ER. *tuum gnatum, & genium meum.*

Qui locus huic, de quo agimus, prorſum geminus eſt in germaniſſimum modum, & emendationem noſtram unicè præclariſſimeque firmat. Addam autem non diſſimi-

lem

lem & huc omnino facientem alium è Menæchmis, ubi quomodo paraſitorum vita ſint reges, aut potius ipſa eorum vita ſit regum ipſorum, explicatur. Sc. *Edepol.*

. . . . ea omnia fecit palam
Paraſitus, qui me complevit flagitii & formidinis,
Meus Ulyſſes, ſuo qui regi tantum concivit mali.
Quem ego hominem, ſiquidem vivo, vita devolvam ſua.
Sed ego ſtultus ſum, qui illius eſſe dico quæ mea eſt.
Meo cibo & ſumtu educatuſt: animâ privabo virum.

Sed & porrò ibidem in noſtra Sticho perſonæ, ac verſus etiam ipſi ſunt turbati:

DI. *Venit inquam.* PA. *tun' eum ipſum vidiſti?* DI. *ita ego lubens.*
Argenti auriq; advexit multum. PA. *nimis factum benè.*
GE. *Hercle verò capiam ſcopas, atq; hoc converram lubens.*

Primùm paraſiti ſunt verba, non Panegyridis, *Nimis factum bene.* Gelaſimus enim exſultabundus ſic interloquitur ſemper: ut præter alia poſt quatuor verſus in eandem ſententiam, *Hercle rem geſtam bene.* Quod Paraſiticum prorſus eſt: & ſimillimus locus Epidico exſtat, ubi verba etiam hæc eadem ab ejuſdem ordinis homine in rem eandem uſurpata. Sc. *St. tacete.*

PE. *Qui tu ſcis?* EP. *quia ego ire vidi milites plenis viis.*
Arma referunt, & jumenta ducunt. PE. *nimis factum benè.*
EP. *Tum Captivorum quid ducunt ſecum? pueros, virgines,*
Binos, ternos, alius quinq;: fit concurſus per vias.
Filios ſuos quiſq; viſunt. PE. *hercle rem geſtam benè.*

Sic Plautus collatione Plauti corrigendus & illuſtrandus. Jam verſus poſteriores duo trajecti ſunt invicem: quod, ut alia taceam, oſtendit iteratio vocis *lubens* in ultimo nunc verſu & primo, non ſeparandis intermedio alio, ne illa ſeparata frigeat, & venuſtas ejus evaneſcat. Sed nec *ipſum* in primo legendum, ſed *ipſus*: & inferendæ particulæ binæ ex editionibus antiquis. Unde hæc loci totius erit emendatio, non illa poſtrema inter optimas aliquot (nec vanè ſic iis me jacto) noſtras.

Interim Epignomum conſpicio tuum virum, & ſervum Stichum.
PA. *Hem quid? Epignomum elocutu's?* GE. *tuum virum, & vitam meam.*
DI. *Venit, inquam.* PA. *tun' eum ipſus vidiſti?* DI. *ita ego, & quidem lubens.*
GE. *Hercle verò capiam ſcopas, atq; hoc converram lubens.*
DI. *Argenti auriq; advexit multum.* GE. *nimis factum benè!*
DI. *Lanam purpuramq; multam.* GE. *ehem, qui ventrem veſtiam &c.*

Adhuc eadem ſcenâ paullò aliter quam bene excuditur iſtuc:

DI. *Poſt autem advexit ſecum paraſitos.* GE. *heu perii miſer.*
DI. *Ridiculoſiſſimos.* GE. *reverram hercle hoc quod converri modo.*

Vitium ſolus verſus indicat: alias falleret nos vocabulum *Ridiculoſiſſimos*, pro quo Plautus ſcripſit *Ridiculiſſimos*, paullo antè eodem hic uſus:

Quando adbibero, alludiabo, tum ſum ridiculiſſimus.

Mox etiam: GE. *Venales logi ſunt illi, quos negobam vendere,*
Illico, & meo malo eſt quod malevolentes gaudeant.

Fortè emendandum, *Ilicet. meo malo eſt &c.* Ut exclamatio ſit deſperantis, quæ in hoc & ſimili affectu frequens. Amphitr.

Ilicet, mandata heri perierunt unà & Soſia.

Hoc autem totum hic dicens paraſitus reſpicit ad iſta ſua priora:

. . . . GE. *non vendo logos.*
Jam non facio auctionem: mihi obtigit hæreditas.
Malevoli perquiſitores auctionum perierint.

CA-

CAPUT VI.

Plautus ſibi collatus. Rejectæ aliquot aliorum conjecturæ & explicationes, melioribus ſubſtitutis. Prætereà multa variè emendata. Augurium & auſpicium muſtela fecit. Quæne? Obnoxius, obnoxioſus, & quæ alia inde omnia, quid ſint, quomodo uſurpentur. Diſputatum de iis ad Gellii caput, quod totum illuſtratur, & in parte emendatur. De iiſdem ibidem exemplum Ennii correctum: reliquorum auctorum pleraq; explicata: maximè alia Plauti plura, & unum eximium in Trinummi loco difficili aliàs & intricato, qui ſimul explanatur.

ANtiquiſſimum eſt reginæ Pecuniæ regnum, & ſumma perpetuaq; potentia, majeſtas, gratia: quam Epignomus hic, Sc. *Cum bene*, domum ſimul & in amicitiam affinis ſive ſoceri, illa conciliatrice, rediens brevi dicto miratur:

Videte quæſo quid poteſt pecunia!

eandemq; perſimili triparcus ille Euclio in affinitatem appetitus, illiuſce cauſſâ, ut rebatur, Aulular.

Illic hinc abiit. Dii immortales obſecro, aurum quid valet!

Quæ in ſcæna plauſibiliter jactabantur, ipſo toto theatro teſtimonium poëtæ ex affectu ſuo perhibente. Mox autem eâ, quam hinc ſumus orſi, ſcenâ legendum:

Age abduc has intrò, quas mecum adduxi, Stiche.

non *adduc* aut *duc*: quorum hoc Lambinus, iſtud vulgus, illud noſtrum antiqui codices habent. Numeri iidem ſunt, qui in iiſdem verbis infra:

Age abduc eas intrò, hunc tibi dedo diem.

At ſtatim: *Quàm multas tecum miſerias multaverim.* miror virum doctum nugari ſic audere, ut quia Feſtus alicubi dicat *ærumnulas* à Plauto uſurpatum, id hic fuiſſe cenſeat ἀντὶ τῶ *miſerias*: quod minimè fuiſſe ſequens verſus oſtendit,

Nunc in hunc diem unum ex illis multis miſeriis &c.

cujus principio malè Lambinus neceſſariam particulam *Nunc* demſit: tam inquam malè, quob benè *in* appoſuit: utrumque numeris libenter recipientibus, quia ſenſus cupudiuſculè adſciſcit. Magis verò cum ratione de verbo *multaverim* dubitem, quod nimium inſolens noſtris auribus: & fortè non peſſimè olim pro eo conjectavimus *antlaverim*, quod abſit tamen ut ſuppoſitum ſtatim eam. Infrà certè:

Jam hercle ego per hortum amicam tranſibo meam:

Inſerenda præpoſitio *ad amicam*. Et ibidem:

Licet hoc Athenis nobis, ſed cum cogita,
Potiuſquam in dividiam veniam, eſt etiam hic oſtium
Aliud poſticum noſtrarum harunce ædium,
Poſticam partem magis utuntur ædium,
Eà ibo obſonatum.

Non plenè explicatur *in dividiam venire*, quaſi tantum in tædium & moleſtiam. Hoc ait ſervus: etiamſi liceat ſervis, quod dixit, metuere ſe tamen, ne in litem & contentionem incidat cum aliquo, qui licere id ipſis nolit: quapropter publicam viam & frequentiam hominum ſe nunc vitaturum, poſticoque ædium oſtio per hortum tutò ac quietè commeaturum. Abundare autem videri poſſit totus is verſus,

Poſticam partem magis utuntur ædium.

quem ſuadeo parentheſi ſeorſum includendum. Ultimo:

Ite hac ſecundum vos me, ega hunc lacero diem.

peſſimè habent optimi libri, *Ita*: quod cuivis emendatu facillimum. *Secundùm* autem *ire* benè explicatur, ſequi. Amphitr.

AM. *Age, i tu ſecundùm.* SO. *ſequor, ſubſequor te.*

non benè, *lacerare diem*, pro excruciare, aut conterere potando, epulando, ſcortando: tantùm imò perdere garriendo, quo ſenſit perſpicuè idem eſt Aſinaria. Sc. *Ubi ego?*

Quin ega hanc jubeo tacere, quæ loquens lacerat diem.

ubi ſimpliciter etiam accipiunt conterere, non ſatis interiorem verbi vim aſſequen-

tes. Sed inſpiciamus porrò ſcenam, ubi libros ſuos Paraſitus inſpexit. Excuditur:

. . . . augurium hoc facit
Epignomus hic quidem, qui aſtat.

quod ut legitur, ſic capitur aliter aliquanto quam rectè. Non enim profectò augurium paraſito Epignomus faciebat nunc conſpectus primùm, ſed fecerat antè muſtela, de qua narravit:

Auſpicio hodie (inferes, *hercule*) *optimo exivi foràs.*
Muſtela murem mibi abſtulit præter pedes:
Eam ſtrenuè obſonavit, ſpectatum hoc mibi eſt.
Nam ut illa vitam repperit hodie ſibi,
Item me ſpero facturum.

quamobrem his ſubjiciendum nunc, *augurium hæc facit.* [illegible] adjectâ, ne cum ſequenti verſu miſceatur: qui porro ſic inſerto verbulo ex veteribus ſcribendus.

Epignomus hic quidem eſt, qui aſtat. ibo, atq; alloquar.

Dum ſecum augurium & auſpicium ſuum commentatur, interim aſtare procul Epignomum videt, quem noſcitans adit ſtatim & compellat. Planè auſpicium illi muſtela fecerat: Epignomus deinde conſpectus auſpicii fides & eventus erat, a quo ſcilicet vita & victus reperiendus. Ad idem auſpicium muſtelæ pertinent verſus ſub finem:

Quin ipſa decies in die mutat locum.
Eam ego auſpicavi in re capitali mea?

qui corrupti etiam nonnihil, ad hoc exemplum reſtituantur:

Quæne ipſa decies in die mutat locum,
Eam auſpicavi ego in re capitali mea?

Certa correctio vel ex ſenſu, de qua leviter aurem mihi vellebant primùm antiqui libri, habentes *Quin &c.* atque iidem verba ſic digerunt alterius verſus, ut è numerorum ratione vides hic à me collocata. De *Quæne* & ſimilibus alibi, quod ſatis. Sed in medio non prætereamus iſtum locum:

EP. *Non edepol poſſum.* GE. *quid gravare? cenſeat?*
Neſcio quid verò habeo in munda. i modò.

Quid eſt nudum iſtud *cenſeat?* Fallor, an duæ ſunt voces, ita temerè coalitæ? Nam equidem *cenſeo eas* divino corrigendum: quarum altera præfigenda verſui alteri, defecto aliàs toto pede. Sic inquam:

. . . . GE. *quid gravare? cenſeo*
Eas: neſcio quid verò habeo in mundo. I modò.

Inſtanter ire ſuadet ad ſuam cœnam, etſi poſterius *i modò* non ineptè libri veteres Epignomo tranſcribunt.

. . . . EP. *i modò,*
Alium convivam quærito tibi in hunc diem.

Sed nihil hoc noſtræ derogat emandationi, quæ alia tenuior requiritur iſti:

Vin' ad te ad cœnam veniam? EP. *ſi poſſim, velim.*

Nam *ſi poſſit*, verum eſt. Deinceps ſcio quid ibi docti viri de medio lecto:

GE. *Haud poſtulo equidem med in lecto accumbere.*

Sed non contamnere queo penitus antiquiorem ſcripturam:

Haud poſtulo æquidem ſummo in lecto accumbere.

ſiquidam venuſtè ſummo lecto mox opponitur imum ſubſellium:

Scis tu med eſſe imi ſubſellii virum

cujus à verſus fine removenda interrogatio, quæ in libris nuperis obrepſit. Illum autem ibidem:

GE. *Perii hercle verò planè, non obnoxiè.*

paullò citat aliter Gellius, ubi de ſignificatione vocis *Obnoxius* diſputat, nihil magis ipſe nos certi docens, quàm illum Grammaticus in id conſultus. Sed ita citat:

GE. *Nunc ego hercle perii planè, non obnoxiè.*

non pejus, & verò paullo [illegible]. *Obnoxiè* hic autem eſt quaſi clementer: ut & *obnoxiosè* Epidico, Sc. *Satin'*:

PE. *Cedo manus igitur.* EP. *morantur nihil, atq; arctè colligo,*
Nihil verò obnoxiosè.

quod ad marginem ita explicant, ſed cum additamento non prorſus apto. Sic enim

reſol-

reſolvunt: cujus nomine tibi obnoxius eſſe debeam. Potius debebant: tamquam ipſe mihi ſis obnoxius, in obnoxii morem. *Obnoxius* propriè, qui ob noxiam aliquam ſuam alteri concedit, ſuo jure non utens, animi conſcientiâ fractus. Ad quam originem Plautus alluſit Truculento, Sc. *Egone tibi*:

Scio equidem, quæ nolo, multa mihi audienda obnoxio:
Ego me tibi obnoxium eſſe fateor, culpæ compotem.

Hinc ad alia trahitur: & obnoxii dicuntur a ſimilitudine quadam affectus & conditionis etiam, qui alicui aliquid debent, tanquam devincti.
Sic Aſinariæ loco:

Adeò ut ætatem ambo ambobus nobis ſint obnoxii,
Noſtro devincti beneficio.

Et hinc Virgiliana ab eodem ibidem laudata. Qui autem tales; lenius ſcilicet ac lentius agunt plerumq; cum iis, quibus obnoxii, nec pro ſuo jure, cedentes & parcentes, ac planè velut ſecundas agentes. Inde jam iſtæ locutiones omnes: quas faciliimum eſt huc μεταφορικῶς interpretari. Nec alius Cæciliani loci è Chryſio, cui ſoli Gellius convenire putavit Grammatici ſui finitionem:

. . . . *Quamquam ego mercede huc conductus tua*
Advenio, ne tibi me eſſe ob eam rem obnoxium
Reare, audibis male, ſi male dixis mihi.

putidiſſimè profectò. Quid enim abſurdius, quàm obnoxium ibi eſſe habentem culpæ ſuæ conſcium? Ita namq; referebat ipſe Grammaticum interpretatum: cujus verba levi correctione indigent, per hanc occaſionem hic adjicienda. *Quis adeò tam linguæ latinæ ignarus eſt, qui neſcit eum dici obnoxium, cui quid ab ε e, cui eſſe obnoxius dicitur, incommodari & noceri poteſt ei, qui habet aliquem noxæ, id eſt culpæ ſuæ conſcium?* Verba malè vincta, & in parte obſcura, quibus nexum & lucem reddet copula reddita, quæ in *ei* degeneravit. Lege: *cui quid ab eo, cui eſſe obnoxius dicitur, incommodari & noceri poteſt: & qui habet aliquem noxæ, i. e. c. ſuæ conſcium.* Apud Cæcilium mercenarius aliquis, fortaſſe an coquus, conductus ex more cum aſperius acciperetur verbis, & conviciis in id genus hominum vulgatis exagitaretur; eâdem ſe uſurum libertate dicit in reſpondendo, neque propterea parſurum alteri & ſecundas acturum, quòd mercedem ab eo accipiat, & hoc nomine devinctus ei videatur: id quod eſt tribus verbis, nolle ſe mercedis cauſſa obnoxium eſſe. Idem planè ſignificatus, etſi paullo uberior in *Obnoxioſus*: ut iſta in *oſus* ferè omnia copiam aliquam notant. Id in Ennii verſibus fuiſſe, quos Gellius ibidem adducit, evincunt numeri ab altero lacunoſi.

Ea libertaſt, ſi qui (ſic quoq; legi ſimul volo) *pectus purum & firmum geſtitat.*
Aliæ res obnoxioſæ nocte in obſcura latent.

Epidico noſtri diſertim ſuprà fuit: atque etiam poſt Trinummo, Sc. *Staſime*:

ST. *Mores leges perduxerunt jam in poteſtatem ſuam,*
Magis queis ſunt obnoxioſi, quàm parentes liberis.

Qui etiam locus hic enarrandus eſt contra interpretem, hoc dici putantem: Mores dominari legibus imperioſè. nam obnoxioſos à Plauto vocari, qui alios ſibi velint habere obnoxios. Jam ad Epidici locum dicebam non ita eſſe, neque eſt. E diverſo prorſus, Obnoxioſus, multùm obnoxius. Atque ibi perverti jura omnia ſervus queritur: & præter alia, leges à moribus jam in ſuam poteſtatem perductas, cum ipſi contrà legibus obnoxii eſſe debent magis, quàm hodie ſint parentes liberis ſuis, qui itidem parentibus eſſe potius debebant. Ita duplex eſt incuſatio, illa directa in mores, hæc obliqua in liberos: quæ occultior feſellit hactenus: ſed quò occultior, eò acrior eſt, & ex tranſverſo vehementius mordet. Utrumque contra naturam eſt: leges moribus, parentes liberis obnoxioſos eſſe. Quem ſenſum invidit uſurpatio vocis ejus, aut potius reliqua loquendi forma, forma duplex. Semel enim, de jure, ut vocant, accipitur; iterum, de facto: & prius in mores, alterum in parentes dictum. De cetero, Salluſtii locum etiam Gellius affert, qui ægrius accedere noſtræ ſuperius interpretationi videatur: *Minari etiam ferro, ni ſibi obnoxia foret.* At promtiſſimè accedit: quandoquidem obnoxia ibi eſt obediens ſive gratificans, ut obnoxii ſolent. Ni ſe ſibi daret, nec adverſaretur, ferro minabatur. Ita

Gellii

Gellii & Grammatiei ipſiur partes hic egimus, & pro utroque, ur opinor, ſatirfecimus de eo, quod ſolvere non potuit alter, alter noluit. Sic enim de Gellio potius ſentiamus.

CAPUT VII.

Apclogum agere. Cibum contruncare, an contrucidare. Hercle quin. Habere rem factam, pactam. Ducere ſe eſſe pro adoleſcente, pro libero: facere ſe eſſe venuſtum, & ſimilia, in Plauto & Catullo. Perdere & dare interdum æquiparaca. Ita ut occœpi dicere. Suſtentare ſedulo, Stat, pro ſtans. Obſtrudere. Contra Lambinum & alios correcta multa & explicata. Loci aliquot integri numeris & diſtinctionibus conſtituti. Scenæ cuidam principium deeſſe oſtenditur. Perſonæ multoties permutantur. Tragœd. Hercul. Oet. emendatur. Alia ſparſim, ut res tulit, addita.

PErperam illud quoque Lambinus explicat proximâ ſcenâ, *Ita me Dii*:

EP. *Jam redeo, nimia voluptaſt, ſi diu abſueris à domo,*
Domum ſi redieris, ſi tibi nulla eſt ægritudo animo obviam.

Quaſi Epignomus dicat, ſe domo ad Pamphilippum redire deſtinatò, in quem forte fortunâ tamen incidit cum ſocero incedentem. Verba ſanè domo egredientis ſunt, *Jam redeo*: ſed ad familiares, pronuntiata, quibus abiens mox adfuturum ſe rurſus affirmat. è qua notâ locum inſignem corrigebam Mercatoris ultimâ ſcenâ cui hunc confer. Ceterùm *à* delendum priori verſu, quotquot in libris eſt: ut multi ſunt, quibus ultrò abeſt rectè. poſteriore legendum *ibi*, pro *tibi*. Malè enim hærent dandi caſus duo *tibi* & *animo*. Porrò:

AN. *Priuſquam abis, præſente te huic apologum agere unum volo.*

Perit archaica loquendi forma, *apologum me agere unum volo*. Sic enim ea particula rurſum inſerenda. Ridiculè autem ait, Apologum ſe agere velle, & reverâ agit, non narrat. Præſens enim ipſe erat totus Apologus, eleganter in rem præſentem conſictus: quod ſentit & dicit paullò pòſt ipſe Pamphilippus:

Perge porrò: præſens hic quidem eſt apologus:

cui quidem Pamphilippo potiſſimum hæc quaſi fabula agebatur, in ipſum directa: quod & ſenex jam antè prodit, cum ait *huic* ſe acturum. Jam in ipſo apologo quædam non ſatis concinna, ut iſtud:

PA. *Quis iſtuc quæſo? an ille, quaſi ego?* AN. *is ipſe, quaſi tu ſenex*
Ille quaſi ego &c.

quod cum ſequenti legendum diſtinguendumque ita:

PA. *Quis iſtuc quæſo? an ille, quaſi ego?* AN. *is ipſe, quaſi tu, tum ſenex*
Ille, quaſi ego, ſi vis, inquit, quattuor ſanè dato,
Dum quidem hercle quod edint addas, meum ne contruncent cibum.

Qui *contrucidant* ſuppoſitum eunt pro *contruncent*, eos ſi non exempla hujus poriora de ſententia dimovere poſſunt, dejicere debent ipſi numeri, qui ſoli ſatis convincant rectum, quod vulgatur. Sequentes etiam ſtatim verſus & pedibus nonnihil impeditis ceſpitant, & ſententiâ inæqualiore labant:

PA. *Videlicet illum fuiſſe parcum ſenem, qui dixerit.*
Quoniam ille illi pollicetur, qui eum cibum popoſcerit.

quamquam de pedibus res facilior: in ſententia ſcrupulus major: quam explicatio Briardi facit etiam multo ſcrupuloſiorem. Non difficillima autem emendatio eſt, ſi τὸ *Quoniam*, ſeu quod in aliis *Quando*, quorum neutrum aptum, meo mihi modo permittitur mutare. Muto autem minimè violenter, & rotum ſcribo:

PA.

PA. *Videlicet fuiſſe illum parcum ſenem, qui id dixerit.*
Quid autem? an ille illi pollicetur, qui eum cibum popoſcerat.

Certò hæc ſententia eſt. Cum avaritiæ ſenem arguiſſet in cibo poſcendo, infit quærere, quid adoleſcens ille, an poſcenti illi ſit pollicitus? cui ſimili forma orationis alter pervenuſtè reſpondet:

AN. *Videlicet fuiſſe illum nequam adoleſcentem, qui illico,*
Ubi ille poſcit, denegavit ſe dare granum tritici.

ubi reſcribendum etiam fortaſſe *denegarit*, ut reſpondeat τῷ *dixerit*. Omnino autem argutia diſcriminis inter *promittere* & *polliceri* locum hic non habet: & poterat vir doctus alienæ allucinationi confirmandæ ſuperſedere.

Proximo etiam verſu,

Hercule quia æquum poſtulabat ille ſenex &c.

ſcribes *Hercle quin*: magis ex Plauti formulâ. Et ſtatim:

Quia nequivit, qua lege licuit, velle dixit fieri.

Veteres *nequit*, quod eſt idem alteri, ſed contractum numerorum cauſsâ quaſi *nequiit*. Et adhuc ſtatim:

Habeon' rem factam?

auſimne mutare? non profectò temerè, qui Plautiniſſimam locutionem agnoſco: ſed hic tamen accommodatiorem opiner, *Habeon' rem pactam?*

Ibidem mox vulgatur:

Ut jam nunc ſceleſtus eſſe ducit pro adoloſcentulo!

In quo corrigunt *ſeſe*. benè quidem: at vide ne ſit ipſum tamen *eſſe* retinendum, ſimplici *ſe* inſerto. Prorſus autem legendum à me *Ut etiam nunc*: deinceps ita forſan, ut innui, *ſceleſtus ſe eſſe ducit pro adoloſcentulo*. Sic quidem Plautus etiam Captivis. Sc. *Quæ res*:

Tuq; te pro libero eſſe ducas, pignus deſeras.

affectatâ παρέλξει verbi *eſſe*: quod itidem abundat in Catulli verſu:

Hic futuit multas, & ſe facit eſſe venuſtum.

Nec aliter fortè in Tragico, cujus Hercules Oetæus. Ibi namque vulgò ſic:

Adhuc ferebas eſſe te Alcidæ parem.

Sed diverſa eſt aliorum lectio, *fremebas*. melior illa quidem, non autem perſpicuè ſatis melior, niſi & alia ibidem alterius vocis melior unà reponatur. Habent enim libri quidam *imparem*. quod planè verum, ipſo ſenſu in contrarium mutato. Hoc namque dicit Hercules in Junonem: Ad hoc tempus ſoli Herculi te imparem eſſe fremuiſti: nunc ecce impar duobus es reperta. Sequitur enim, *Victa es duobus*: mihi ſcilicet & meæ Dejaniræ. quod non hic, ſed ibi ſuo propriè loco olim latius explicandi erit locus. Ad finem ſcenæ:

PA. *Quin vocaſti hominem ad cœnam?* EP. *ne quid adveniens perderem.*

oratio non plena, ſed quæ videatur explenda, ſubintellectâ negatione diſertâ, quæ omiſſa: Non vocavi, ne quid perderem adveniens ſtatim. Mihi tamen elegantius perſuaſi fore, ſolum hoc ſi per interrogationem efferatur: *ne quid adveniens perderem?* quod valet, Perderemne quid adveniens ſtatim? Nam nota particulæ *ne* trajectio talis. de qua Gulielmius & nos alibi. Perderet autem Epignomus, ſi quid Paraſito daret: quò trahas quod quidam ex Ulpiano notant *Perdere & dare* æquiparari in jure Romano, cum ajat, filiofamilias cui libera peculii adminiſtratio conceſſa eſt, non licere donare alteri, quia non in hoc conceſſa ſit, ut perdat. Sed magis eò faciat alter noſtri locus Aululariâ, Sc. *Fidei*.

Nimis hercle ego illum corvum ad me veniat velim,
Qui indicium fecit, ut ego illi aliquid boni
Dicam. nam quod edit, tam duim, quam perduim.

Sequentis jam ſcenæ principium manifeſtè vitioſum:

GE. *Eſt ita ut occœpi narrare vobis, cum hic non affui.*

Quando enim narrare occœpit? an cum non adfuit? Ridiculè. Sed benè, ſi tantum vitioſum, quod quidem non purgant, qui *St* ſilentii notam pro *Eſt* ſubſtituunt: defectum etiam eſt & mutilum: ipſumq; adeo Scenæ principium totum abeſt. Malè enim profectò ſic Paraſitus ordiatur, etiamſi reſpiciat ad finem alterius ſcenæ *Libros inſpexi*. Quin ille verſibus aliquot hic occœpit narrare conſilium de amicis conſultis:

cui narrationi deinde ſubjeciſſe videtur aliud neſcio quid pro ſermonis occaſione paullo hinc alienius: atque id mox relinquens, & rediens ad prius inſtitutum, ſic de integro rurſus opportunè orditur.

Sed ita ut occœpi narrare vobis.

quæ formula ſolennis ibi, cum quid inſtitueris, atque ab eo digreſſus aut etiam avocatus, idem repetas poſtea, narrationi continuandæ. Trinumo Sc. *Huic ego.*

SY. *Ita ut occœpi, ſi animum advortas dicam.*

Ea verò aliquoties apud noſtrum corrupta, nec alibi ſemel à nobis emendata. Nunc locus è Rudente ſubit, huc dilatus. Sc. *Seriò edepol.*

TR. *Ut id occœpi dicere, ſenex, eam te quæſo ciſtulam*
Ut jubeas hunc reddere illis.

Repone mea fide, TR. *Ita ut occœpi dicere.* quod ipſum eadem ſcene ſuperius etiam verſu 22.

Ita ut occœpi dicere, illum quem dudum &c.

Et exempla pluſcula alibi dedi. *Sed*, quod reſtitui, nititur auctoritate antiquitus exculorum. Reliqua hinc ſeparata, ex iiſdem veteribus fortè ſic ſcribenda:

. . . . *cum hic modò abſui,*
Cum amicis deliberavi jam & cum cognatis meis:
Ii mihi auctores fuêre, ut egomet med hodie jugulem fame.

Quæ tamen omnia, ut ſcripta vulgò ſunt, vulgo relinquo. Venuſta autem porrò formula reſponſionis, qua de valetudine interrogati peregrè redeuntes utuntur:

GE. *Valuiſtine bene?* PA. *ſuſtentavi ſedulò.*

quam frequentat Poëta multis locis, & hac ſabula dedit etiam fratri Epignomo, pariter ad Gelaſimum, ſupra Sc. *Libros:*

Valuiſtin' uſq;? EP. *ſuſtentatum eſt ſedulò.*

Deinde puerilis eſt in hac ſcena Lambini interpretatio ſuper iſto verſu:

GE. *Quin tu ſtas, obſtru'ſero aliquid ſtrenuè.*

Ariolatur de cubiti oppoſitione: quam refellere non opus eſt, ipſum exagitare non lubet. Fefellit hominem ἀπερίβλεπτον, verbum *ſtas*: quod participium eſt omiſſo *n*, pro *ſtans*, antiqua conſuetudine. Tum nec *obſtrudere* cognovit paraſiticum verbum, avidam notans vorationem ipſamque adeo tuburcinationem. Cum negaret Epignomus accubationi locum ſupereſſe, Gelaſimus eo nequaquam abſterritus, & honorem ſedendi parum curans, dum fructum conſequatur edendi, ſe vel ſtantem ait aliquid obſtruſurum. Interpunctum igitur leviter huc ita dirigatur:

GE. *Quin tu, ſtas obſtruſero aliquid ſtrenuè.*

Mox ibidem:

Quid agis Pamphilippe? PA. *ad cœnam hercle aliò promiſi foras.*

Dixi jam ante crebras eſſe in verbis *agis* & *ais* permutationes: quorum alterum hic quoque reſtituendum. Nam *Quid ais?* ex perpetua formula eſt compellandi initium, cum quid aliud porrò ſubjungere volunt. Atque hic paraſitus à cœnatica ſpe apud Epignomum abſolutus, ad Pamphilippum convertit ſuos palpos: qui præſentiens æquè deludit hominem, cum quidem hoc uterque agerent de compacto. Forſan & inferius hac ſcenâ mendum idem, ſic quoque corrigendum:

EP. *Quid ais?* GE. *oratores tu accipis: habeas tibi.*

A quo verſu ſtatim alii ſic ex mea opinione ſcribendi:

EP. *Tua pol refert enim.* GE. *ſi quidem mea refert, opera utere.*
EP. *Poſſe edepol tibi opinor etiam uni locum eſſe: conſpicor,*
Ubi accubes.

Alii aliter flectunt: nemo, ut jam congrua exeat & ſententia & ſtructura. Opinatur Epignomus primùm poſſe adhuc locum uni eſſe: dein planè ſe conſpicari ait, ubi accubet: minimè tamen hoc ſeriò, ſed magis ludificandi hominis eſurioſi. quod mox pateſit:

PA. *Exoraba aliquo modo.* EP. *veni.* GE. *buccine?* EP. *imo in carcerem.*

Ubi turpiter ego fallor, aut perſonæ fallunt. Neque enim aptè Pamphilippus aut fratrem ſe exoraturum dicit, quem nec orat quidem; neque convivas, quos non erat ipſe accepturus. Sed Epignomus convivator ab hoſpitibus ſuis aliquo modo ſe pollicetur impetraturum, ut arctius cubare velint, Gelaſimo recepto: ac ſimul eum

veni-

venire unà jubet. Sub illius igitur unicam perſonam verba redigantur:

EP. *Exerabo aliqua modo: veni.*

Cui & mox adjudicandam fratris orationem cenſeo, iſtam porrò:

PA. *Non erga it tu apud me, ſatit ſpectata eſt mihi jam tua felicitat.*
Dum paraſitur mihi atq; fratri fuiſti, rem confregimur.

Neque hic fallor: & ſupinam omnium negligentiam accuſare habeo, qui non attenderint, Pamphilippum jam abiiſſe, & ſolum reſtare cum paraſito Epignomum. Abibat enim ille cum iſtis ſuprà verbis:

PA. *Deas ſalutaba modo, poſteà ad te continuò tranſea.*

Unde per ſe liquet, alterius perſonam hic perſcribendam. Neque id ſatis tamen ipſi loco, qui ſententiâ & verbis etiam laborat. Nam quid eſt, *Non ergo it tu apud me?* ire apud aliquem, ſolœcum: niſi *ad* putes mutandum: aut *et*, pro edis. Quorum neutrum mihi probatur; ac ne Lambiniana quidem interpunctio. *Non ergo is tu? apud me ſatit ſp.* quæ ferri tamen videbatur poſſe. Sed malo certè, nec ſine cauſſa, reponi ad hoc exemplum:

EP. *Novi ega iſta apud me: ſatit ſp. eſt i. m. t. f.*

Cauſſa autem eſt, quia reſpicitur ad præcedentem paraſiti de ſe prædicationem:

Qui cum vir depugna multo facilius, quàm cum fame.

Id ſcilicet verum eſſe reſpondet Epignomus: & ſe expertum domi ſuæ, quàm ſtrenuus ille ſit pugnator, quamquam interpunctio admitti & altera poteſt, nullam pæne mutationem huic ſententiæ inferens:

EP. *Novi ega iſta: apud me ſatit ſp.*

atque etiam tertia non omnino queat repudiari:

EP. *Novi ego: iſta apud me ſatit ſp. e m. i. t. f.*

Omnes in hunc eundem ſenſum conſpirant. Malè denique ad finem illa ſcribuntur, diſtinguuntur:

GE. *Jamne abiiſti, Gelaſime? vide quid es capturus canſilii.*
Egone? tune? &c.

In quibus non *abiiſti* pro obiiſti poſitum aſſentiar viro docto: ſed mutandam interpunctionem, ut Gelaſimus ad ſe reliqua quidem, non autem priores binas dictiones: quibus hic non tamen Pamphilippum, quem jam antè diſceſſiſſe modò nos oſtendimus, ſed Epignomum hactenus reſtitantem, nunc quoque ipſum abeuntem proſequi exiſtimandus eſt. Atque hoc tibi non Lugduno aut aliunde, ſed Delphis reſponſum dicito, Lector; qui ſi oraculum accipis; & hæc & reliqua, in quibus alii fruſtrà neſcio quid variant, ita tibi reſcribe:

GE. *Jamne abiiſti? Gelaſime, vide, quid es capturus canſilii.*
Egone? tune? mihine? ſibine? videt, ut annona eſt gravit:
Videt benignitates hominum ut periere & prothymiæ.
Vides ridiculos nihili fieri, atq; ipſos paraſitarier.

Neque enim interrogationes hic probarim: & abominor abolitionem verbi *videt* medio loco, in cujus iteratione perpetuâ conſiſtit vis & elegantia ferè potiſſima. cui ſuſtentandæ particulam *ut* ibidem nunc ſuffultam vides.

CA

CAPUT VIII.

Nimiò liquidò. Facetia. Satis eſſe alicui. Polluctum, polluctura. Verſus aliquot in numeris, plurimi interpunctis correcti. Verba quædam tranſpoſita, quædam inſerta. Somnia multorum diſcuſſa. Contra Lambinum & alios plura emendata, interpretata. Perſonæ loci totius ordinatæ. Verſus unus trajectus, alter ejectus, Spectatores à Grege hiſtrionio ſub finem fabulæ hujus ad cœnam ipſorum feſtivè remiſſi: alibi ad ſuam ultrò ridiculè vocati. Quæ reliqua in Stichum erant, diligenter emaculata, & ſi fas ita dicere, extenebrata,

POſtremus fabulæ hujus Actus nunc ſpectandus: cujus primâ ſcenulâ verſum acceſſione levi augemus, ut numeris conſtet:

Qui hercle illa cauſſa nihilo citius advenit.

Alterâ ſtatim:

Sed amico mea & conſerva quid agat Stephanium
Cura eſt, ut valeat.

voculas tranſponimus, ut concinnior oratio ſit,

. . . . quid agat Stephanium.
Ut valeat, cura eſt.

Cura & ſollicitudo ſervulo eſt, ſua quid agat & quomodo valeat amica. A quo loco longiuſculè:

. . . . nam apud nos eſt convivium.
Ibi noſter cœnat cum uxore adeo & Antipho.
Ibidem herus eſt noſter.

Corrigo primùm, *Ibi noſter cœnat*. Nam quid dicat de ſuo hero? quem quidem neceſſe eſt apud ſe cœnaſſe, ſi convivium apud ipſum erat. Erat autem ipſum, Epignomum nempe: cujus iſte ſervus Stichus. Tamen ecce idem iterum hic de eodem dicit: *Ibidem herus eſt noſter*. putidiſſimè. Corrigo id quoque, *Itidem herus eſt noſter*. Apud Epignomum herum ipſius erant in convivio Sagarini herus Pamphilippus cum uxore & ſene ſocero Antiphone. Contrà liber locus erat datus ſervis apud Pamphilippum: ubi interea vicem heri Sagarinum ſibi, & æquè dominum convivii fore Stichus ludibundus ait. Mira verò ſomnia multorum de proximo loco:

. . . . hoc mihi dono datum eſt.
SA. *Quis ſomniavit aurum?* ST. *quid id ad te attinet?*

Quidam *obſonavit*, alii aliud ſubſtituunt: ſunt qui retinent *ſomniavit*, & interpretantur, furatus eſt: quod rurſum alii non accipientes, in iſtum tamen ipſum ſenſum reponunt *ſummanavit*. Mihi quid in tanta diverſitate videatur, aperiam. Id eſt verò ſimpliciſſimum. Non de obſonio vel auro puto quærere Sagarinum: ſed tantum, unde id donum habeat Stichus, quod ſibi jactabat datum, atque id his omnino verbis: SA. *Quis id donavit autem?* quod ille tum nihil ad eum reſpondet attinere. Scilicet ſatis illi eſſe, à quocunque datum ſit, unà frui: à quonam, ſcire ſimul, aut neſcire, id verò non intereſſe.

Verſu ibidem penultimo:

SA. *Sequor, & domum redeundi principium placet.*

Emendo *redeunti*. Jam enim redibat, imò redierat: non redire incipiebat. Advenienti principium placet, quia tam bonum auſpicium fecerat Stichus: id quod ſtatim ultimo verſu declaratur:

Bona ſcæva ſtrenuaq; obviam hic acceſſit mihi.

Tertiam porrò tranſilio: in quarta ſententia iſtius non ſatis concinna:

Sat eſt ſervo homini, modeſtè melius facere ſumtum, quàm ampliter.

diſtinctione debet hac expoliri:

Sat eſt. Servo homini modeſtè melius f. ſ. q. a.

Gno-

Gnomen poſteriora verba ſola continent: priora decernunt ſatis eſſe ſibi id quod habeant: nimirum nuculas, fabulas, ficulas, cruſtulum oleæ interruptum, lupilli comminutum. Sed neq; ſequentia ſatis commodulè interpunguntur:

Suum quemque decet. Quibus divitiæ domi ſunt, ſcaphio & cantharis,
Batiolis bibunt, nos noſtro Samiolo poterio
Tamen vivimus, nos tamen efficimus pro opibus noſtra mœnia.

Siſtenda oratio in iſtis, *nos noſtro Samiolo poterio*, ſententiaq; puncto finienda: cui *ἀπὸ κοινοῦ* aſſumitur præcedens verbum, & ſubintelligitur, *bibimus*. Novam reliqua jam ordiuntur & abſolvunt, ſic diſtincta:

Tamen vivimus nos, tamen efficimus pro op. n. mœnia.

A verſus unius intervallo quod legitur:

Atq; adeo ut tu ſcire poſſis, factum ego hoc tecum divido.

forte etiam ipſum aliter diſtinguendum. Certè enim melius iſta cohæſerint:

Atq; adeo ut tu ſcire poſſis factum.

Quamquam dubitare licet, an non verba ipſa mutanda, *faciam ego hoc tecum dividuum*. numeris iiſdem manentibus juxtà cum ſenſu. Sed potius eſt, ſaltem aliter interpungi. Mox Lambinus ad illum locum malè:

SA. *Quid iſtuc eſt provinciæ?* ST. *utrum Fontinali, an Libero*
Imperium te inhibere mavis? SA. *nimio liquido libero.*

Liquido enim interpretatur, defecato: nec apparet *Libero* cepiſſe de vino: quæ vox grandiuſculâ litera prima ſic fuit ſcribenda. Sed *liquidò* adverbium eſt, non nomen. Nimiò liquidò mavolo, id eſt, nimis liquidum & clarum eſt me malle Baccho præſidere quàm Fontinali. Ex illo verſu,

Vide quot cyathos hos bibimus. ST. *tot quot digiti ſunt tibi in manu,*

numeri excludunt *hos*. De ſubſequenti cantione Græca præter Euſtathium & Athenæum, quos conſulere ab aliis in explicationem juſſus es, adi & Plutarchum Sympoſiac. lib. 3. & vide iſtam ipſam ibi quæſtionem nonam. Ei proximus verſus:

Tibi propino decuma fonte, tibi tute inde ſi ſapis,

variè ab omnibus jactatus vix conſtituetur melius, quàm in hunc noſtrum modum, ſimul ſcilicet Sagarino adſcribendus:

Tibi propino decuma: à fonte tibi tute inde ſi ſapis.

Sagarinus Liberi curator de Libero propinat Sticho: quem Fontinali præſidentem indere & ſumere ſibi jubet à fonte. Quod diviſum imperium in conſequentibus malè confundetur, niſi pluſculos verſus perſonis ita variabis, ut monſtrabo.

SA. *Tibi propino decuma. à fonte tibi tute inde ſi ſapis.*
Bene vos, bene vos, bene te, bene me, bene noſtram etiam Stephanium.
ST. *Bibe, ſi bibis.* SA. *non mora eris apud me.* ST. *edepol convivii ſat eſt,*
Modò noſtra huc amica accedat: id abeſt, aliud nihil abeſt.
Lepidè hoc actum eſt; tibi propino cantharum, vinum tu habes.
SA. *Nimis vellem aliquid pulpamenti.* ST. *ſi horum quæ adſunt pœnitet,*
Nihil eſt: tene aquam. SA. *melius dicis, nihil moror cuppedia.*
Bibe tibicen, age ſi quid agis.

In qua Sagarini adhortatione porrò illud:

Age, ſi quid agis, accipe inquam, non hoc impendet publicum.

perperam explicatur de penſitando vectigali: quaſi dicat ſervus, hoc poculum non pendit publicum. Corrige, *non impedit hoc publicum*. In publico convivium agitatur: in propatulo bibere tibicen jubetur: eoque ipſo nihil debere dicitur impediri. non enim eſſe ipſus, ut id revereatur. nam in eandem quoque mentem, quod ſubjicitur, accipiendum:

Haud tuum iſtuc eſt vereri te.

Deinceps à vera ſcriptura leviter aberrat optima editio, ex aliis ſic dirigenda:

. . . . ST. *hem tibi, hoc primum omnium,*
Hæc facetia eſt, amare inter ſe rivales duos.

Ubi *primum* eſt præcipuum, primarium: *facetia*, res faceta: ut ſuperius:

. . . . ST. *feciſti here facetias*,
Cum hoc donaviſti dono tuum ſervum Stichum.

Atque ibidem etiam amplius peccatur, ſed in libris, quos viderim, omnibus:

Unam amicam amamus ambo: mecum ubi eſt, tecum eſt tamen:
Tecum autem ubi eſt, mecum autem ibi eſt: neuter alteri invidet.

Neque concinnitatem ſermonis ille omni ex parte ſatis juvat, qui conatur. *Tecum autem mihi eſt, mecum autem tibi eſt*. Hæc germana Plauti venuſtas, ſibi undique æqualis:

. . . . mecum ubi eſt, tecum tibi eſt tamen:
Tecum autem ubi eſt, mecum tamen ibi eſt.

Sub finem: *Foras egredere, ſatis mihi pulchra es.* ST. *at enim pulcherrima.*

Iteratò particula *mihi* inſerenda:

. . . . ST. *at enim mihi pulcherrima.*

Certant laudibus amicæ rivales. Jam Quinta ſcena, ut diſponunt vulgo, rectius annexas ſibi complectatur ultimas binas, ut ex tribus una conſletur, ſine oratione quidem diſcerpta in plures. Eâ igitur, tamquam ſi una ſit, hæc pauca notamus. Medium iſtorum verſum:

Age mulſa mea ſuavitudo, ſalta, ſaltabo ego ſimul.
ST. *Nunquam edepol me iſtoc vinces, quin ego ibidem pruriam.*
STE. *Siquidem mihi ſaltandam eſt, tum vos date bibat tibicini.*

ſuſpicor hinc ad finem propius rejiciendum, & ubi jam ſaltant, ibi collocandum iſto ordine:

SA. *Qui Jonicus aut cinædicuſt, qui hoc tale facere poſſiet?*
ST. *Nunquam edepol me iſtoc vinces, quin ego ibidem pruriam.*
SA. *Si iſtoc me verſu viceris, alio me provocato:*

Quod fortè probabit, qui certamen nunc demum ſaltantium cogitabit. Etſi non nego convenire nonnihil etiam vulgato ſuo loco. Contra autem prorſus ejiciendus videtur ille inferior:

Quid igitur? quamquam gravatu's, non nocuit tamen.

qui repetitus ex ſcena Actus hujus quarta:

Quid igitur? quamquam gravatus fuiſti, non nocuit tamen.

Ibi tibicen bibere gravabatur: non hic adeo: quod & per ſe liquet, cum ne verbo quidem urgeatur, & apertè dictum paullò antè:

SA. *Tene tu hoc eauce, dudum placuit potia:*
Nunc minus gravatè jam accipit, tene tu. interim
Meus oculus da mihi ſavium, dum illic bibit.

Quod & obiter ita præeo diſtinguendum. Ad finem iſta ſunt valde turbata:

SA. *Nunc pariter ambo amnes voco cinædos contra.*
Satis eſſe nobis non magis potis eſt quam fungo imber.

turbaturque valdius à correctoribus, Lambino, & quod pace doctorum liceat, ipſo Turnebo: qui tamen aliquid etiam ibidem bene. Sed quod *ſtaticulis ſtare* intruditur, id nullo modo ferri poteſt: cui etiam pugnant illud boni, quod attulerunt, *quàm fungus imbri*. Cur *Satis eſſe* damnarunt? phraſin elegantem, & à ſenſu requiſitam. Satis alicui eſſe, eſt parem eſſe, & propriè in certamine.

Sic Perſæ initio:

TO. *Quid ergo faciam? Diiſne advorſer? quaſi Titani, cum Diis belligerem,*
Quibus ſat eſſe non queam?

Quod quidem & Chariſius ſic exponit. Hic autem cum omnes cinædos provocaſſet ſervus contra ſe, neminem eorum ſatis ſibi futurum eſſe ait: non magis, quàm & fungus reſiſtere imbri poteſt. Tam facile victurum ſe omnes innuens, quam facilè imber fungum ſolet proſternere. Itaque ſine controverſia locus à me ſic rectiſſimè emendatur:

SA. *Nunc pariter ambo, nunc omnes voca cinædos contrà:*
Satis eſſe nobis nemo magis potis eſt, quàm fungus imbri.
ST. *Intro hinc abeamus nunc jam, ſaltatum ſatis pro vino eſt.*

&

Digitized by Google

& poſtremum hoc ſic diſtinguitur etiam fortè melius ex antiquis. In ipſo fine:

Vos ſpectatores plaudite, atq; ite ad nos comeſſatum.

dubiè memini ab alio monitum, *ad vos* legi oportere, quod ſi monitum antè, non debuit ſperni. Certiſſima & facetiſſima correctio eſt, ſive alterius, ſive mea. Joco quippe fabula clauditur, ita quidem eleganti, ut inſigniore quaſi gemma non potuerit ſignari. Plaudere ſpectatores finito ludo jubet Stichus, & comeſſatum ire, non tamen in hoc ſuum convivium, ſed ad ſemetipſos quemq; & in proprias domos, quod inexſpectatum dictum omnes in alacrem plauſum excitaſſe certum eſt: quo languido vix dignati fuerint iſtud languidum *ad nos*. quo, ſi Diis placet, totum theatrum ſeriò invitatur in apparatum vix ſervulis duobus & ancillulæ uni ſufficientem. Ineptè & inficetè: ne quid amplius dicam. Etſi non me fugit interim, ſolere ſpectatores vocari interdum, ſed per jocum & obliquè, numquam ſeriò & nuncupatim: tum verò ſemper eludi vocationem illam rejectione in aliud tempus. Sic Pſeudolo:

PS. *I hàc.* BA. *te ſequor, quin vocas ſpectatores ſimul?* PS. *hercle me iſti*
Haud ſolent vocare: neq; ergo ego iſtos, verùm ſi voltis applaudere
Atq; approbare hunc gregem & fabulam, in craſtinum vos vocabo.

Sic Rudente:

DÆ. *Sequimini intrò, Spectatores vos quoq; ad cœnam vocem,*
Ni daturus nihil ſim, neq; ſit quidquam pollucti domi,
Nive adeo vocatos credam vos eſſe ad cœnam foras.
Verùm ſi voletis plauſum fabulæ huic clarum dare,
Comeſſatum omnes venitote ad me ad annos ſedecim.

Ubi præthereà notabis ſic *pollunctum* uſurpari, quomodo hac fabula ſuperius *polluctura*. Sc. *Agite.*

. . . . *nam hinc quidem*
Hodie polluctura præter nos jam dabitur nemini.

VALENTIS ACIDALII

IN PLAUTI TRINUMUM DIVINATIONES, ET INTERPRETATIONES.

AD

NOBILISS. ET DOCTISSIMUM VIRUM

DANIELEM BUCRETIUM

Philoſophum, & Medicum Uratislavienſem.

CAPUT I.

Notum malum, optimum. Ut bene vivitur, diu vivitur: Ut diu vivitur, benè vivitur. Diſputatum accuratius de loci prolixioris initio Trinumi lectione, ſed magis diſtinctione in perſonas: quæ aliter ex ordine rei in ordinem digeſtæ. In verbis tamen etiam quædam immutata.

INter primas auctoris fabulas Trinumus eſt: quam ridiculâ cauſsâ ſic indigetatam jure hercle ſtomachatur vir ſummus, qui Theſaurum potius ex argumento, & Philemonis exemplo, contendit appellandam fuiſſe. Sed ingenium & poetæ ita fuit, ut joculare nomen ex ſuo perpetuo jocandi more & ſtudio præferret; & ſeculi illius, ut levibus & ridiculariis, quàm ſeriis quibuſque magis afficeretur. Hujus igitur non tribus numis, ſed theſauro ipſo contrà caræ fabulæ menda quæ ſuperſunt ab aliorum cenſuris, pleraque eluemus ordine inſtituto: & hinc ordimur ab initio ſecundæ ſcenæ. ubi lepidiſſima ſenum duorum contentio perſonarum diſtinctione videtur laborare:
Nam ſic ubique vulgatur:

CA. *O amice ſalve atq; æqualis mihi, ut valet*
Megaronides? ME. *& tu edepol ſalve Callicles.*
CA. *Valen', valuiſtin'?* ME. *valeo, & valui rectius.*
CA. *Quid agit tua uxor? ut valet?* ME. *plus quam ego volo.*
CA. *Bene hercle eſt illam tibi bene valere & vivere.*
ME. *Credo hercle te gaudere, ſi quid mihi mali eſt.*
CA. *Omnibus amicis quod mihi eſt cupio eſſe idem.*
ME. *Ehò, tua uxor quid agit?* CA. *immortalis eſt,*
Vivit, victuraq; eſt. ME. *bene hercle nuntias,*
Deoſq; oro, ut vitæ tuæ ſuperſtes ſuppetat.

CA.

CA. *Dum quidem hercle tecum nupta ſit, ſanè velim.*
ME. *Vis commutemus, tuam ego ducam & tu meam?*
Faxo haud tantillum dederit verborum mihi.
Numquam tu creda mihi imprudenti obrepſeris.
Næ tu hercle ſaxo haud ſcies quam rem egeris.
CA. *Habeat ut nactus. nota mala res, optuma eſt.*
Nam ege nunc ſi ignotam capiam; quid agam neſciam.
ME. *Edepol proinde ut bene vivitur, diu vivitur.*
Sed hoc animum advorte &c.

Neque tamen, aliquid hic eſſe confuſionis, aliunde patet, niſi ex poſtremis. Etenim ſuperiora omnia ſic poterant ferri, ſatis inter ſe congruentia. Sed nimirum, quando ultima mutationem requirunt, ea pertingit etiam ad media & prima. Cohærent autem & perſonæ unius omnia eſſe debent extrema inde uſque ab his verbis, *Habes ut nactus*, quod patebit ex iſta noſtra reſtitutione, qua rurſum omnia reſcribimus in ſuas perſonas ordine diſtributa, tum ejus adjungendâ brevi confirmatione.
Sic igitur repono:

CA. *O amice ſalve atq; æqualis mihi. ut valet*
Megaronides? ME. *& tu edepol ſalve Callicles.*
Valen'? valuiſtiu'? CA. *valeo & valui rectius.*
ME. *Quid agit tua uxor? ut valet?* CA. *plus quam ego volo.*
ME. *Bene hercle eſt, illam tibi bene valere, & vivere.*
CA. *Credo hercle te gaudere, ſi quid mihi mali eſt.*
ME. *Omnibus amicis, quod mihi eſt, cupio eſſe idem.*
CA. *Ehò, tua uxor quid agit?* ME. *immortalis eſt.*
Vivit, victuraq; eſt. CA. *bene hercle nuntias,*
Deoſq; oro, ut vitæ tuæ ſuperſtes ſuppetat.
ME. *Dum quidem hercle tecum nupta ſit, ſanè velim.*
CA. *Vis commutemus? tuam ego ducam, & tu meam?*
Faxo haud tantillum dederis verborum mihi.
ME. *Neq; enim tu credo* (f. *crede*) *mihi imprudenti obrepſeris.*
CA. *Næ tu hercle ſaxo haud ſcies quam rem egeris.*
ME. *Habeas, ut nactus: nota mala res, optuma eſt.*
Nam ego nunc ſi ignotam capiam, quid agam, neſciam
Edepol. Preinde ut diu vivitur, benè vivitur.
Sed hoc animum advorte, atq; auſer ridicularia.

Commutationem uxorum à Callicle oblatam reſpuit Megaronides, additâ cauſsâ, quia *Nota mala res, optima*: ex vulgari proverbione magis, an veriverbio? Cujus ſententiam porrò perſequitur breviter quadam velut ἐξηγήσει. Diſcrimen enim, ait anceps eſſe in re veteri & notâ, quantumvis malâ, cum ignotâ & novâ permutandâ: neque ſe ſciturum profectò quid agat, ſi nunc alienam capiat, cujus mores non ſit doctus: proinde ſuam ſe retenturum, & claudit inſigni gnomâ, quæ in ejuſdem dicti prioris ſenſum conſentit: ita bene vivi, ut diu vivatur: id eſt, optimam vitam eſſe eam, cui aſſeveris: optimè vivi, quomodo diu vixeris. Quam tamen gnomen in contrarium planè detortam legis in omnibus libris, *Ut bene vivitur, diu vivitur*. Sed peſſime, quam pejus etiam explicat Interpres: *Non vivit, qui miserè vivit: nedum diu vivat*. Enimverò ſi ſit ea lectio vera, verior hæc interpretatio, & philoſophica quidem prorſus. Etenim Sapientiæ ſcitum eſt, longiſſimam etiam vitam, ſi male agatur, brevem eſſe: contra breviſſimam etiam, ſi benè, ſatis longam. quod unus Seneca multis locis egregiè diſputat, illuſtrans pluribus aliis hoc genus ſententiis, quibus non modo elegantius, ſed & ſanctius dici nihil poteſt. Et profectò quàm optimè, tam diutiſſimè vivimus: quando non refert, quàm diu vivamus, ſed quàm bene. Verò gravis iſta & velut in cothurnis ambulans Sententia nihil ad Soccum: minus etiam ad hunc locum. Eſt enim alieniſſima à mente Megaronidis & ipſa re: ubi non de longitudine vitæ aut brevitate, agitur, ſed commoditate. Commodiſſimè autem vivi affirmatur, ut dixi, diuturnæ & inveteratæ conſuetudinis, id eſt, aſſuetâ, & cum ſuetis, ratione: in qua vel non optimâ, tamen periculoſiſſimum ſit aliquid mutari: quippe cum metuendum,

ſemper, ne eveniat in pejus. atq; idcirco habendas uxores utriſque decernitur, ut eas ſint nacti. Tranſpoſitione levi ſumus hoc conſecuti: qua minore tamen aſſequi poſſis etiam idem, ſi ſcilicet verba ſcribas,

Proinde bene vivitur, ut diu vivitur.

Sed alteram illam malui, quia ſic numeri ſimul nitelcere viderentur magis. Et tamen parum, aut etiam nihil intereſt, utrum alteri præoptes. Ceterùm & alia ſunt quædam leviora, quæ ſimul ibidem mutavimus. Namque non ſolum *Neq; enim* reſcripſimus pro *Numquam*, idque de certa & juſta veterum librorum auctoritate: ſed perſonis etiam porro variavimus eos ſuperiores tres verſiculos,

Faxo haud tantillum dederis verborum mihi,
Numquam tu creda mihi imprudenti obrepſeris,
Næ tu hercle faxo haud ſciet, quam rem egerit.

qui continenter ubi vulgò adſcripti, nulla cum elegantia, imò cum tædio iteratæ ter ejuſdem ſententiæ ab eodem. Quis autem non videt, alternatim quàm venuſtè proferantur, certantibus invicem ſenibus, uter magis alterum ſit in permutando decepturus. Etſi non negarim, duos eorum poſteriores etiam non invenuſtè conjugi. quod ſi cui placebit, erit ſcilicet vulgata perſonarum diſtinctio in prioribus reliquis omninò relinquenda, & hinc mutatio demum ordienda:

ME. *Vin' commutemus? tuam ego ducam & tu meam?*
Faxo haud tantillum dederit verborum mihi.
CA. *Neq; enim tu, credo, mihi imprudenti obrepſeris.*
Næ tu hercle faxo haud ſciet quam rem egerit.
ME. *Habeat ut nactus &c.*

Quod magis noto, ne quis me non ſatis omnia diligenter cogitaſſe putet, quàm quòd ipſe putem multum adeò referre. In his dixi ab initio nulla magna ratio, parvumque momentum: in poſtremis momentum magnum, ratio maxima, & vim planè habens neceſſitatis. Omnino enim Megaronidis ultima ſunt: quò præcipuè reſpeximus hac diſputatione, & id eviciſſe nos ſperamus. De reliquis arbitrio ſuo quemque ſino ſtare.

CAPUT II.

Ægrotant artes, mores, fama. Quoniam. Adverſum quod: præter quod: præ quod. Quidquid, pro quidque. Similia Plauti loca. Ejuſdem oſcitatio notata in contrariis eidem perſonæ tribuendis. Perſonarum aberratio non ſemel & hic in viam reducta. Non pauci verſus fracti ſarciuntur, conſtituuntur: plurimi paſſim rectius interpunguntur ad verum ſenſum. Sententiæ contra Lambinum aliquoties, & ſæpè ultrò decloratæ. Multa loca contra alios, plura noviter emendata, traductio inibi verſus unius uſurpata.

INchoatam verò ſcenam inſigniore correctione, porrò ad finem purgemus aliis notæ inferioris quidem, at pleriſque nihilominus bonæ. Poſt illum locum ſtatim a perſona iterum verbula bina videntur aberrare:

ME. *Malit te ut verbis multis multum objurgitem.*
CA. *Men'?* ME. *numquis eſt hic alius præter me atq; te?*
CA. *Nemo eſt, quid igitur?* ME. *rogitas? tene objurgitem?*
Niſi tute mihi me cenſes dicturum malè.

Nec eget verbis demonſtrare, ſic rectius eſſe:

CA. *Nemo eſt.* ME. *quid igitur rogitas, tene objurgitem?*

Liquet à ſe. nam cum nemo adeſſet alius, & ad Calliclem alter dixiſſet, cum ſe objurgaturum, iſque tamen interrogaſſet, an ſe? ille mirabundus rurſum quærit, quid ita rogitet, an ipſum ſit objurgaturus? niſi ſemet ſibimet male dicturum putet. Captatus à Plauto jocus in pronuntiatione τοῦ *Mene*, quod Callicles non dubitantis affectu profert, ipſene, an alius ſit objurgandus, ut detorquet alter, ſed admi-

mirantis, ob quam adeò cauſſam reprehenſum eatur, qui ſibi quidem rei nullius conſcius ſit objurgatione dignæ. Quod ante pluſculos annos etiam D. Bucretius, diuturno mihi contubernio & intima familiaritate homo conjunctiſſimus, Plautiq; juxta mecum ſtudioſiſſimus olim, animadvertebat, cum hanc primam omnium Comœdiam, ſub initium noſtræ ſodalitatis, una legeremus, adſcito in ſocietatem optimo quoque & eruditiſſimo juvene Conrado Memmio, cujus amici paullò poſt abitum noſtrum fato ſuo ante diem functi, magni quandoque viri futuri, ſi virtus & eruditio ejus, tempus habuiſſent matureſcendi, γλυκυπικρὸς mihi eſt & erit perpetuò μνημη.

Sed ibidem mox ita ſcriptum:

Nam ſi in te ægrotant artes antiquæ tuæ,
Sive immutare vis ingenium moribus,
Aut ſi demutant mores ingenium tuum,
Neq; eos antiquos ſervas, aut captas novos,
Omnibus amicis morbum tu incuties gravem,
Ut te videre audireq; ægroti ſient.

Non fortaſſe malè, quamquam traducendus videri poteſt unus verſus, ut ſententia vaga nectatur, & ταυτολογία ſimul caſtigetur:

Nam ſi in te ægrotant artes antiquæ tuæ,
Ac ſi demutant mores ingenium tuum;
Sive immutare vis ingenium moribus,
Neq; eos antiquos ſervas, aſt captas novos.

Bimembris enim oratio nunc, & ſenſus ſic diſparatus: Sive ſeculi hujus contagio malus evadis, ſive ſponte à bonis deſciſcis. Cujus membrum prius priores duo verſus, alterum duo poſteriores complectuntur. Melior quidem hæc ſtructura: quam valdè probabilem præter alia facit conjunctio nunc verborum *vis* & *captas*. Hæc enim voluntariam utraq; & ſpontaneam malitiam innuunt: præcedentia cauſſam corruptis ſeculi moribus adſcribunt: qui peſtis inſtar omnes inficiant contagio vulgato: atque hoc nomine phraſi metaphoricâ utitur, *ægrotant artes*: quâ eâdem magis allegoricâ utebatur & primâ ſcenâ in apertiore de morbo & morte bonorum querela:

Nam hic nimium morbus mores invaſit bonos:
Ita pleriq; omnes jam ſunt intermortui.
Sed dum illi ægrotant, interim mores mali,
Quaſi herba irrigua, ſuccreverunt uberrimè.

Sed & Lucretius eandem uſurpavit, *Ægrotat ſoma vacillans*: ut à Lambino tamen antè monitum.

Deinceps ſequitur:

Sunt quos ſcio eſſe amicos, ſunt quos ſuſpicor,
Quorum ingenia atq; animos non poſſum noſcere,
Ad amici partem, an ad inimici perveniant.

confuſio etiam ſenſuum diſcrimine: cujus tria membra faciunt libri veteres, repetito verbo ad caput verſus, *Sunt quorum ingenia atque an.* Ut conſtitui tria videantur amicorum genera: & quoſdam ſenex habere ſe amicos dicat, quos ſciat eſſe verè amicos, ut nomen poſſident; alios, quos eſſe tantùm putet; alios denique, quos planè neſciat, amicine potius ſint an inimici. Id enim verbis poſtremis dicit, atque eâ phraſi, ad amici partem, an ad inimici perveniant: quam ita efferas aliter, amicis an inimicis propiores ſint: ut alibi loquitur:

Moſtellar.

Plumâ haud intereſt, patronus an cliens proprior ſiet
Homini, cui nulla in pectore eſt audacia.

Quamquam dubitavi olim, an non *pertineant* potius legeretur. Sed verbo eo *Sunt* recepto ibi, ægrotant numeri: quibus vix alia medicina ſubvenerit, quàm ſubſtitutio *τοῦ nequeo ἀντὶ τοῦ non poſſum*, quæ nimis tamen fortaſſis audax. At hanc temeritatem ſenſus elegantiâ & auctoritate codicum vetuſtiorum redemeris.

Ibidem è veſtigio:

Si quid ſcis me feciſſe inſcitè aut improbè,
Si id non accuſas, tu ipſa objurgandus es, ſcio.

Ver-

Verbum horum ultimum reliquis non adhæret, interjectâ ſequenti perſonâ proximis deinceps jungendum:

Si id non accuſat, tu ipſe objurgandu's. ME. *ſcio,*
Etſi aliâ huc cauſſa ad te adveni, æquum poſtulas.

Pugnat autem Megaronidis hoc reſponſum cum ſuperiore ipſius affirmatione, qua cum deſtinata objurgatione ſe profitebatur ad amicum advenire:

Nam ego deditâ operâ huc ad te advenio. CA. *quid venis?*
ME. *Malis te ut verbis multis multum objurgitem.*

Notes hic quoque Plauti oſcitationem, qui ſibi contraria loqui fecerit eundem: niſi de induſtria putabimus hic nunc ſenem diſſimulare cauſſam adventus ſui: cujus tamen nullam rationem video, & quomodo verò diſſimulare poſſit id quod ſemel antè palàm & apertè erat faſſus? Majore intervallo:

ME. *Emiſtin' de adoleſcente has ædes (quid taces?)*
Ubi nunc tute habitas? CA. *emi atq; argentum dedi.*

ſupervacua parentheſis eſt, quæ & orationem enervat. Abjice, ut vi interrogationum iteratarum roboretur:

ME. *Emiſtin' de adoleſcente has ædes? quid taces?*
Ubi nunc tute habitas?

Neque tam jacentis auris & ſurdi judicii quemquam eſſe putem, qui erectius hoc & rectius vel ipſo auditu non dignoſcat. Subſiſtit poſt interrogationem primam Megaronides, exſpectans reſponſum ab altero: quo perculſo & hæſitante, iterum urget, atque iterum: quo poſtremo etiam, ne poſſit negare factum, occupat redarguere argumento habitationis: & acerbè quærit, in quibus ædibus colat: iſtis ipſis ſcilicet, quas incuſaretur emiſſe. Porrò:

ME. *Mihi quod credideris, ſumes ubi poſiveris.*

ſimile quodammodo Milite:

Dum in regionem aſtutiarum mearum te induco, ut ſcias
Juxta mecum meo conſilia. PE. *ſalva ſumes indidem.*

Neque longulè:

Quoniam hinc eſt profectus peregrè Charmides,
Theſaurum mihi demonſtravit in hiſce ædibus.

Traducito voces, *Quoniam hinc profectus eſt peregrè Char.* verſus gratiâ. Lambinum autem, ſi inſanire cum illo cupis, tum audito mutantem *Cum jam* ex *Quoniam*. Ita hoc ille non meminit eſſe, *poſtquam*, ut infinitis locis, & hujus fabulæ ſuperiore, quem, malâ diſtinctione obſcuratum ibi, legas:

Is rem paternam me adjutrice perdidit.
Quoniam ei, qui me aleret, nihil video eſſe relliqui,
Dedi meam gnatam, qui cum ætatem exigat.

Non datur ratio, cur adoleſcens rem perdiderit: ſed illâ perditâ, poſtquam nil ſuperfuit, ei filiam ſuam Luxuria ſe dicit junxiſſe. Aliquanto inferius:

Gregem univerſum voluit tecum avertere.

Rectius antiqui ſcribunt *ſecum*: atque ita reſcribi volo. Non enim illud ſic dici poteſt, ut alia hujus exempli, *Tecum oro, quæſo*, pro à te. Mox verſum levi trajectione voculæ corruperunt in optima editione, ſic reſtituendum:

Sed nunc rogare ego viciſſim te volo.

Et mox item:

Utrum indicare me ei theſaurum æquum fuit
Adverſùm quàm ejus me obſecraviſſet pater.

Veteres omnes *Adverſum quod*: & accipio. ſic dictum ſcilicet, ut *Præter quod*, *Præ quod*, & plura ſimilia ellipticæ formæ: Statim verò ſic diſtingue potius:

An ego alium dominum paterer fieri hiſce ædibus?
Qui emiſſet, ejuſne eſſet ea pecunia?

Parum hoc refert: non tamen nihil. Non enim id præcipuè cavebat, ne dominus ædium fieret, qui emiſſet: quod caveri non poterat, ſi quis emiſſet: ſed ne theſaurus veniret in ejuſdem poteſtatem, qui dominus ædium eſſet factus. Et theſauri, non ædium ipſarum cauſsâ nolebat ædes alienari. Itaque ſic proponit quæſtionis iſtam partem: In alienumne dominium pateret ædes transferri, ut pecunia ſimul ei cederet, qui emiſſet? Non multis etiam verſibus pòſt:

Sed quid ais? CA. *quid?* ME. *nunc virgo nempe apud te eſt?*
CA. *ita eſt.*

me-

melius diſtinguas: CA. *quid nunc?* ME. *virgo*. Iterum à paucis verſibus illorum fracti mutilatique ſunt quidam:

Qui omnia ſe ſimulant ſcire, nec quidquam ſciunt.
Quod quiſq; in animo habet, aut habiturus eſt, ſciunt.
Id quod in aurem rex reginæ dixerit,
Sciunt, quod Juno fabulata eſt cum Jove,
Quæ neq; futura, neq; facta ſunt, tamen ii ſciunt.

Rem breviter dicam. Singulis verſibus addiderat Plautus in fine verbum *ſciunt*: cujus iteratio totmoda ſummam gratiam loco conciliabat, quamdiu librarii non interceſſerant & contaminarant.
Refingendi igitur à nobis ſic medii duo:

Quod in aurem rex reginæ dixit, id ſciunt:
Quod Juno fabulata eſt cum Jove, id ſciunt.

Deinceps mutatur illud fortè ſine cauſſa:

Omnes mortales hunc ajebant Calliclem
Indignum civitate hac eſſe, vivere.

Nam aut æquivalentia poſuit verba duo Plautus *eſſe* & *vivere*, ſine copula quidem, & diſtincta: aut ſine diſtinctione in diverſum ſenſum accipi voluit *eſſe vivere*, pro eſſe ut viveret aut vivat. Commodè tamen mutabat noſter Gulielmius, *civitate ac ſeſe vivere*. quæ ratio ſi cui probatur, non majore, minore etiam aliquantò mutatione fecerit, *civitate hac & ſe vivere*.
Continuò in iſtis:

Ego de eorum verbis famigeratorum inſcius,
Proſilui amicum caſtigatum innoxium.

Lambinus interpretatione ſua jungit verba *de eorum verbis* cum nomine *inſcius*: non benè, debebat cum verbo *proſilui*. quæ forma loquendi non vulgata ſimilis iſti vulgatiſſimæ eſt, de alicujus ſententia aut conſilio aliquid facere. Quamobrem & comma exterendum poſt ipſum τὸ *inſcius*. Denique minimò ante finem:

Quòd ſi exquiratur uſq; ab ſtirpe auctoritas,
Unde quidquid auditum dicant, niſi id appareat,
Famigerator jure fiet cum damno & malo.

Cenſeo rectius fore *quidque*, pro *quidquid*, quod idem tamen alteri ſuppoſitum quoque infra, Sc. *Huic ego*:

Si unumquidquid ſigillatim & placide percunctabere.

Non dubiè & illic mutari debet. Ultimum autem horum verſum ita pertinaciter jam omnes amplexi retinent ex Camerarii emendatione, quam ego veram nequeo mihi perſuadere. Quis enim venuſtior ſic loquatur, Ego ſum cum damno aut malo? Sed nec Gulielmianam probo, in qua jocus neque tam lepidus, ut videri ille vult, & intempeſtivus. Veram tamen unâ literulâ minus puto, quam addo non pejore jure, quàm ipſe itidem adjecit unam manuſcriptorum Camerarii lectioni, & quidem iſtam eandem prorſus ego addo, cumque ſcribat ille, *Famigeratori res ſit cum damno malo*: porrò ego adſcribo,

Famigeratoris res ſit cum d. & m.

quod vide tamen ut capias rectè. Non enim rem famigeratoris intelligi volo: ſed rem eam eſſe cum damno & malo famigeratoris. Res autem ea eſt idipſum totum, quod præceſſit. Niſi enim in exquiſitione auctoritatis ab uſque ſtirpe appareat, unde quis auditum quidque dicat; id cum famigeratoris malo eſſe debere ſtatuitur; quæ locutio comica prorſus eſt, & paſſim frequentata.

CAPUT III.

Ars & pars. Pendentem ferire. Pendens habena. Pendere in verbera. Munire, munerari. Nox ducitur. Abbibere, procul habere, Expetere. Perpietatem obteſtatio. Conſident. Utrum itane, tmeſis. Homo ſamiliariter prædicatus. Nejuvare. Plauti quædam gemina. Interpunctiones ſæpius redditæ. Palmeriana loci unius atque alterius emendatio firmata, ſed & amplius adjuta. Contra alios nonnulla correcta, explicata. Pleraq; alia recens obſervata.

SCenà *Multa res*, non liquet, nec ſatis cogitatum eſt, utram potius harum lectionem expeteſſam, utram veritati tuendæ arbitrer firmiorem: *artemne an partem* amplecti potius par ſiet, utra in voce plus utilitatis ſit ſcripturæ ad Plautum corrigendum. de hac re mihi ſatis haud liquet: niſi huc ſic faciam opinor, utramque vocem ſimul exputem, judex ſim, actorque ad eam rem. Sed pueriliter nugor amatoris hic adoleſcentis exemplo & verbis in controverſia ut non tanti momenti, ſic neque tanti digna molimento. Nam quantulo diſcrimine voculæ iſtæ diſtant? aut quid intereſt, utram hic legere malis?

Nec ſatis cogitatum eſt, utram potius harum mihi artem expeteſſam.

Utraque ſe defendit & notionis ſuæ vi accommodata, & exemplo uſurpationis. Etenim mox deinde altera legitur:

Utra in parte plus voluptatis ſit vitæ.

Et paullò pòſt item altera:

. . . . *omnium primùm*
Amoris artes eloquar.

Sed quod iſta præceſſit:

. . . . *amori me, an rei*
Obſequi potius par ſiet.

non egeat etiam mutatione. Cur enim *me* hic nolim? Tamen videatur ab auctore ſcriptum, *amorine, an rei*. Cui loco, & ſenſu & ſermone ſimilis ferè Terentianus, Hecyr.

. . . . *fecit animi ut incertus foret,*
Pudorine, anne amori obſequeretur magis.

Ab intervallo pluſculorum verſuum:

Ibi ille cuculus, ocelle mi, fiat, & iſtuc, & ſi amplius vis dari,
Dabitur, ibi illa pendentem ferit: jam amplius orat.

Sæpe Plautus amatores ſtupidos cuculorum appellatione ferit. Exemplo ſit unus Aſinariæ locus, ut aliis afferendis parcam. Sc. *Agedum.*

At etiam cubat cuculus, ſurge amator i domum.

Pendentem hic autem quo ſenſu? an ſuſpenſum curà & incertum, ut vult Lambinus? An alluſione quæ Rudente? Sc. *Exi è fano:*

LA. *Quid ſi attigero?* TR. *extemplo hercle ego te follem pugilatorium*
Factum, & pendentem incurſabo pugnis, periuriſſime.

An ſimpliciore intellectu pendentium, dum virgis cæduntur? ut extremo Caſinæ:

Nulla cauſſa eſt, quin pendentem me uxor virgis verberet.

Sed ſimpliciſſimè potius eſt ex Interpretis opinione. Senſu etiam alio *habenam* ſeu lorariam ſcuticam *pendentem* Horatius dixit, lib. 2. epiſtol. 2. de ſervo ceſſatore:

In ſcalis latuit metuens pendentis habenæ.

Quo ferè aſpectu Virgilius, opinor, etiam aurigam quendam ipſum pendere ait, equorum tergis imminentem:

. . . . *pronuſq; in verbera pendet.*

Continuò autem ſequitur:

. . . . *non ſat,*
Id eſt mali, ni amplius etiam, quod ebibit, quod comeſt,
Quod

Quod facit ſumti, nox datur, ducitur familia tota.

quod niſi turbatum eſt in ordine verborum, ſic videatur emendandum:

Quod facit ſumti, nox datur, munitur familia tota.

Munire enim eſt muneribus afficere, munerari, ut Truculento: Sc. *Quis illic.*

. . . . ST. *ſuam non enim ille meretricalis*
Muniendis rem cogit.

ex diſerta ibi lectione Venetæ editionis petantiquæ à Bucretio meo notata, non tantùm de Palmerii ſuſpectâ ſuſpicione: Sed verba potius hic turbata credam, & ſic trajicienda denuò:

Quod facit ſumti, datur. Nox ducitur.

id eſt, ſi nox impetratur. Omiſſa enim particula conditionalis. Et *Ducere* ſic Plauto frequens.

Truculenti initio:

Si rares noctes ducit, ab animo perit.

Ceterùm reliqua jam, quæ ſubjiciuntur, omnia pendent, neque ſat manifeſtò redditio ſermonis apparet, verbo deficiente:

. . . . *familia tota,*
Veſtiſpicæ, unctor, auri cuſtos, flabelliferæ, ſandaligerulæ,
Cantrices, ciſtellatrices, nuncii, renuncii, raptores panis & peni.

Subintelligi tamen ad poſtrema poteſt, ac credo debet, verbum *ſunt*. Nam ſi nox ducatur, totam familiam, quam particulatim enumerat, ait eſſe raptores panis & & peni, id eſt, rapere ab amature quidquid habeat: quod proxima declarant:

Fit ipſe, dum illis comis eſt, inops amator.

Ulterius porrò:

. . . . *mille modis amor ignorandu'ſt,*
Procul adbibendus eſt atq; abſtinendus.

Scripſit Plautus *abbibendus*: quod ſententia, & alterum verbum requirunt. Quin pugnant invicem *procul* & *adbibendus*. Abhibere autem & Abſtinere venuſtè junguntur in eundem ſenſum, quorum illud non facile alibi reperias eâ cumpoſitione. Simplici non diſſimiliter uſus eſt Salluſtius, ſi rectè memini, cum in hiſtoria ſcribenda cauſſas invidiæ procul habere ſe teſtatur.

Ad finem:

. . . . *boni ſibi hæc expetunt, rem, fidem, honorem,*
Gloriam & gratiam.

bene corrigit neſcio qui: *bonis ibi hæc expetunt, res, fides, honor, Gloria, & gratia.* malè tamen, quia numerorum nullam ducit rationem: qui non ſatis conſtant in pluribus ibidem verſibus: & tota ſcenæ pars extrema ſic foriaſſe concipienda.

. . . . *Sunt tamen,*
Quot miſeret (an *miſerè*) *maleq; habeot, quot tibi feciſti obnoxior.*
Certum eſt ad frugem applicore animum, quamquam ibi animo labos
Grandis capitur, bonis ibi expetunt hæc, res, fides, honor,
Gloria & gratia, hoc probis pretium eſt: eò mihi magis lubet
Cum probis potius, quàm cum improbis vanidicis vivere.

Verbum *expetendi* in eventus ſignificatiune eſſe plures, & nos alibi oſtendimus: ac ſenſum hunc poſcit ac firmat ſibi, quod additur, *hoc probis pretium eſt*. Idem verò verbum non in aliam tantùm ſententiam, ſed & ſcripturam corruptum eſt ſuperius hac ipſa ſcena, ut à Palmerio pridem oſtenſum & correctum:

. . . . *omnium primùm*
Amoris artes eloquar quemadmodum expetant.

Proximâ ſcenâ quod ubique ſcribitur:

. . . . PH. *feceris par tuis ceteris factis, patrem*
Tuum ſi percoles per pietatem. Nolo ego &c.

rectius diſtinguitur in veteri Colonienſi meo.

. . . . *patrem*
Tuum ſi percoles. Per pietatem, nolo ego cum improbis te viris,
Gnate mi, neq; in via, neq; in foro ullum ſermonem exſequi.

Tu non dubita ſequi. Nam obteſtantis eſt *Per pietatem*. Pro *percoles* autem non af-

fir-

firmavero legendum *piè coles*. Porrò deindè:

Cetera; rape, trahe, fuge latè.

poſtremum etiam verbum verbum eſt, non adverbium. Aufer itaque accentum, & commate à proximo inrerſtingue. Non enim latam aut longam fugam præcipit, ſed fugam & latibulum. Forma ſermonis autem ſimilis Pſeudolo. Sc. *Exite*:

Qui hæc habent conſilia, ubi data occaſio eſt, rape, clepe, tene, harpaga,

Bibe, es, fuge.

Mox ibidem ſcripturam etſi oon moveo:

Hæc tibi, ſi mea conſilia capeſſes, multa bona in pectore conſident.

ſollicito tamen. Nam quo ſenſu eſt, *bona in pectore conſident*? Et an non auſim ſuſpicari, *bona in tempore conficient*? Certè, ſi imperiis & monitis ſuis obſequatur filius, utilitates & commoda inde multa promittit ei pater ſuo deinceps tempore percipienda. Niſi credere debemus, *conſident* hic poſitum pro conſidere facient: quomodo *Deſidere* in Appulejo, & in eodem, noſtroque, & aliis plura conſimilia uſurpari interdum ſolita ad Stichum ſuprà notavi. Poſteà:

Utrum id ita ne eſſe mavelit, ut eum animus æquum cenſeat.

Poteſt eſſe tmeſis, *Utrum itane*, pro Utrumne ita. Sed eleganter etiam *ne* ipſum in *ſe* vertas. Pro *id* autem, plane *is* ſcribendum, ut quidam habent. Ut jam hæc ſit lectio:

Utrum is ita ſe eſſe mavelit.

Omnino quoque mox *ſervibit* ſcribes, pro ſervivit. A pluſculis deinde verſibus:

LY. *Ob eam rem hæc, pater, autumavi, quia res quædam eſt, quam volo*

Ego me abs te exorare. PH. *quid id eſt? veniam jam dare geſtio.*

Abuſus eſt hic Plautus voce *venia*, ſi eſt uſus. Nullum enim hic delictum: nec eò trahendum *exorare*. Credo corrigendum,

PH. *quid id eſt? dic. enim jam dare geſt.*

Quod ita ſe orare dicit filius ut velit exorare, id dicere pater jubet ſaltem, quid ſit, & continuò daturum ſe cum prolubio quodam pollicetur. Iterum à pluribus, videtur iſtorum medius ultimi locum, & medii ultimus occupaſſe:

PH. *Edepol hominem prædicatum fermè familiariter.*

Qui quidem nunquam per virtutem rem confregit, atq; eget.

Nihil moror eum tibi eſſe amicum cum ejuſmodi virtutibus.

Nam melius oratio ſenſum ſuum exſequitur hoc ordine:

Nihil moror eum tibi eſſe amicum cum ejuſmodi virtutibus,

Qui quidem nunquam per virtutem rem confregit, atq; eget.

etſi neq; mala altera ſtructura, ſi ad finem medii, non punctum colloces, ſed comma, ut indicetur, ultimo cohærere, qui quidem omnino nihil commercii debet habere cum primo. Prædicatum autem familiariter eò dicit, quia turpem decoctionem æqualis ſui valdè amicè & leniter & comiter extulerat adoleſcens, ut appareret, amiciſſimum & planè familiarem illi eſſe. Nam ſic interpretari malim, quàm cum Lambino, *familiariter* eſſe liberè, ut familiares ſolent: etſi vocem eandem hoc ſenſu Epidici principio fuiſſe ſcio:

EP. *Heus adoleſcens.* TH. *quis properantem me reprehendit pallio?*

EP. *Familiaris.* TH. *fateor, nam odio es nimium familiariter.*

Minus id huc convenit. Non enim liberè & ſine circuitione, ſed timidè & verecunda circumlocutione cauſſam egeſtatis amici ſui Lyſiteles protulerat, aſperam per ſe nec probam ſatis mitigans & ſuco quodam excuſationis exornans. Sic enim ajebat:

. . . . *per comitatem edepol pater,*

Præterea aliquantum animi cauſſa in deliciis diſperdidit.

Non longè inde eſt:

LY. *Deſerere illum & dejuvare in rebus adverſis pudet.*

Neſcio quid verbi hic reponunt ex Feſto, quod Plautus nunquam, nec alius fortè quiſquam, dum Latinè ſcriptum fuit, uſurpavit. Mihi aut vulgatum retinere ſedet, aut reſcribere mutatione literulæ unius *nejuvare*: quod eſt non juvare: for-

ma

ma compoſitionis in pluribus aliis frequentatà, quorum in noſtro creberrimum *nevelle*: atque idem hac ſcena: ſed ibidem porrò minus tritum aliud, *nemulto*, quod ſequenti capite oſtendemus. Nam & pluribus verbis & majore medicina is locus eget.

CAPUT. IV.

***Nemulta**: Poſt Muretum locus Trinumi valdè eximius aliâ adhuc trajectione verſus alterius nunc demum integratus & totus conſtitutus: ejuſdem ſententia inſignior hactenus Interpretes fallens, de ſapientiæ condimento & ætatis cibo, perſpicuè enarrata.*

LAudem ſingularem Muretus invenit apud doctos, qui verſum eadem ſcenâ iſtum:

> PH. *Agedum eloquere, quid dare illi nunc vis? LY. nihil quidquam pater.*

trajectum oſtenderit, & revocarit in inferiorem ſuum locum. Qui minorem ego mihi ſperem, qui & alium ibidem.

> *Sapientiæ ætas candimentum eſt, ſapiens ætati cibus eſt.*

æquè tranſpoſitum demonſtraturus ſim, & æquè in ſedem ſuam inferiorem reducturus: neque hoc tantum, ſed amplius emendaturus, atque etiam explicaturus, à nemine quidem in hunc diem, quod modeſtè liceat, quia vere licet, intellectum. Nam Lambinus, Dii boni! quæ, quot & qualia ſententiarum monſtra finxit? Sed non inſectemur alios: quod boni ipſi afferimus, proponamus. Ab ejus autem verſus unius ſenſu pendet intellectus totius prolixioris loci; ipſius autem à traductione. Prius exhibeamus ordinem & ſcripturam vulgatam. nam & in ſcriptura verborum, tum & perſonarum diſtinctione quædam erunt mutanda.

Sic igitur ubique excuditur:

> LY. *Lesbonico huic adoleſcenti Charmidæ (hujus) filio,*
> *Qui illic habitat.* PH. *qui comedit quod fuit, quod non fuit?*
> LY. *Ne opprobra pater: multa eveniunt homini quæ volt, quæ nevolt.*
> PH. *Agedum eloquere, quid dare illi nunc vis?* LY. *nihil quidquam pater.*
> *Sapientiæ ætas condimentum eſt, ſapiens ætati cibus eſt.*
> PH. *Mentire edepol gnate, atq; id nunc facis haud conſuetudine.*
> *Nam ſapiens quidem pol ipſe fingit fortunam ſibi.*
> *Eone multa quæ nevolt eveniunt, niſi fictor malus eſt.*
> *Multa eſt operá opus ficturæ, qui ſe fictorem probum*
> *Vitæ eſſe agendæ expetit.* LY. *ſed hic admodum adoleſcentulus.*
> PH. *Non ætate, verùm ingenio adipiſcitur ſapientia.*
> LY. *Tu modo ne me prohibeas.*

Cedò, quis hæc intelligere ſe commodè, aut intelligi poſſe, quam diu ſic ſcribuntur, affirmabit? Ἀνακόλουθα ſunt, & cohærent ut funes ex arena nexi. Atque hoc quis audebit negare? Contrà quis omnia apta invicem & plana non fatebitur poſt hanc noſtram reſtitutionem?

> LY. *Ne opprobra, pater. Multa eveniunt homini, quæ volt, quæ nevolt.*
> PH. *Mentire edepol, gnate. atq; id nunc facis haud conſuetudine.*
> *Nam Sapiens quidem pol ipſe fingit fortunam ſibi.*
> *Eò nemulta, quæ nevolt, eveniunt, niſi fictor maluſt.*
> LY. *Multá eſt operà opus ficturæ, qui ſe fictorem probum*
> *Vitæ agendæ eſſe expetit: ſed hic admodum adoleſcentuluſt.*
> PH. *Non ætate, verùm ingenio adipiſcitur ſapientia.*
> *Sapienti ætas condimentum eſt, ſapiens ætati cibuſt.*

Agedum eloquere, quid dare illi nunc (ſ. nam) vis? LY. nihil quidquam, pater:
Tu modò ne me prohibeas accipere, ſi quid det mihi.

In eundem locum tetractos eſſe vides utroſque aberrantes verſus, qui quidem vulgato etiam ordine ſe conſequuntur, ſed illo inverſo. Præcedit enim qui poſterior eſſe debet. quam commutationem eveniſſe in traductione mirum nihil eſt: illud valdè mirum, cum unius ſedem legitimam vidiſſet Muretus, alterius ſimul non vidiſſe. Sed non potuit, cum caligaret in ſententia verſus noſtri de condimento ſapientis & cibo ætatis, in quo ex *ſapiens* faciebat etiam *ſapientia*, cum contra debuerit *ſapienti* ex *ſapientiæ*. Nam diphtongus ultima adhæſit fini prioris hujus vocis a principio ſequentis *ætat*. Germanus autem ſenſus in eo hic eſt: Ætas ſapienti velut pro condimento eſt, qui ipſus ætati pro cibo. Sapiens non ab ætate ſapit, ut cibus a condimento non eſt cibus: ſed ætas accedens hoc ſapienti præſtat, quod condimentum cibo. Sapientia ab ingenio eſt: ætas autem illam mitigat, ad maturitatem perducit, meliorem mollioremque reddit, planè ut cibus à condimento perficitur, & gratior efficitur tantum, ipſe aliàs per ſe conſtans. ita quod condimentum cibo eſt, id ætas ſapienti aut ſapientiæ. Nam non pugnem de mea ibi lectione contra Muretinam: & videri poteſt elegantius, ſi ipſa ſapientia cibus dicatur, & ejus condimentum, non ſapientis, ætas. Utrum males, ſententia manet eadem: & res ipſa clamat, hunc adeo verſum reſpicere ad iſtum, imo ex iſto duci:

Non ætate, verùm ingenio adipiſcitur ſapientia.

Quia enim ſic filius ſodalem ſuum excuſabat, adoleſcentulum adhuc eum eſſe, & proinde non ſapere ſatis; pater infert contra, non ab ætate ſapientiam proficiſci, ſed eſſe ab ingenio: neque qui ſapiens ſit, ei quidquam ætatem conferre præter aliquod condimentum. Atq; ibi comparationem hanc mutuam facit cibi ad ſapientiam, condimenti ad ætatem; ac rurſum ſapientiæ & ætatis ad cibum & condimentum. Sed breviter etiam ſuperiora enarremus, ut totus locus ſimul illuſtretur, & appareat magis in aperto veritas emendationis, arctaque & apta hujus ordinis ſequela. Cum nomen elocutus eſſet Lesbonici Lyſiteles æqualis, erumpit ſtatim ſenex in convitium gulæ illius, & hinc probroſæ egeſtatis. Id ille avertere nititur, & exprobrari non debere ait, quia fortuna ſua homini non ſit in manu, multaque temerè eveniant tam quæ nolit, quàm quæ velit. Hoc ſenex rurſùm negat, & mentiri ait natum præter conſuetudinem. Non enim a fortuna, ſed ſapientia cujuſque vitæ modum, & ſuæ quemlibet ipſum fortunæ eſſe fabrum, eique non evenire cuiquam multa, quæ nolit, niſi malus ſit fictor. Hic enim illud *nemulta* prorſus in hunc ſenſum & eam, quam dixi, formam: quod non animadverſum impulit eundem Muretum in temerariam mutationem: qua ſententiam quidem relinquit, verba tamen ſua eripit auctori, & verſum ipſum decurtat ac mutilat toto pede. Ceterùm ad ſenis illam ſeriam, & Philoſophicam fortunæ refutationem, excolatiunculam petit adoleſcens ab ætate. Nam difficilem & multæ operæ ficturam eam eſſe, neque niſi longo uſu & experientia probum aliquem exiſtere vitæ agendæ magiſtrum: illum autem amicum ſuum adhuc eſſe peradoleſcentem. Tum ſenex ætatis etiam objectionem removet, & oſtendit a ſemet & ingenio ſuo quemque ſapere, non ab annis: idque oratione figurata illa, quam ſatis expoſuimus modo. denique ne longius obnitatur filii deſiderio, jubet tandem tamen, utcunque hæc ſint, eloqui, quid exorare ſe velit & æquali ſuo dare. qui non dare quidquam illi, ſed ab ipſo accipere velle ait, niſi prohibeatur: exemplo & ratione nova juvandi alium, ſine ſuo impendio, & verò cum diſpendio ipſius. Hæc eò uſque ſic aguntur: quæ tam clara nunc & perſpicua, tamque elegantia & lepida, nihil ut in iis quiſquam vel non comprehendere ſatis, vel reprehendere poſſit ullo modo. Atque eo uno loco caput hoc conſtet, digno, qui ſolus integrum ſibi vendicet, nec cui debeant adſtrui alia laviora, quibus devenuſtetur.

CA-

CAPUT V.

Quaſi, pro Quamſi. Quaſi ſi. Quaſi ut. Tamquam ſi. Ibidem unà trahere. Eodem & juxtà ponere. Opino. Exigi rem aliquam. Convenit me, ut decet me. Trinumo verſus aliquot expleti, diſtincti: verba etiam nonnulla mutata. Simul aliæ leves emendationes, in Mercatorem & Militem noſtri, tum & in Martialem, ſingulæ.

NEmpe ſunt etiam nunc ibidem leviora quædam, & tanti vix, ut notentur. Tamen duo apponamus.
Verſus iſte ſic plenus eſt:

> PH. *Egone indotatam te uxorem ut patiar?* LY. *patiundum eſt pater.*

cui alibi *te*, alibi *te* detraxerunt malè. Non autem malè retinebitur illic ſanè lectio vulgaris:

> *Verùm ego quando te & amicitiam & gratiam in noſtram domum*
> *Video allicere, etſi adverſatus tibi fui, iſtac judica.*

Sit enim *iſtâc judica*, in illam partem cenſeo. Tamen fortè mutaris melius & ſic diſtinxeris:

> . . . . *etſi adverſatus tibi fui iſtoc ſedulò,*
> *Tibi permitto: poſce, duce.*

Concinnior ſententia eſt: nec ſcriptura nimis mutat ab antiqua. Non enim eadem antiqua, quæ in libris novis. Porro jam Sc. *Non optuma.* variatur in diſtinctione verſuum ultimorum:

> *Sed aperiuntur ædes, quò ibam commodè.*
> *Ipſe exit Lesbonicus cum ſervo foras.*

ſed æquè bene eum verbo *aperiuntur*, atque cum *exit* jungitur adverbium *commodè*: quod non debet eum *ibam*. Non enim eadem illud & alterum *commodùm*: quod quidem huic verbo conveneris magis. Scenâ *Minus quind.* non legit hoc Nonius, ut vulgò:

> . . . . *confit citò,*
> *Quam ſi tu objicias formicis papaverem.*

quod tamen non abſurdum, omiſſo comparativo *magis*, ut ſolet, aut, quod æquè ſolet, particulâ alterâ *tam*. Ille autem, *Quaſi objiciat*: unde alius vult, *Quaſi tu objiciat*. Si quid mutandum, & Nonio fidendum, non equidem illud *tu* addiderim, quod infartum aliunde apparet: ipſam potius poſteriorem ſyllabam *ſi Quaſi* geminarim: *Quaſi ſi objic.* cujus geminationis elegantis exempla dedimus quædam ad Aſinariam, unde petentur. Eadem verò fuerit fortaſſe Mercatore Sc. *Profectò*:

> *Nam mea quidem animo vetulus decrepitus ſenex*
> *Tantidem eſt, quaſi ſi ſignum pictum in pariete.*

Ubi vulgò *quaſi ſit*. Fortè & Martialis epigrammate 8. lib. 2.

> *Iſta tamen mala ſunt: quæ ſi manifeſta negamus,*
> *Hæc mala ſunt: ſed tu non meliora facis.*

Etenim legerim:

> *Iſta tamen mala ſunt. quaſi ſi manifeſta negemus.*

Prorſus hoc ita uſurpabant, ut *Niſi ſi*. Solent & alia in hanc faciem jungi, ut *quaſi ut*, de quo dicto prius loco; & *tanquam ſi*, quod ubique paſſim & apud Gellium lib. 7. cap. 18. *Commentitia conſilia regreſſi eadem die, tamquam ſi ob aliquam fortuitam cauſſam iſſent*. Sed Nonii lectionem poſſis aliter etiam aptare. *Quaſi* enim ſæpe reperias poſitum pro vulgato *Quam ſi*, unde ipſum formatum videatur. Aulular. Sc. *Præſagibat*.

> *Tu me bos magis haud reſpicias, gnatus quaſi nunquam ſiem.*

Et

Et Curculionis initio:

PH. *Tam à me pudica eſt, quaſi ſoror mea ſit.*

Atque ita fortè potius & Caſinæ Prologo.

Quaſi ſi eſſet ex ſe nata, non multò ſecus.

Certo quidem ita corrigendum Milite, ſcenâ quæ indidem incipit:

Sotis' abiit ille, neque herile negotium
Plus curat, quàm ſi non ſervitutem ſerviat?

Propter numeros alii negantem particulam non traſmutant in *bond*. Potius ſcribe, *quaſi non*. Atq; id verba ſibi fieri plura non deſiderat. Trinumo noſtrâ & eadem ſcenâ ſequitur:

ST. *Quid quod dediſti ſcortis?* LE. *ibidem unà trabo.*

Quem loquendi modum & ſuperius habuimus, Sc. *Larem*:

Atq; egomet me adeò cum illis unà ibidem trabo.

Confer, ut collata loca facilius capias, & elegantiam magis notes, fugiaſque mutationem, quam Lambinus in Commentariis invehit hoc loco, *totidem* legens: manifeſtò ſcilicet contra prius exemplum: atque ergo contra verum. Neque verò diſſimilis huic locutio iſta Curculione, Sc. *I tu ſtræ.*

Eodem herele vos pono & poro. pariſſimi eſtis ibus.

Iſti quidem gemina Val. Maximi lib. 3. cap. ult. *Metu violentæ mortis amicos inimicoſq; juxtà ponere*. Deinde:

PH. *Pol opinor affinis noſter ædes vendidit.*

Obſervant alii Plauto crebrum *opinio*: quod hic quoque fuerit, numeris ſic nonnihil ſuadentibus. Et mox:

LE. *Nempe quas ſpopondi.* ST. *imò quas dependi inquita.*
Quo ſponſione pronuper tu exoctus es.

Ambigunt inter ſe viri docti de germana lectione. *Quam ſponſionem* non accipio: non enim & *pronuper*. ſacilius *Qua ſponſione pro*. Sed id nondum plenæ germanitatis. Adde literulam unam, à ſimili proxima interverſam:

Quat ſponſione pro nuper tu exactus es.

quas minas nuper exactus es pro ſponſione. Locutio alibi eadem: & ex Cæcilio affert Nonius,

Ego illud minus nibilo exigor portorium.

Multis interiectis, verba verſus ſic ordina:

ST. *Verum herele hic dicit.* LE. *oculum ego effodiam tibi.*

Et poſt pauca:

PH. *Quid tunc, ſi in ædem ad cœnam veneris.*

Alibi *tum*. Tu facito, *Quid tu*. Poſt pluſcula:

. . . . verum nos homunculi
Salillum animæ, qui cum extemplo amiſimus.
Æquè mendicus atq; ille opulentiſſimus
Cenſetur cenſu ad Acherontem mortuus.

De *Solillo* non turbo: *quam* verò, non *qui* legendum putem, & forſan *emiſimus*; hoc tamen non tam neceſſe. nec item, ut *Æqua* ſcribatur & ad *cenſu* referatur. In ſententiam hanc ipſam multi multa ſimilia dixerunt. Sed cum iſtis & ſequentibus pulchrè Phocylidis verſus conſentiunt, adſcribendi etſi vulgares tamen:

Πλούτῳ μὴ φείδου· μέμνησ' ὅ, τι θνητὸς ὑπάρχεις.
οὐκ ἔστ' εἰς ἅδην ὄλβον ἔχειν, καὶ χρήματ' ἄγεσθαι.
πάντες ἴσοι νεκύων. ψυχῶν δὲ θεὸς βασιλεύει.
κοινὰ μέλαθρα δόμων αἰώνια καὶ πατρὶς ἅδης,
ξυνὸς χῶρος ἅπασι, πένησι τε καὶ βασιλεῦσιν.

Inferius:

ST. *Noſtramne nutricem, here, quæ nos educat,*
Abalienare à nobis?

Aut ipſum verbum cum quibuſdam, *here vir*, *quæ nos ed.* aut in paullo alium habitum flexo ſermone provocabulum *te* inſere, ut verbum aliud ſubintelligatur:

Noſtramne te nutricem h. q. n. ed.

Mi-

Mirum verò ubique *cujum* in iſtis retineri:

ST. *Neque uſquam quiſquam eſt, cujus ille ager fuit,*
Quin peſſimè ei res verterit, cujum fuit.

eum vix quidquam manifeſtius & certius, quàm *cujus*. Longè hinc:

ST. *Quin hic quidem cupit illum ab ſe alienarier,*
Si quidem reperire poſſiet, cui os ſublinat.

Ne bis uno loco ſit idem *quidem*, melius altero verſu feceris *Si quem*. Mox:

PH. *De dote mecum convenire nihil potes.*

Veterum alii *poteſt*, unus *conveniri*. Utrumq; ſimul recipio: *mecum conveniri nihil poteſt*. Elegantius id vulgato. Statim autem illud bis interpunges interrogationis duplici notâ:

Quid nunc? etiam conſulis?

Poſt aliquanta:

LE. *Tu iſtuc cura quod juſſi, jam ego hic ero,*
Dic Callicli me ut conveniat.

Indecorè adoleſcens cupit ad ſe venire ſenem. Sed eam ſententiam non eſſe puto. Nam alia fuit fortaſſis additurus, niſi ſervus interrupiſſet, in hanc mentem: Dic Callicli, ut ſeu quomodo me dotem ſorori quærere conveniat, aque ut ipſe de eadem videat: quod quidem diſertè ſubjungit. Quin imò nihil defuerit: & *ut me conveniat* valere poteſt, quomodo me deceat. Nam ſic noſter alibi verbum id cum accuſandi caſu jungit. Mercatoris ultima ſcena:

Itidem ut tempus anni, ætatem aliam aliud factum convenit.

Atq; idem hic eſſe, jam mihi perſuaſi. Mox provocabulum ἀρχαικῶς abundans extruſerunt, quod repono verſus etiam cauſsâ:

LE. *Nam certum eſt me ſine dote haud dare.* ST. *quin tu i modo.*

Brevior item is verſus:

LE. *Meam negligentiam.* ST. *i modo.* LE. *ó pater.*

quem facilè expleveris, ST. *quin i modo*. Aut poteſt iteratò ſcriptum fuiſſe alterutrum horum, *i modo*, vel *ó pater*. Utrumque enim valdè ſervierit vehementiæ affectus & orationis.

CAPUT VI.

Celeri, grandi, vegrandi gradu eſſe. Exignavero verbum nihili, interpolatum. Facileſt, pro facilis eſt. Gravis & levis. Acer ad ſummos bellatores, Grammaticus ad Scaurum, Rhetor ad Probum, & ſimilia. Mutatæ ſæpius perſonæ in illuſtribus alicubi locis, de quorum ſententia & diſputatum. Verba interdum tranſpoſita: diſtinctiones item concinnatæ. Fragmentum corruptum integrum in ipſa Comœdia monſtratum. Collatus Plautus ſibi, & Auſonio: qui eadem operâ emendatur.

SC. *Quomodo* nihil reliquerunt nobis, niſi quòd diverſitatem lectionis præterierunt in phraſi vulgata, quæ rariore alterâ poterat mutari:

Neſcio quid non ſatis inter eos convenit: celeri gradu
Eunt uterque.

Nam *Saut* pro *Eunt* elegantius legitur. atque ita Plautus ſæpè Sticho:

. . . . *ita celeri curriculo fui*
Properè à portu tui honoris cauſſa.

Epidico: *Dii immortales te infelicitent, ut tu es gradibus grandibus.*

Idem Clitellariæ fragmento:

Nimium es vegrandi gradu.

Proximâ huic ſcenâ rectum poteſt eſſe:

LY. *Egone?* LE. *tu næ.* LY. *quid malè facio?* LE. *quod ego nolo,*
cum id facit.

Sed rectius & venuſtius ſit detractâ literulâ, *qui malè facio?* non alia ratione, niſi quia reſponſio magis interrogationi tali apta. Mox perſonas video malè permutatas:

LY. *Scio ego & ſentio ipſe quid agam, neq; à me officium migrat,*
Nec tuis depellor dictis, quin rumori ſerviam.
LE. *Quid ais?* LY. *nam retineri nequeo, quin dicam ea quæ promeres.*

Non Lyſiteli quidquam Lesbonicus, ſed huic contrà ille conſulit & ſuadet, quod hic ſpernit & averſatur, ipſo ſibi ſua opinione ſatis ſapiens, & officii ſui gnarus: quod ſcilicet idem & anteà de ſe prædicarat:

LY. *Tuæ rei benè conſulere cupio.* LE. *tu mihi es melior, quàm egomet mihi?*
Sat ſapio, ſatis in rem quæ ſint meam ego conſpicio mihi.

Atque idem rumori ſervire ſe nunc dicit, ne in crimen & infamiam apud populum veniat; quod infrà diſertius exponit:

LE. *Nolo ego mihi te tam proſpicere, qui meam egeſtatem leves,*
Sed ut inops infamis ne ſim, ne mihi hanc famam differant,
Me germanam meam ſororem in concubinatum tibi
Sic ſine dote dediſſe magis quam in matrimonium.

Sic nempe rumori ſervit, cum hanc infamiam cavet. quamquam & alter ſervire dici poſſit itidem rumori, qui poſt metuit & præcavet aliam famigerationem:

Mea opera hinc proterritum te, meaq; avaritia autument,
Id me commiſſurum ut patiar fieri, ne animum induxerit.

Verùm in Lesbonicum hæc cautio hic magis convenit, & ratio prior de conſilii & beneficii repudiatione prorſus evincit, illi verba iſtæc, & reliqua inter utrumque ſic tribuenda;

LE. *Nullum beneficium duco eſſe id, quod cui facias, non placet.*
Scio ego & ſentio ipſe quid agam, neq; à me officium migrat,
Nec tuis depellor dictis, quin rumori ſerviam.
LY. *Quid ais nam? retineri nequeo, quin dicam ea quæ promeres:*
Itane tandem &c.

Quæ ſequens objurgatio & ipſa validiſſimè ſententiam noſtram probat. Inſpice tantum & expende. In ea verò diſtinguenda ſic iſta porro cenſeo & legenda;

Tibi paterq; avoſq; facilem fecit & planam viam
Ad quærendum honorem: tu feciſti ut difficilis foret
Culpa maximè & deſidia, tuis quàm ſtultis moribus
Præoptaviſti amorem tuum uti virtuti præponeres.

Et ſtatim deleri forte debet interiecta Lesbonici perſona, ut idem ille continuet ſermonem ſuum à reprehenſione in adhortationem delabens:

Nunc te hoc pacto credis poſſe obtegere errata? ah non ita eſt.
Cape ſis virtutem animo & corde expelle deſidiam tuo.

Et profectò, quamquam non importunè interrumpat orationem caſtigatoris ſui Lesbonicus, eamque partem accuſationis refutet: omnino tamen nihil interlocutus fuiſſe, nec antè locutus quidquam videtur, quam patienter auditis omnibus integram defenſionem orditur iſthinc:

LE. *Omnia ego iſtæc, quæ tu dixiſti ſcio.*

Ubi quod mox ſequitur *vel exſignavero*, quid ei verbo faciemus? Incorruptum eſſe, commodeque explicari poſſe, non credo. Nam Lambinus quidem ineptiſſimè interpretatur. Mihi veniam eruditi dabunt, divinationem animi mei propoſituro, quam non abſurdam neque temerariam, etſi veram fortaſſe minus, eò uſq; amplectentur, dum alius eruerit veriorem. E literis *vel ex*, facio *vebex*, ſive *vibex*: è reliquis aliud deinde, ſicq; audeo reſcribillare:

LE. *Omnia ego iſtæc quæ tu dixiſti ſcio, vibex ignaviâ*
Ego ut rem patriam & gloriam majorum fœdarim meûm.

Quid? an abſimile verò eſt, Lesbonicum repetiſſe convitium ſui in ſe reprehenſoris? à quo *vibex* quidem ſuperius appellabatur:

Itane tandem majores famam tradiderunt tibi tui.
Ut virtute eorum anteparta per flagitium perderes,
Atq; honori poſterorum tuorum ut vibex fieres?

Nam

Nam vetam illic Camerarii conjecturam nemo dubitat hactenus, aut negat. De *ignavia* pariter quadrat, literas, ſive ſenſum ſpectes. Deſidia enim maximè illi pro culpa objicitur, à qua fit omne deinceps malum. Præceſſit:

> . . . . *tu feciſti ut difficilis foret.*
> *Culpâ maxime & deſidiâ.*

Atque eadem ſæpius hic paſſim incuſatur. Non tamen nimis emendationi toti fido, quam timidè attuli, & æquis doctiorum judiciis ſubmitto. Inde longius aliquanto vulgatur:

> *Si iſtuc ut conare facis indicium, tuum incendes genus.*

Et emendatur *incendium*, pro *indicium*. Mihi tranſpoſita magis videtur una vox, in ordinem ſic redigenda:

> *Si iſtuc, ut facis indicium, conare; tuum incendes genus.*

Si facturus es, inquit, quod dicis, incendes tuum genus. Ibidem vero mox:

> LE. *Facile eſt inventu. datur ignis, tametſi ab inimicis petat.*

Vide, ne legendum *Facileſt*, quod contrarium ex *facilis eſt*. de igni quippe dicitur. Solita aut ſic contrahi aut elidi talia multa & ſcribi oſtendimus aliquot locis, ſed maximè ad Amphitruonem, ubi ſimilia plura, & ipſam omnium rationem vidiſti, aut vide. Quod hic autem de igni; de aqua dixit auctor Rudente Sc. *Quis eſt qui.*

> AM. *Cur tu aquam gravare amabo, quam hoſtis hoſti commodat?*

Ubi *hoſtem* non eſſe pro peregrino, ut quidam arguiatus eſt, ſed vulgata ſignificatione, arguerit hic poſita vox *inimicis*. Etſi non pernego, venuſtè peregrinum civi opponi, quoniam de hoc quidem contra ſubjicitur ibidem:

> SC. *Cur tu operam gravare mihi, quam civis civi commodat?*

Heic deinceps perſonæ mutant in veteribus:

> LY. *Numquam erit alienis gravis, qui ſuis ſe concinnat levem.*
> *Sicut dixi faciam: nolo te jactari diutius.*
> *Tanto meliuſt te ſororis cauſſâ egeſtatem exſequi,*
> *Atq; eum agrum me habere, quàm te, tua qui toleres mœnia?*

Nam priores verſus duos Lesbonico etiam relinquunt, tertio demum Lyſitelem præſcribunt. Optimè, veriſſimè. Sed emendandum præterea à nobis *Tandem* pro *Tanto*.

> . . . . *egere illum autem, ut me meritò oderit.*
> *Numquam erit alienis gravis, qui ſuis ſe concinnat levem.*
> *Sicut dixi, faciam: nolo te jactari diutius.*
> LY. *Tandem meliuſt te ſor. &c.*

Lesbonicus de toto & agro decernit, nec amplius vult ſibi contradici: tum alter ſtomachabundus proclamat, & validiſſima objectione adverſarium premit. Qua in re languet ac jacet *tanto*, *tandem* viget, & vegetat orationem. Nec de utravis reſtitutione, ſive verbi, ſeu perſonæ dubitandum. Ceterùm Lesbonici dictum ambigui ſenſus eſt: & Lambiniana explicatio rei non ſatis apta. aptior fuerit, ſi *gravem* interpreteris argutiuſculè gratum & acceptum, *levem* contrà ingratum & minus carum. Quomodo videri poteſt utrumque & alibi uſurpatum: alterum neſcio qua fabula ſuperiore, ubi fuit:

> *Bonis quod bene fit, id eſſe & grave & gravidum ſolet.*

alterum proximâ Truculento:

> . . . . *metuo, ſi tibi*
> *Denegem quod me oras, ne te leviorem erga me putes.*

Sed neutribi illorum locorum ſic planè eſſe contendo: ne hic quidem affirmo. Aptior enim adhuc alia ſententia, quod ſimplicior, omniumq;, ut cenſeo, veriſſima: Nunquam alienis moleſtus & odioſus erit, qui ſuis ſe tolerabilem præbet. Id in rem præſentem ita convenit, ut non poſſit aliud magis. Nam nolle ſe ſorori iniquum eſſe ait aut exoſum facere: & hoc qui ſtudeat in ſuos, eum idem facile cavere in alienos. Inferius porrò ſecus aliquanto, quàm bene diſtinctum eſt:

> LY. *Scio equidem, te animatus ut ſis video, ſubolet, ſentio.*

Certè enim concinnius:

> LY. *Scio equidem te, animatus ut ſis: video, ſubolet, ſentio.*

Lon-

Digitized by Google

Longius etiam:

Fulmentas jubeam ſuppingi ſoccis, non ſiſti poteſt.

Inter fragmenta collocarunt priorem verſus partem aliquantulum corruptam, *Fulmentas jubeam ſupponi ſoco.* quam hinc correctam inde exime.
Denique ibidem mox:

Credo ad ſummos bellatores acrem fugitorem fore,
Et capturum ſpolia, ibi illum qui meo hero adverſus venerit.

Veteres quidam *ſibi*, pro *ibi*: æquè benè, & nullo diſcrimine, ſi comma præcedens deleatur. Nam ſpolia capturus dicitur non herus, ſed qui hero venturus ſit advorsùm. Ac in prioribus non accipiam ſimplicem fugam ad bellatores, ſed acrem fugitorem adoleſcentem, comparatum ad ſummos bellatores. quæ loquendi forma & Captivis:

Nam ad ſapientiam hujus ille nimius nugator fuit.

Id eſt: Si Thaletem compares cum hujus ſapientia, nugator ille fuiſſe videri poteſt. Imò enim paullò erit alius adhuc acutior ſenſus, ſi interpretemur *acrem ad ſummos bellatores*, qui ad ſummos bellatores acritudine ſua accedat, aut ipſos æquet. id quod pulcherrimum dictionis genus & hoc loco feſtiviſſimum. Nam æquiparare ſervus herum ſuum videtur velle bellatoribus ſummis arte & fortitudine bellica: cum præter exſpectationem ſubjicit, fugiendi ſtudio illos æquaturum, & laudem in contrariam partem poſſeſſurum. Similitudinem autem ejuſmodi notari illo *ad*, exemplis liquet. Auſonius, qui eâ formâ præcipuè delectatus in Profeſſionib. de Staphylio:

Grammatice ad Scaurum, atq; Probum promtiſſime Rhetor.

ubi bis fortè fuit idem *ad*, ſcripſitque auctor etiam *adq; Probum*. Idem ibidem de Nepotiano:

Et diſputator ad Cleanthen Stoicon.

Cujus & illud ferè hujuſdem generis erit in Dedicatione operis ad Syagrium, ſi corrigatur:

Nec fora non celebrata mihi: ſed cura docendi
Cultior: & nomen Grammatici merui:
Non tam grande quidem, quo gloria noſtra ſubiret
Æmilium aut Scaurum, Beritiumq; Probum:
Sed quo noſtrates Aquitanaq; nomina multos
Collatus, non & ſubditus, aſpicerem.

Nam legendum equidem arbitror *Æmilium ad Scaurum*. etſi præpoſitio hic magis ipſum reſpicit verbum *ſubiret*, quod eſt, adſcenderet. Non adſcendiſſe & extuliſſe ſe gloriam ſuam ait ad Scauri & Probi, quibus præcipuis plerumque comparare ſolet, quos eximiè vult laudare. Simul ibidem etiam *multis* verſu proximo ſcribe. Non enim noſtrates multos, inquit, aſpexi, ſed & hos & præterea Aquitanos, ita tamen, ut multis collatus, non etiam ſubjectus. id eſt, æquo gradu pleroſq; vidi.

CAPUT VII.

Jurator, pro Cenſore. Multa in verbis mutata, neq; pauca in explicationibus aliorum, quæ rejectæ. Perſonæ aliter alicubi diſtributæ. De locorum aliquot inſignium emendatione, tum illuſtratione, ſedulò agitatum & decretum.

SEquente ſcena *Ut mihi*, locis duobus mutarunt perſonarum flexus in verbis, quorum bina ſecundâ, unum primâ effertur in libris veteribus: In novis utrobiq; contrà, hoc ſecundâ, illa primâ. Quo diſſentiens fit inter ſenes collocutores ſenſus, & vices conſiliorum malè convertuntur. Igitur quod hodie ſic ſcribitur:

ME. *Vide ſi hoc utibile magis atque in rem deputas,*
Ut adeam Lesbonicum, edoceam, ut res ſeſe habet.

ex

ex olim cuſis reſtitui debet,

Ut adeas Lesbonicum, edoceas, ut res ſe habet.

Conſilium Megaronidæ eſt, non ut ipſe, ſed Callicles adeat & edoceat adoleſcentem. Ipſi enim cum illo nihil rei. Et huic ita ſuaſiſſe, patet ex ejus reſponſione:

CA. *Ut ego nunc adoleſcenti theſaurum indicem?*

Contrà Callicles paulò pòſt in hodiernis libris orat aliatum, ut argentum ab amico ſibi mutuum roget:

. . . . CA. *clam deprimi poteſt,*
Dum occaſio ei rei reperiatur: interim
Ab amico aliquo alicunde argentum in dotem roges.

At antiqui *rogem* habent, & ipſum Calliclem faciunt hoc conſilium ſuum decernere ſibi exſequendum. Et rectè, patet ex ſequentibus, quæ adſcribere nihil opus. Eadem ſcenâ:

Ignota facies, quæ non uſitata ſit.

ſcribendum omnes videant, & παραγράφουσι tamen omnes, *facie*. Ibidem eſt alias *viſitata*, quod crediderim germanum, ſimiliter ferè uſurpatum Pſeudolo, Perſa, Epidico, Curculione: quæ loca alii notarunt.

Scenâ, quæ deinceps, *Salſipotenti*.

. . . . *nam abſq; foret te, ſat ſcio in alto*
Diſtraxiſſent diſq; tuliſſent ſatellites tui me miſerum fœdè,
Bonaq; omnia, item unà mecum paſſim cæruleos per campos.

Scribe, *Bonaq; omnia ibidem unà mecum.*

Ibidem: *Apage me ſis. dehinc certum eſt otio me dare: ſatis partum habeo.*

Legendum aut *Apage te ſis*, aut inſerta præpoſitione *à me*. Vulgatum nugatoriè Lambinus interpretatur. Abire Neptunum jubet, eum quo nihil deinceps ſibi futurum. Porrò ſcenâ *Huic ego*, malè Gulielmius noſter hic:

Dabo operam, ut me eſſe ipſum planè ſycophantam ſentiat.

mutabat *ipſus*. Alterius vim non perſenſit, quæ in hoc nulla. Dicit Sycophanta, ſe conductorem ſuum ornamentis circumducturum, adeoq; facturum, ut ſentiat revera Sycophantam eſſe ſe, quem ſimulare jubeatur: ipſum ſcilicet illum ſe fore, pro quo ſit exornatus, verum, non fictum.

Sequitur ab intervallo:

CH. *Quid adoleſcens quærit? quid vis? quid iſtas pultas?* SY. *heus ſenex,*
Cenſus conjuratori ſi rectè rationem dedi.

in quod mirificè contortuplicata exſtat interpretatio Lambini cum Turnebo *cum juratori* legentis. Hoc fortè non malè. *Jurator* omnino pro cenſore, non tam dictus ideo, quòd ipſe juraret, ſed quòd alios ſub juramento ex animi ſententia, cenſeret. Neſcio tamen ſi non hic *conjuratorem* pro collega juratoris ſive uno ex juratoribus auctor dixit. Ad cenſoriam quidem rem alludit ſimili prorſus modo, Pœnuli prologo:

Nomen jam habetis: nunc rationes ceteras
Accipite. nam argumentum hoc hîc cenſebitur.
Locus argumento eſt ſuum ſibi proſcenium:
Vos juratores eſtis: quæſo operam date.

Ubi juratores in diverſum ſenſum vir doctiſſimus interpretatur teſtes, qui produci jurati ſolent. Cui nemo animum vel aures commodabit. Apertè luditur in comparatione cenſionis. Argumentum fabulæ quaſi cenſetur: cenſendi locus proſcenium eſt: Cenſores ſive juratores populus & ſpectatores. Hi rationes accipiunt, ferente & dedicante Prologi actore. Pariter jam in Trinummo, cum rationes adventus & petitionis à ſene poſceretur Sycophanta, velut indignè ferens in ſe inquiri, quid tu, inquit, me rationes poſcis? Cum cenſus ſum, tum juratori rectè dedi. neque minus dat tamen ſtatim. Hæc loci germana ſententia eſt, quàm facilè verba conficiunt, in hunc modum leviter etiam correcta:

Cenſus cum ſum, juratori rectè rationem dedi.

Quo jure *cum* alii fecerunt, eodem ego *ſum* addo. *Si* autem deleo ex veterum editionum auctoritate. Poſt plura:

SY. *Pater iſtius adoleſcentis dedit has duas mihi epiſtolas*
Lesbonici. CH. *mihi eſt amicus. tenea hunc manifeſtarium.*

Ambigo de verbis, *mihi eſt amicus*, utrius ſint, Charmidis, an Sycophantæ. Illius eſſe videantur ex inſeriore loco:

CH. *Ne male loquare ei præſente amico.*

Sic enim Lambinus edidit, cum vulgo *præſenti* ubique. Sed hujus ſunt potius, & verior illic lectio vulgata. Quia enim hic amicum ſibi eſſe dicit adoleſcentis illius patrem. id eſt, ipſum Charmidem; ideò, cum poſtea male illi diceret, ipſe Charmides præſens prohibet malè loqui amico præſenti, ſe deſignans, ibidemq; de ſe item hoc ait: *Si appellaſſes, reſpondiſſet nomine.* ſcilicet, quia præſens aderat, ipſo Sycophanta neſciente. Verum hoc eſſe, magis firmant alii duo infra loci, quibus apertè Charmides amicum illum Sycophantæ appellat, à quo miſſum ille ſe dixerat: unde, niſi quia ipſe amicum ſibi eum eſſe antea profeſſus fuit? Locus unus:

CH. *Quid eſt negotii?* SY. *devoravi nomen imprudens modò.*
CH. *Non placet, qui amicos intra dentes concluſas habet.*

Ubi *places*, & *habes* forte ſcribendum: etiamſi ſententia non ab hoc recedit, etiam per tertiam perſonam elata, Alter:

Te potius bene dicere æquum eſt homini amico, quàm malè.

Neceſſariò igitur hic Sycophantæ profeſſio iſta adſignanda:

SY. *Pater iſtius adoleſcentis dedit has duas mihi epiſtolas*
Lesbonici. mihi eſt amicus. CH. *teneo hunc manifeſtarium.*

Divinitus autem poſt hæc Palmerius illud ſic emendavit:

Quod ad exemplum eſt? conjectura ſi reperire poſſumus.
SY. *Ad hoc exemplum eſt, Char.* CH. *an Chares? an Charmides? num Charmides?*
Hem iſtic erit. qui iſtum Dii perdant.

in quo viſum mihi olim non bis repetendum nomen Charmidis, ſed altero loco ſupponendum, *an Charidemus?* ut tertio demum ſuum ipſius nomen ſit elocutus, neque ſe prodiderit ſtatim ſenex. Nunc iteratio illa venuſtiſſima videtur, qua deditâ operâ ſic reminiſcentiam juvare ſtudeat hominis oblivioſi præter morem contraque dictum vulgi, quo Mendacem Memorem eſſe oportere fertur: Ita igitur relinquatur. At *erat* juſtius reſcribes forſan: etſi neq; *erit* ferri nequit. Inferius, è præpoſitio verſui inſerenda:

CH. *Sub ſolio Jovis?* SY. *ita dico.* CH. *è cœlo?* SY. *atque è medio quidem.*

Lepidiſſimus nugator etiam in cœlum perveniſſe ſe jactat, & ſubvectum quidem piſcatoriâ navicula, & ad id adverſâ ſemper aquâ, per illumque adeò amnem, quem ſub ſolio ipſo Jovis in cœlo medio exoriri vult ſibi credi. Tum igitur hominem confidentiſſimè ſic mentientem interrogat obſtupidus & attonitus in narrationis exitum ſenex, anne in cœlo ibi cum fuiſſet, etiam Jovem viderit.
Et hic ille:

SY. *Callicli iſſe ad villam ajebant ſervis depromtum cibum.*

ſanè quam promtè, & appoſitè ad reliquorum abſurditatem, ſe ipſum ridiculiſſima hac nugacitate vincens. Obturbat autem liquidam ceteram feſtivitatem reſponſionis adjecta mentio *Calliclis*, cui non video quid hic poſſit eſſe rei. Quid enim? an Callicli referebatur Jovem abiiſſe? Ergo is quoque in cœlo unà fuerat? At nunc illum ignotum hic Sycophanta quærit. Hoc verò abſurdum non ferendum. Suſpicêris, *Charmidi* reponendum. quaſi amicus ipſius, quem eſſe prædicabat, & à quo literas afferre ſe fingebat, in cœlo unà fuerit, atque huic dictum ibi ſit, iiſſe Jovem ad villam, cum forte non offenderetur. Nam ſanè itineris aliquem comitem fuiſſe, innuitur loquendi modo, cum non de ſe ſolo, ſed ut de pluribus, numero multitudinis, Sycophanta ſemper narrat. Ut,

Omnium primum in Pontum advecti ad Arabiam terram ſumus,

Et, ... *imò heriola advecti ſumus.*

Imò verò ipſum Charmidem comitem fuiſſe non obſcurè colligitur ex his veri Charmidis de ſe verbis:

CH.

CH. *Nimium graphicum hunc nugatorem, ſed ego ſum inſipientior,*
Qui egomet, unde redeam, hunc rogitem, quæ ego ſciam, atq; hic neſciat.

Unde & aliud elicias, ipſum Charmidem, cum de Sycophanta ſolo quærit in libris noſtris unitatis numero, fortè de illo quoque gemino ſuo Charmide ſimul quærere ſemper, & flexum pluralem his aliquot locis pro ſingulari reſtituendum:

CH. *Qui homo eſt me inſipientior, qui ipſe egomet ubi ſim quæritem?*
Sed nihil diſconducit huic rei. quid ais? SY. *quid?* CH. *hoc quod te rogo,*
Quos locos adiiſtis? SY. *nimium miris modis mirabiles.*

Et deinde: *Sed quid ais? quò inde iſtis porrò?*

Et poſtremò: CH. *Ehò an etiam in cœlum aſcendiſtis?*

Quæ qui conſiderabit omnia & collecta invicem diligentius expendet, ei non vana conjectura videri noſtra poterit: etſi non eam ego nimis aſſevero, probabili profecto tamen, ſi non neceſſaria ratione ſuffultam. De ipſo Charmidæ nomine pro Calliclis ſubſtituendo quæ diſputavimus, ordine ac rectè diſputari ſic etiam ſanè poſſunt, & tam de removendo altero, quam altero reponendo firma ſunt utrinque, ſi quis in illuſtrandis elaboret, argumenta. Tamen utcunque tueri id poteram, aliud ſentio apud interiorem animum meum, aliterque & melius emendari locum manifeſti quidem vitii convictum poſſe credo, ſive ſcio. Quid ſuſpicari tu poſſis, anteà dixi: nunc, quid ipſe ſtatuam, habebis. Et confido in hanc ſententiam, relicta priori, ejuratiſq; aliis, quæ excogitari cunque poſſint, omnibus, omnes libenter mecum abituros. *Callicli* igitur corruptum affirmo ex *Alii Dii*: atque hoc reſcribendum quanta poſſum aſſeveratione contendo. Literas vide; & corruptionis originem, tum reſtitutionis facilitatem agnoſces. Quid enim ſimile inter ſe magis? Fons erroris inde, quod *d* literula in voce *dii*, diſſiliit in duas *cl*, ut locis innumeris factum: ibi mox *alis* in *alli* facillimè degeneravit: & cum huc præcipitatum eſſet, quomodo tandem non laberentur in additionem literæ capitalis, ut exſiſteret jam totum novum *Collicli*? Enimverò quam facilè hoc nothum ex legitimo natum, tam facilè ex ipſo legitimum noſtrum viciſſim nunc renatum. Par enim viciſſitudo permutationis: & per veſtigia erroris ipſa ad verum retrolmus. Una hæc ratio firmandæ correctionis à ſimilitudine ſcripturæ ſolius: altera & ab ipſius ſententiæ aptitudine, imò & elegantia ſingulari. Ecquid enim lepidius fingi poteſt, aut potuit à nugatore noſtro, quàm ut de Jove interrogatus, cum non vidiſſe reſponſurus eſſet, ita diceret, abſente ipſo deos alios de ejus abitu ſibi retuliſſe? Poſſem hic plura emendationi commendandæ: ſed abſtinebo, ne juveniliter vectare & venditare me videar, ipſaq; lectorum judiciis æſtimationem ejus à valore nudo ſuo permittam.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VIII.

Poſtquam pòſt. Memoriâ oblitus. Probare, pro æſtimare. Tutelam tergo aut foribus gerere. Ab re. Dignus cum gignendi caſu. Jus orare. Subitum eſt. Rectè: reſponſio ad interrogationem de ſalute. Uxores juventuti incontinentiori in pœnam, aut caſtigationem datæ. Verſus plures variè corriguntur, numeris interpunctis, verbis ipſis ſæpius interpolatis: ab uno mutilo Lambini additamentum rejectum. Difficilis locus facili emendatione reſtitutus. Perſonæ ordinatius digeſtæ. Contra alios quædam, plura noviter ultrò dicta. Leviter & Auſonius interpolatus.

TRinummus hic quaſi cenſetur. Ejus igitur reliquas rationes accipite vos uti juratores: ego bona fide & ex animi ſententia dabo. Scenâ, quam proximo capite iuſtravimus, hæc etiam ſuperſunt. Verſui,

SY. *Ego hercle, ſi eris moleſtias.* CH. *nam pudicum neminem &c.*

inſerenda rurſum particula ablata, ne numeri vacillent,

Ego hercle verò, ſi eras.

Qui mox ſequuntur:

SY. *Dimittam ut te velle video. ſed monſtra hoſce homines mihi.*
Hos ego quæro, quibus me oportet has deferre epiſtolas.

legi diſtinguique ſe volunt:

. . . . *ſed monſtra hoſce homines mihi,*
Quos ego quæro, quibus m.

Plautina deinde geminatio eſt particulæ *pòſt*:

Poſtquam ego me aurum ferre dixi, pòſt tu factus Charmides.

quæ iterum inferius hac ſcenâ:

CH. *Poſtquam ille hinc abiit, pòſt loquendi liberè*
Videtur tempus veniſſe.

ibi verò: *Dum ille ne ſit, quem ego eſſe nolo, ſit meâ cauſâ quid lubet.*

melius feceris, *qui lubet*. Sed ille obſcuræ ſententiæ & ambiguæ lectionis eſt:

CH. *An* (f. *At*) *etiam maledicis?* SY. *imò ſalvus quandoquidem advenis,*
Dii te perdant, ſi te flocci facio, an periiſſes prius.

Nec alterutram juvat Lambinus, ultrò verſum etiam corrumpens inſertione τῷ *pòſt*. Mihi viſa utraq; & certa. Legendum enim literulis trajectis *etſi*, pro *ſi te*. Sic ſcriptura emendata eſt:

. . . . SY. *imò ſalvus quandoquidem advenis,*
Dii te perdant: etſi flocci facio, an periiſſes prius.

Sententia hæc porrò germana, joco lepidiſſimo conſtans. Gratulaturus Sycophanta ſeni videbatur de proſpero adventu, cum ita inciperet, *ſalvus quandoquidem advenis*: at παρὰ προσδοκίαν ſubjicit, *Dii te perdant*. Quoniam incolumis, inquit, huc veniſti, pereas: etſi mea cauſſa ſeu per me perire potueras etiam prius, nec ego floccum interduim, ſi id factum.

Scenâ *Staſime*, rectè credo vulgari:

ST. *Quid homo nihili, non pudet te? tribuſne te poteris*
Memoriâ eſſe oblitum?

& fruſtrà mutari *Memoriæ*. Sic enim dicatur oblivîſci memoria, ut memoria meminiſſe. quod Captivis:

Iſtuc ne præcipias, facile memoria memini tamen.

Etſi nec invenuſtè ſervus ex iſta emendatione jocetur de ipſa memoria oblita, non de condalio ſaltem ex memoria dimiſſo. Itaque non te pudet, inquiat, tribus te poculis memoriam omnem aboleviſſe tibi, & ſimul cum vino ebibiſſe? Multò deinde longiùs, leviculum mendum:

CH. *Lubet adire atq; appellare hunc, verùm auſculto perlubens.*

Sed

Sed metuo, ſi compellabo, ne aliam rem occipit loqui.
leviter corrige, *verùm auſculto perlubens, Et metuo.* quamquam ſanè relinqui & vulgatum poteſt. Pòſt ibi:

. . . . illis quoq; abrogant etiam fidem,
Qui nihil meriti: quippe ex eorum ingenio ingenium horum probant.

non obvia notione eſt verbum *probant*, pro æſtimant ac pendunt. Ovidius ita tamen in verſiculo vulgari:

Vulgus amicitias utilitate probat.

Et noſter verò etiam Perſâ: Sc. *Satis hæc.*

Tuo ex ingenio mores alienos probas.

qui locus huic planè gemellus. Illos porrò verſus in hunc modum interſtingue:

Sed ego ſum inſipientior, qui rebus curem publicis
Potius quam id, quod proximum eſt, meo tergo tutelam geram.

Et jocosè ibi *tergo tutelam gerere*: quod ad alia ſæpe quoque trahit. Hac fabula ſuprà:

Aperite hoc, aperite, heus, ecquis foribus tutelam gerit.

Truculento: *Ecquis huic tutelam januæ gerit? ecquis intus exit?*

Paullò pòſt: ST. *Emere meliuſt cui imperes.* CH. *pol ego emi, atq; argentum dedi.*

Sed ſi non dicto audiens es, quid ago? ST. *da magnum malum.*

Quod dicam, Lambinus jam monuit: ſed dicam tamen. *audiens eſt* hic, & mox.

CH. *Si bonus eſt, obnoxius ſum: ſin ſecus eſt, faciam uti jubes,*

tertiâ perſonâ legendum, neque de hoc Staſimo, ſed de alio indefinitè capiendum. Id convincit ipſius Staſimi proximus ſermo:

ST. *Quid id ad me attinet, boniſne ſervis tu utare an malis?*

Si enim de ipſo actum, quomodo alienum ſe nunc faciat? Ad verbum *emi* igitur non *te* ſubintelligendum, ſed *aliquem*. De vocabulo *Obnoxius* ad Stichum proximam ſatis à nobis dictum. Hac etiamnum ſcenâ:

. . . . ô mi here exoptatiſſime,
Salve. CH. *ſalve Staſime.* ST. *ſalvum te.* CH. *ſcio & credo tibi.*
Sed omitto alia: hoc mihi reſponde.

Rectius in antiquis *omitte*, quod repono. Præcidit enim ſervi gratulationem ſenex, & hanc aliaque omittere jubet, de liberis autem reſpondere. Scenâ *Quod hoc hic* verba & interpuncta verſuum ſic diſtribue:

ST. *Nihil eſt moræ?* CH. *nihil. ambula, actutum redi.*
ST. *Illic ſum atq; hic ſum.* CA. *ſequere tu me intrò hàc.* CH. *ſequor.*

Ultima ſcenæ mutila ſunt, nec Lambini probum additamentum. Non enim de ſe ſuiſque laboribus ſervus loquitur, ſed de Calliclis: ut apparet ex ipſo poſtremo verſu:

Ob rem laborem eum ego cepiſſe cenſeo.

Ubi ſententiam veram aperio emendatione, *Ab re*. Non enim hic convenit de re facienda: alii ſunt labores, quos eum cepiſſe judicat ab re, id eſt, fruſtrà, & non ex merito ipſius. Immerito enim calumniis exagitatum, & oneratum infamia innuit, quam ille fide ſua ſibi pepererat: ut ex ſuperioribus clarum. Atque igitur verborum defectorum, *Quamquam labores multos*, huc quoque ſenſus reſpexit: Etiamſi labores multos Callicles cepit & iniquis hominum maledicorum ſermonibus impetitus fuit, tamen ego ſervaſſe eum fidem credo & firmum in amicitia perſtitiſſe. Scenâ *Hic homo*, aut ſuperfluit verbum *ſubeſt*:

Ita commoda quæ cupio eveniunt, quod ago, aſſequitur, ſubeſt Subſequitur.

aut mutandum fortè *ſubit*. In *commoda* nihil cum aliis turbo: tamen poſſim velle *omnimoda*. Quod de delendo *ſubeſt* dixi, non temerarium eſt. Paſſim enim delicias Plautus facit in conjungendis ſic verbis *ſequi, aſſequi, ſubſequi*.

Amphitr. AM. *Age, i tu ſecundùm.* SO. *ſequor, ſubſequor te.*

Fragmento Aſtrabæ:

Sequere, adſequere, Polybadiſco: meam ſpem cupio conſequi.
Sequor hercle quidem: nam libenter mea ſperata conſequor.

Scena *Neq; fuit* : conſtat ſua ſententia verſui :

Nam beneficium homini proprium quod datur, proprium ſumſerit:

ſed alio flexu efferendam, ſcribendumque *ſumſeris*, proximus ſuadet :

Quod datum eſt utendum, id repetendi copia eſt, quando velit.

imò non ſuadet, ſed cogit. Niſi contrà *velit* in ipſo dicas ad illius exemplum faciendum. Utrumq; quidem verbum eodem terminatu eſſe debet : ſed potior is, ut ego cenſeo, perſonæ ſecundæ. Poſteà literula ſuperaddita ſenſum vulgò corrupit iſtic :

Neu quis rem ipſam poſſet intelligere, & theſaurum ſuum
Me eſſe penes, atq; eum à me lege populi patrium poſceret.

Quis alienus obſecro repetere theſaurum poterat ? imò verò ſolus filius : cujus ea propriè actio, ſi reſciviſſet. atque id ultrò indicatur per vocem *patrium*. Detrahe igitur *s* à fine provocabuli, & fac adverbium, *Neu qui*, id eſt aliquo modo. De filio & hæc dicuntur, ut ipſa illa quæ præcedunt. Inde porrò potuit ſcribere Plautus, ut Nonius vult :

CA. *Non ego ſum ſalutis dignus?*

quâ loquendi formâ, ſive caſuum metaplaſmus eſt, ſive Græciſmus, ſed hic potius, alii quoque frequenter uſi, & ipſi, quos ſibi claſſicos noſtrum ſeculum facit & dicit.

Virgil. in 12. *Deſcendam magnorum haud unquam indignus avorum.*

Ovid. 3. de Arte: *Curia concilii nunc eſt digniſſima tanti.*

Suetonius Othon. *Ut jam vix ullus eſſet, qui non & ſentiret & prædicaret, ſolum ſucceſſionis imperii dignum*. Statim, ſi omnes ſcenæ verſus ad unam exigis regulam, brevior eſt toto pede iſte :

CH. *Deos volo conſilia voſtra rectè vortere.*

Sed ego Jambicum trimetrum hunc eſſe & de induſtria miſtum fuiſſe aliis puto. Perſonæ deinceps non rectè mihi diſtributæ videntur :

CH. *Spondeo, & mille auri Philippûm dotis.* LY. *dotem nihil moror.*
CA. *Si illa tibi placet, placenda dos quoq; eſt quam dat tibi.*
CH. *Poſtremò, quod vis non duces, niſi illud, quod non vis, feret.*
CH. *Jus hic orat*, LY. *impetrabit te advocato atq; arbitro.*
Iſtac lege filiam ſuam ſpoden mihi uxorem dari?
CA. *Spondeo.* CA. *& ego ſpondeo idem hoc.*

Indecorum enim, ut nunc vicarius ad hoc tempus Callicles partes agat etiam præſentis Charmidis, qui ipſe pro ſe ut filiam ſuam deſpondet, ita de dote quoque agere debet. Ergo ſic repone :

CH. *Spondeo, & mille auri Philippûm dotis.* LY. *dotem nihil moror.*
CH. *Si illa tibi places, placenda dos quoq; eſt, quam dat tibi.*
Poſtremò, quod vis, non duces, niſi illud quod non vis feret.

(atque hos binos verſus ejuſdem eſſe, præter alia, arguit particula *poſtremò* : quæ ſermonis continuationem Plauti more ſignat.)

CA. *Jus hic orat.* LY. *impetrabit te advocato atq; arbitro.*
Iſthac lege filiam tuam ſponden mihi uxorem dare?
CH. *Spondeo.* CA. *& ego.*

Callicles advocatus nunc tantum, primarius vir ipſe Charmides. & ſecundas ille rectè agit, cum ait *Jus hic orat*. quæ dictio creberrima Comicis, Auſonio alicubi reddenda in epiſtola ad Symmachum, id eſt Præfatione ſuper Gripho ternarii numeri. *Quem ego verum dicere fatebor, juſtè negabo*. Facito, *jus denegabo*. Etiam nunc Trinumo vix illud rectum :

Evocate : ita ſubitò eſt, properè quod eum conventum volo.

Hoc autem rectum, *ita ſubitum eſt*. Frequens id, atq; item alterum geminum, *ita res ſubitaria eſt*. Nam Lambinus in diſtinctione,

Evocate ita ſubito : eſt properè quod e. c. v.

pueriliter ineptit. Noſtrum ſi recipis, facere potes etiam ibidem, *propter quod*. Ibidem adhuc perpera diſtinctio :

CA. *Benevolens tuus atq; amicuſt.* LE. *ſatin ſalvè? dic mihi.*
CA. *Rectè tuum patrem rediiſſe ſalvum peregrè gaudeo.*

Non cohærere debent, *Rectè tuum patrem rediiſſe* : ſed *Rectè* ſolum ſeorſum accipiendum, commate à reliquis ſeparatum. Ea namq; reſponſio ad ſciſcitationem ejuſmo-

Digitized by Google

modi ſolennis: de qua Formularium Briſſonianum vide. In fine notes in pœnam quaſi ſolitas olim juvenibus luxurioſis uxores dari:

CA. *Miſeria una quidem homini eſt affatim.* CH. *imò huic parum eſt.*

Nam ſi pro peccatis centum ducat uxores, parum eſt.

Jocosè quidem hoc hic ſenex: ſed omnino ſerio olim & nunc juventus diſſolutior uxoriâ habenâ caſtigari & coerceri ſolet. idque vita communis, & hujus ſpeculum Comœdia ubique exemplis aſſerit: & præcipit prudens Educationis magiſter Plutarchus in libelli extremo; Παραινῶ δὲ τοῖς τῶν ἡδονῶν ἥττοσι, καὶ πρὸς τὰς ἐπιτιμήσεις δυσπειθέσι, γάμῳ καταζεῦξαι. Δεσμὸς γὰρ οὗτος τῆς νεότητος ἀσφαλέστατος. Idemque non inſipiens ſervus Epidicus fabula ſibi cognomine conſulebat hero majori in minorem, Sc. *St. tacete;*

EP. *Continuò arbitretur uxor tuo gnato.*

quod hinc interpretandum. Penultimo deniq; hic verſu:

LE. *Numquid cauſſæ eſt, quin uxorem cras domum ducam?* CH. *optimum eſt, licet.*

abeſſe vox ultima *licet*, & per verſum & per ſenſum poteſt. neutri tamen nimium gravis eſt, ſi ſcias commodè numeros metiri.

VA

VALENTIS ACIDALII

IN PLAUTI TRUCULENTUM DIVINATIONES, ET INTERPRETATIONES.

AD

Nob. magnæ indolis ac ſpei adoleſcentem

JULIUM CÆSAREM WACKHERUM

Magnifici & Ampliſſimi viri Joannis Matthæi Wackheri à Wackenfels, Conſiliarii Auguſtalis, & Epiſcopi UratisL. Cancellarii Filium.

CAPUT I.

Parſimonia, res comparſæ: Frugalitas, item. Potior, in amoribus. Alteri. Damnoſus. Accepti, non expenſi ratio apud meretrices: inibi locus inſignis correctus. Senium ac odium. Verſus nuperis editionibus reſtitutus. Interpuncta mutata, verba ejecta. Alia diverſimodè emendata, explicata. Curculio & Epidicus illuſtrata.

Ultimus nobis in Truculento labor ſupereſt, cujus vel ipſo nomine debuerant procul abſterreri Corruptores, ne quid ei nocere tentarent. Nunc adeò non abſtiterunt & abſtinuerunt, ut ultrò irritarint de proximo, & magis omniumque maximè efferarint. Sed enim nos malaciſſare viciſſim conabimur, & aliquid efficere ſanè confidimus, maximè poſt aliorum blandas jam diu palpationes, quibus non parum videtur jam tum mitior & tractabilior redditus: etſi deleniri prorſus quidem poſſe nulla, nec à me, nec à quoquam porrò ſpes eſt. Sed adeamus in tempore, & jam hinc experiamur. Argumento fabulæ, ubi ipſe Stratilax deſcribitur:

Vi magna ſervus eſt ac trucibus moribus,
Lupæne rapiant domini parſimoniam.

non eſt pro violentia ejus hic ſermo. Languet enim qui poteſt excitari interrogatione:

Lupæne rapiant domini parſimoniam?

Eſt enim fortaſſe μιμητικῶς hoc dictum veiut ex ipſius perſona, qui ſic ſtomachetur: Æquumne id eſt, & ego feram, à meretricibus diripi parſimoniam heri? Nimis autem pulchrè *parſimonia* poſita pro bonis ipſis comparſis & parſimonià quæſitis: ut ipſe infrà Sc. *Quis illic*, interpretatur:

ST.

. . . . ST. *ſuam non enim ille meretriculis*
Muniendis rem cogit, verùm parſimoniâ
Duritiaq;, quæ nunc ad vos jam exportatur, peſſumæ.

Ad eundem modum Apulejus alicubi *Frugalitatem* uſurpat, pro frugibus & habentiâ totâ: cum quo nunc neſcio libro ait, *Omni frugalitate conſumta*. Peſſimo verò facto in optima editione ultimum periochæ verſum omiſerunt? quem ex aliis appones:

Suamq; is repetit à meretrice ſubditum.

Scenâ primâ:

Sin alter alteri potitus eſt, itidem perit.

Benè Gulielmius noſter editionum veterum lectionem reduxit, *potior*: *alteri* cur ſic reliquit? Nam etſi quidem id omnibus in libris, ego non tamen ſatis fero. Sanè *altero* requiri videatur: niſi pro hoc illud ipſum eſt: ut auferendi caſus iſti per *i* ſolent efferi aliquando. Exemplo ſunt, Die craſtini, ſeptimi, quotidie, qui. Sed omninò vocis ejus nihil hic fuit, niſi prorſus erro, ac libido ſit velle potius ſcriptum, *Sin alter autem potior eſt*. Abſolutè enim *potior* in re amorum, pro potiſſimo amatore: neque tam Caſina noſtri, quem locum non nimis aptum Gulielmius laudat:

. . . . *hercle me ſuſpendio,*
Quam tu ejus potior fias, ſatiuſt mortuum.

ſed magis Horat. Epod. 15.

Non feret aſſiduas potiori te dare noctes.

Porrò autem in interpunctione vitium:

Atq; hæc celamus nos damna unâ induſtriâ,
Cum rem fidemq; noſq; noſmet perdimus,
Ne quid parentes neu cognati ſentiant.

quod facilè ſententia viſa docet tollere:

Atq; hæc celamus nos damna, unâ induſtriâ
Cum rem fidemq; &c.

Dum damna noſtra celamus, inquit, ne parentes aut cognati ſentiant, interim unâ eademque opera pariter rem, fidem & noſmet ipſos perdimus. At ſi non celent ipſi, contrà lenones & ſcorta perituros ait ſtatim:

Quæ cum celamus, ſi faximus conſcios,
Qui noſtræ ætati tempeſtivè temperent,
Unde anteparta demus poſtpartoribus,
Faxim lenonum & ſcortorum ut plus eſt minus,
Et minus damnoſorum hominum, quam nunc eſt, fiet.

In quibus inconcinnum additamentum verbulorum, *ut plus eſt*: quæ quidem abeſſe debere videntur, ut abſunt à veteri meo Colonienſi. Verſus autem facillimè expleatur aliter:

Faxim lenonum & ſcortorum multominus &c.

Certè, ſi *ut plus eſt* hic fuit; inanis poſteà verſus idem dicens:

Nam nunc lenonum & ſcortorum plus eſt ferè.

Damnoſos autem homines ibidem vocat, quia damna faciant παθητικῶς, non quî inferant: & eodem intellectu ſe mox *damnoſiorem*:

Damnoſiorem me exinde amovit loco.

quod qui ita explicant, ut cenſeant reſpectu meretricis accipiendum, cui damnum ille det, quia nihil aut parum det; hos errare puto: pariter ut Lambinum Curculione *Dites damnoſos* interpretantem de locupletibus ſumtuoſis. Ita verò ſumtuoſis quidem, ſed olim, dum res ſupereſſet, unde ſumtus fierent. Nunc enim damnoſos ideò dicit illos divites, quia tot damnis ultrò factis è divitiis in egeſtatem devoluti ſint. Nec aliter Epidico *damnoſus ſenex*, quam pro infelici & multis damnis confecto. Sed porro pergit Dinarchus de lenonum & ſcortorum multitudine:

Nam nuſquam alibi ſi ſunt, circum argentarias
Scorta & lenones quaſi ſedent quotidie:
Ea nimia eſt ratio: quippe qui certo ſcio,
Triplo plus ſcortorum eſſe jam quàm ponderum,

Quot quidem quamnam ad rem dicam in argentariis
Referre habere, niſi pro tabulis, neſcio,
Ubi æra perſcribantur uſuraria,
Accipiat ilico expenſa, neq; cenſeat.

Quos verſus omnes unius extremi gratia adſcripſi: quem corruptiſſimum eſſe, tum putidiſſimè ab Interprete exponi, pignus in omnes fortunas meas dare ſum paratus. Quis enim aut eſſe poteſt ſenſus? aut qualis eſt, quem Lambinus facit? Accipiat ilicu, ait, Phroneſium quæ ſunt expenſa, neq; cenſeat tamen ſe accepiſſe. Idem verò eodem pignore contendam, rectiſſimè à me ſic emendari;

Accepta dico, expenſa ne qui cenſeat.

neq; minus explicari. Nihil enim ad Phroneſium iſta: ſed de ſcortis agunt etiam circum argentarias ſedentibus. Atque ait Dinarchus, neſcire ſe, quid in argentariis ſcorta haberi referat, & in quem uſum eſſe poſſint, niſi ſi forte pro tabulis uſurpentur, in quibus rationes & uſuraria æra perſcribantur: Sed æra quidem accepta ſe dicere, ne quis putet de expenſis loqui. dicto hoc magiſne argentarius, an ſcorta perſtringens? utroſq; videtur. Nam & alibi trapezitæ inſimulantur accipere lubentius, quod expendere, & ſuum ſtrenuè repoſcere, alienum nemini reddere. Magis tamen in meretrices hic hoc dictum patem, quæ accipiunt ſemper, nec unquam capiunt ſatis, ſemel autem acceptum nunquam dimittunt poſteà: quod hac fabula & inferius ab Aſtaphio de ipſis prædicatur:

Nam itidem ut Acherunti hic ratio accepti ſcribitur.
Intrò accipimus: quando acceptum eſt, non poteſt ferri foras.

Accepti igitur ratio apud ſcorta perpetuò ſcribitur, nulla expenſi. Quod joco ſic innuit Dinarchus, cum æra in illis quaſi tabulis perſcribi poſſe ait, ſed accepta, non expenſa. Locum elegantiſſimum egregia emendatione à nobis reſtitutum exſpectare nemo debet, ut ipſe prædicem; ego contra poſſum, ut alii. Poſt laborant interpunctis iſta;

Eadem poſtquam alium repperit qui plus daret,
Damnoſiorem me exinde amovit loco,
Quem infeſtum ac odioſum ſibi eſſe memorabat mala,
Babilonenſem militem. Is nunc dicitur
Venturus peregrè.

nec laborantibus illis rectè valet ſententia. Sed & verſus unus juſto longior eſt: in quo *infenſum* Lambinus volebat, non tamen aſſecutus quod volebat. Reſtituendum ita cenſeo:

Quem ſenium ac odium ſibi eſſe memorabat mala.

Detorta hinc ab imperitis iſta altera, qui ſenii ac odii uſurpationem iſtam ignorabant: non mutaturi, ſi Nonii principium ſaltem ipſum legiſſent. Ibi exempla plura vide: unum atque alterum hic ſtatim. Accius:

Mors amici ſubigit, quod mihi eſt ſenium multo acerrimum.

Turpil. *Quia enim odia ac ſenia mihi hæ ſunt nuptiæ.*

Interpunctiones verò ſic nunc concinnandæ:

. . . . amovit loco.
Quem ſenium ac odium ſibi eſſe memorabat mala
Babilonienſem militem, is nunc dicitur
Ventur. pereg.

Hoc quoque iidem antiquum loquendi genus non ceperant: ſed tam clarum iſto literarum ſeculo, ut inſcitia mera ſit exemplis docere. Ibidem mox;

Eam eſſe ſimulant militem puero patrem.

Cur non *ſimulat*? quo flexu reliqua ſunt omnia.
Diſtingues autem iſta ipſa:

Peperiſſe ſimulat ſeſe, ut me extrudat foras;
Atq; ut cum ſolo pergræcetur milite,
Eum eſſe ſimulat militem puero patrem.

ac porrò ſimul lege:

Quid iſti ſuppoſitum puerum opus autem? peſſuma,
Mihi verba retur dare ſeſe?

Feci

Feci *opus autem* ex antiquo *optant*: unde tota tamen oratio in alium ſententiæ habitum refingi poteſt, relictâ priſtinâ ſuperiorum interpunctione:

Eum eſſe ſimulant militem puero patrem,
Quem iſti ſuppoſitum puerum adoptant peſſumæ.

Cui me incertæ lectioni judicem non interponam.

CAPUT II.

In voce Publicani latent obſcenitas. Alter pro alius. Longè alter. Obſecro, an & affirmantis, Recipiſſis. Proficiſci. Urbicum petus. Quia tibin'. Suaſum. Ar, ad. Sanus ſi videare; Herus ſi domi ſit; dicam; Plautinæ locutionum formulæ contra alios defenſæ. Ne, pro nonne. Vivere pro eſſe. Mutatæ diſtinctiones: verba ablata alia, alia addita, quædam trajecta. Verſus concinnati. Diverſæ prætereà correctiones. Militis locus retractatus. Corruptiſſimus hac fabula verſus poſt alios variè tentatus.

SCenâ *Ad fores*, perſpicuè una vocula à ſententia aberrat & facit aberrare:

AS. *An tute bene rem publicam aut amoris alia lege*
Habere ſe poſtulas, quin tu otioſus fias?

Emendo *Habere te poſtulas*: id eſt tractare cupis, tractari poſſe putas. Rem amoris, ita dictam, ut alibi rem voluptatis, pro ipſa voluptate & amore, comparavit cum publica re: quæ utraq; eadem lege ſeu conditione habeatur, ut otioſus, qui habeat, fiat, ſed otii longè diverſa utrinq; ratione. Non longo hinc intervallo:

Hunc nos habemus publicum, illi alii ſunt publicani.

Legendum ſuſpicor, *Hic nos h. p. illi alibi ſ. publicani.* quandoquidem ſequitur mox *Utrobidem*, & poſteà *& illic & hic.* Δεικτικὸν autem eſt *Hic*, muliebrem partem ſignans: *alibi* indefioitè de puerili poſitum, ſed quæ & ipſa clarè ſatis notatur in ſono *publicani*. Non enim temerè ſic hoc flexiſſe mihi Plautus videtur, ſe ut ſonum conficeret *publici*. (quod pace dicam honeſtiorum & verecundiorum aurium) *ani*. Porrò poſt plura:

DI. *Ego fateor: ſed longe aliter eſt amicus atq; amator.*

Non volo *in aliter*, veram fortaſſe, certè bonam lectionem. Neſcio quis tamen mihi Genius inſuſurrat à Plauto ſcriptum *alter*. Alter eſt alius, in ipſo Captivorum limine: atque ibi notavimus, uno tantum aliunde Claudiani exemplo allato: quod huc multo etiam magis quadrat:

Altera Romanæ longè rectoribus aulæ
Conditio.

Addo nunc ſimillimum ex Sidonio Apollinari:

Concretum gerat ipſe caput: longè altera noſtri
Gratia judicii eſt: ſcit ſe, non læſus, amari.

Neque ſic Horatius abhorruit uti. Epiſt. ult.

Permutet dominos & cedat in altera jura.

Neque Juvenalis Sat. 3.

. . . . *modò longa coruſcat*
Sarraco veniente abies, atq; altera pinum
Plauſtra vehunt.

Plautus autem in hoc ſu creberrimus omnium: cujus illud nunc unum etiam ſuccurrit ex Milite:

Atq; ego illi aſpicio oſculantem Philocomaſium cum altera
Neſcio quo adoleſcente.

Dehinc nova ſignificatione poſitum verbum:

Mala es atq; eadem quæ ſoles, illecebra. AS. *ut exſpectatus*
Peregrè adveniſti? nam, obſecro, cupiebat te hera videre.

Quæ

Quæ tandem te unum ex omnibus amat.

Nam aſſirmantis videtur eſſe obſecratio, quæ rogantium aliàs tantùm. Ac fortè ſic in Terentii illo quoq; Phorm. Act. 5. Sc. t.

Duaſne uxores is habet? SO. *au, obſecro, unam ille quidem hanc ſolam.*

Tamen aliter ibi capi poteſt: & hic in noſtro tranſponi mihi rectius vox eadem videatur, ac Dinarcho geſtibundo & interrogabundo adſcribi:

. . . . AS. *ut exſpectatus*
Peregrè advenisti! nam cupiebat te hera videre. DI. *obſecro.*
AS. *Quæ tandem te unum ex omnibus amet.* DI. *euge ſunde &c.*

Quomodo novi & inſolentis in oratione nihil: in ſenſu verò apta omnia & expedita. qui quidem intricatus atque ineptus in iſtis ſcenæ extramis:

DI. *Quàm mox tete recepiſti? jam hic eras?* AS. *prope eſt, profecta quò ſum.*
DI. *Redi verò actutum. ego interim te apud vos opperibor.*

Nondum abiiſſe liquet Aſtaphium: & tamen ſic quaſi abierit redieritque, Dinarchus ad eam profert iſta prima: *Quam mox te recepiſti? jam hic erat.* Manum porrigunt ad emendationem libri veteres, qui Aſtaphio dant partem horum paullo aliter lectam & cum ſequentibus continuatam. Sed nos porro manum alteram in auxilium tendamus, & illos conantes ſaltem plenè adjuvemus. Scribendum:

DI. *Quàm mox te recipiſſis?* AST. *jam hic ero: prope eſt, profecta quò ſum.*
DI. *Redi verò actut.*

Turbavit non rectè intellecta locutio, *profecta quò ſum*, de qua nonnihil ad Rudentem. Eſt autem, quò inſtitui & incepi ire. Aulul.

Nunc, quò profectus ſum, ibo: poſtidea domum
Me rurſum, quantum potero, tantum recipiam.

Trinummo: *Potin' ut me ire, quò profectus ſum, ſinas?*
Terent. Eunuch. *Detineo te fortaſſe: tu profectus aliò fueras.*

Et hic Dinarchus interrogat, quàm citò ſe domum receptura ſit Aſtaphium: cui illa, quam citiſſime ſcilicet: nam non procul eſſe, quò ire deſtinarit. Quòd ſi quid de *recipiſſis* etiam dicere velim, nugas agam. Norunt omnes, quam id frequens in noſtra, cum geminis ejus *incipiſſis*, *occipiſſis*: quæ ſæpius alibi corrupta paſſim alii reſtituerunt. Etſi tamen hic & *recepſit* ſcribi potuit, pro receperis: id eſt, quàm mox redieris? Idque parum abeſt quin verius eſſe dicam. Scenâ jam proximè ſequente:

Nugæ ſunt, niſi quod modo cum dederit, dare jam jubeat denuò.

Hic *qui*, ille *iubeat* corrigunt: Ego parum ab utroq; diverſus, *niſi quoi, modò cum dederit, dare jam iubeat denuò.*

Dein ſic iſtud diſtinguo:

Æquo animo, ipſe ſi nihil habeat, aliis qui habent det locum.

Sequitur alia ſcena *Quis illic*; cujus ſecundum verſum:

AS. *Ego ſum, reſpice ad me.* ST. *quid, ego? nonne ego video? væ tibi.*

quia legunt alii aliter, aliter etiam lubet mihi: ST. *quid, ego?* AS. *non nego.* ST. *video: væ tibi.* Indignatur violentus ſervus, tam confidenter Aſtaphium reſpondiſſe, *Ego ſum*: & eò ſtomachabundus reddit, *quid? ego?* illa verò nihil ſe territam minaciori dicto ſimulans, ita dixit, inquit: ego ſum, non nego, neq; dixiſſe, neque me eſſe. ibi Truculentus iſte: video te ipſam eſſe. quid, malum, autem huc tibi ventio eſt? &c. Porrò illic:

AS. *Ecquid tibi ego autem dico?* ST. *quia enim truculentum nominat.*

De conſilio veterum tollo duas literulas & à me dictionam integram aliam malè perditam reſtituo:

AS. *Quid tibi ego autem malè dico?*

Vult ita verſus: & magis ſenſus, è præcedenti iſto ductus,

ST. *Pergin male loqui, mulier, mihi?*

Et

Et deinceps: AS. *Rus merum hic quidem eſt*. ST. *pudendamne? tu verò clurinum pecus,*
Adveniſti huc nos tentatum cum exornatis oſſibus.

Corruptiſſima ſunt, quis variè varii medentur. Immedicabilis autem hactenus vox *clurinum*: pro qua olim ego, cum liberet & liceret allucinari, *urbicum*: quaſi pecus urbicum ruti oppoſuiſſet. At alterum verſum legi ſemper & lego:

Adveniſti huc te oſtentatum cum exornatis oſſibus.

quod ut non interpretationis, ita nec probationis eget. Non minus autem corrupta, quæ mox ſequuntur:

Quia tibi inſuaſo infeciſti propudioſa pallulam.
An ea bella es tu, quia accepiſti ar me advenias. AS. *nunc places.*

Sed ea facile quidem eſt ſanare, quamquam multorum curatio ibi vana. Priore verſu ſcripſit omninò Plautus, *Quia tibin' ſuaſo*. De *ſuaſo* Feſtus. *Quia tibin'* tmeſis eſt, pro *Quiane tibi*. Ceterùm diſtinctione jam hic cum altero nectendus, & ille meo judicio ſic item emendandus:

Quia tibin' ſuaſo infeciſti propudioſa pallulam,
An eo bella es tu? quin accedis ar me? advenies? AST. *nunc places.*

Ἀρχαϊκὸν *ar* pro *ad*, ut alii monuerunt, libens retineo: in ſequentibus verò nunc verſibus obhæſi ſemper, neq; dum quidquam quod placeat expedio, cum aliorum interim commenta video meis etiam vaniora. Sed fugio à deſperato iſto loco ad minus lethaliter affectos. Verba verſus hujus ita ordinanda:

AS. *Mulieres volo convenire veſtras*: ST. *quas tu mulieres &c.*

Atque illum defectum licet:

Peſſumæ eſtis. AS. *quid eſt quod vobis peſſumæ hæc via.*

ſic reſtitui tamen in integrum, ut ſpero:

Peſſumæ eſtis. AS. *quid eſt quod vobis peſſumæ ſumus?* ST. *hàc avi.*

quod poſtremum eſt *abi*. *Sumus* jam olim in proximum *peſſumæ* correpſerat, unde rurſum nunc extraxi. Quærit Aſtaphium, cur ita pro peſſimis habeant ipſas, at ille illam abire tantum, quod ſæpius antè, jubet: ſe enim quidem ſcire plus quàm illa arbitretur.

Mox elegantiſſimum Aſtaphii dictum:

AS. *Sanus ſi videare, dicam.*

cum magno culpæ ſuæ ſocio depravat Lambinus, ut apud ipſum videre, ſi lubet, potes. Enimvero tam non dicam hic, ſed ille dormitavit, ut ſenſum vel conniventibus oculis non videret? qui alias aquila videt omnia & pervidet, neque nihil non, quod captat, capit. Eſt illa Plauti formula, qua duram ſententiam molliter effert, aut alloqui circumloquitur, quod non lubet apertè proferre. Hic tantundem eſt, ac ſi dixiſſet, *Non es ſanus*. Ad eundem modum alibi, *Si domi ſit herus, dicam*: eſt, Non eſt domi. Itemque alibi, Si habeam, dem aut commodem tibi: pro Nihil habeo, quod dare queam. Poſt pauca deinde:

ST. *Quin maceria illa ait, in horto quæ eſt, quæ in noctes ſingulas Latere fit minor.*

Rectum eſt: ſed malim *Quid* cum interrogatione. Mox illud: AST. *Eſt ne ille violentus?* in mentem mihi revocat locum Militis, *Ne id, quod vidit, viderit*. Sc. *Satin'*. de quo multa illic verba fecimus, & variè torſimus, in omnibus fortaſſe noſmet ipſos fruſtrati. Nam relicta ſede verborum & verſuum ordine vulgato ſic nunc commodiſſimè videtur accipi poſſe, ut per interrogationem ſecum admiretur, & per admirationem ſeipſum interroget Palæſtrio: Nonne id viderit, quod omninò vidit? *Ne* enim ita pro Nonne, ut hic, aliiſque plurimis locis.

Moſtellar. *Sed ego ſumne infelix, qui non curro curriculo domum?*
Pſeudol. *Sumne ego homo inſipiens, qui hæc mecum egomet loquor ſolus?*
Perſâ: *Sed ſumne ego ſtultus, qui rei curo publicæ?*

Simpliciſſimum quidem id Milite quoque ſit, & nihil loco deſit, niſi interrogationis nota. Sed Truculenti eadem adhuc ſcenâ leviculum hoc mendum eſt.

Em tu es ſexungula, malè vivitis.

Scribe *malæ*. Nam *vivitis* valet, eſtis. quod paullo pòſt ibidem etiam fortè corruptum:

At pol hera benevolens ut is eſt ſua.

Suſpectum enim *eſt* habeo de gloſſa: quâ ſublatâ, ex *ut is* conjicio *vivit*. His autem qui interjacent verſus:

. . . . egone hæc muſſitem?
Jam enim eccere ibo in forum, atq; hæc facta narrabo ſeni.
Neq; iſtuc in ſe geſtis erga coget exonimem mali.

eorum corruptiſſimus hic poſtremus, nec à viro magno ſatis ex ante ſanatus: etſi jam olim ejus medicatio approbata. Benè ille facit *examen mali*, pro magna vi & quaſi theſauro mali. De *ſegeſtra* violentior eſt interpretatio, ut maximè ſcripturam ſimilem fateamur. Auſim ego ſic divinare potius:

Neq; ego iſtuc meo geſtio tergo cogere examen mali.

Minatur ſervus hero majori ſe indicaturum flagitia filii, neq; commiſſurum, ut in ſuum tergum expetat examen illud mali, quod ille conficiat, in ſe quidem, niſi maturè indicio ſuo præveniat, redundaturum. Non mihi lubido eſt, inquiat, examen iſtuc mali meo tergo cogere: qua phraſi paullò ante dixit, rem & divitias cogere: Niſi non de ſe libidinem hanc dicit, ſed filio tribuit, aliâ non minus honeſtâ ſententiæ figurâ, & vero faciliori ſcripturæ mutatione:

Neq; iſte huic, ut ſe geſtit, terga coget examen mali.

Neq; iſte filiusſamilias, proinde ut geſtit, huic meo tergo malum comparabit. *Se geſtit*, ut ubique ſe poſtulat, ſe vult, & talia. Quamquam etiamnunc minori ac pæne nulla mutatione poterat legi:

Neq; iſte huic in ſe geſti tergo coget examen mali.

Pleniſſimus ita fit ſenſus: non coget iſte huic tergo examen mali, in ſe geſti: id eſt, quod contra ſe geſſit. Sua ſuo ſibi malo commiſſa non in me faciet evenire. in quo poſtremo, dum rectius alii moneant, acquieſcam.

CAPUT III.

Varronis ad hanc fabulam obſcurus & corruptus locus, emendatus; explicatus. Illud, hoc vide. Bene ambulare. Dan'. Geſti. Præter alias correctiunculas varias, locus in ſe pugnans permutatione perſonarum extricatus.

DE principio conſequentis nunc ordine ſcenæ:

Piſces ego credo, qui, uſq; dum vivunt, lavant,
Minus diu lavare, quàm hæc lavat Phroneſium.

Varronis eſt locus lib. 8. LL. obſcurus ille mirum in modum & prorſus αἰνιγματώδης, ut Oedipo ei opus ſit, qui Sphyngi interpres fuit. Adſcribam, & experiar, an Oedipi vicem ego illi eſſe poſſim.

Apud Plautum cum dicit,
Piſces ego credo, qui uſque dum vivunt adlavant, diu minus lavari, quàm hæc lavat Phroneſium.

Adlavant lavari non convenit; ut T ſit poſtremum, ſed R, ut lavantur. Analogia adlavari reddit, quod Plauti aut librarii mendum fuit &c.

Quod Varro in *adlavando* tricatur? aut quid omninò dicit? In noſtris quidem libris *lavant* ſimpliciter eſt: nec aliter debet ille citare: uti profectò nec citavit. Diverſam tamen lectionem in altero *lavari* ſecutus eſt: quam & cenſurâ ſuâ perſequitur: & id malè ſic vel à Plauto vel à librariis ſcriptum incuſat. *Lavere* verò noſtri libri: ut appareat, jam illo ſeculo multa in auctore noſtro mutata, quæ plura cognoſceremus & miraremur, ſi Varronis ejuſdem Quæſtiones ſupereſſent. Nam in his non cum magis de interpretatione, quam de ſcriptura locorum jam tum contro-

tro-

troverſâ anquiſiſſe credo. Sed hic quod agit, jam id eſſe colligo. Diſputat de analogia, & ejus in verborum diverſo flexu certa ratione contra illos, qui analogiam ex incerta divetſitate oppugnabant. Itaque cum hunc Plauti locum in exemplum advocaſſet & reperiſſet utrumque flexum jungi *lavant* & *lavari*; arguit inconſtantiam Plauti, ſi ſic ſcripſerit; aut librariorum temeritatem, ſi mutarint. Non enim ea inter ſe utraque convenire, ſed in altetutro fuiſſe manendum, ut par pari teddcretur. Hoc dicit verbis ita corrigendis: *Apud Plautum, cum dicit,*

Piſces ego credo, qui uſque dum vivunt lavant,
Diu minus lavari, quàm hæc lavat Phroneſium:

Ad lavant lavari *non convenit, ut T ſit poſtremus: ſed R, ut* lavantur *analogiæ ad* lavari *reddit: quod Plauti &c.* Cum Plautus, inquit, *lavant* præmiſiſſet, non debuit ſubjungere *lavari*: nam ad illud hoc non convenit: ſi autem *lavari* ſcripſit, analogia poſcebat præmittere *lavantur*. Quod cùm haud poſſit per verſus rationem, ſcilicet, concludit tacitè, non *lavari*, ſed *lavare* ſcriptum aut ſcribendum fuiſſe: quo loco noſtri tamen libri *lavere*, veteres *lavare* ipſum expreſsè habent, ut iſta diſputatione nihil opus fuerit: minimè quidem opus nunc ſit in loco plano, & re non nimis magna. Sed Varroni dandum hoc fuit, & ego libentet dedi, ut ejus tantummodo mens in tenebris haſtenus altiſſimis ſepulta per emendationem excitaretur & emicaret.

Sequitur nunc eâdem ſcenâ porrò:

Sed obſecra hercle, Aſtaphium, i intrò ac nuncia,
Me adeſſe, tu i properè, & ſuade jam ut ſatis laverit.

literæ aliquot ſimiles perperam geminatæ. Nam Plautus, opinor, ita ſcripſerat:

. . . . *i intrò, ac nuncia*
Me adeſſe: tu i præ, & ſu. &c.

Quod dein ſtatim eſt:

Quæ tibi mille paſſuum peperit moræ mora.

de eo memini ad Menæchmos, cum geminam ibi locutionem explicarem. Jam verò de ſcriptura dubito vocis alterius *moræ*, quæ detorquenda videtur in *moras* aut *moram*, ut oratio commodius ſtruatur. Niſi tamen hæc de induſtria tam conciſa eſt, atque ſic explenda: quæ mora tantum moræ tibi peperit, quantum eſt mille paſſuum. Ibidem mox:

Neſcio quem præſtolata eſt, credo militem.
Illud eſt: vide ut jam quaſi volturii triduo
Prius prædivinant &c.

Nemo ſanus id ſanum neget: non tamen inſanus ſit, qui deleto *eſt* jungendum ſuſpicetur *Illud vide*: quæ locutio peculiaris elegantiæ in tali ſenſu, & frequentiſſimi apud noſtrum uſus.

Curculione: *Hoc vide, ut dormiunt peſſuli peſſimi.*
Pſeudolo: *Hoc vide ſis, ut alias res agunt.*
Mercatore: AG. *Hoc ſis vide, ut palpatur: nullus eſt quam occæpit blandier.*
Hac Comœdiâ inferius:

. . . . *hoc vide, dentibus*
Frendit, icit femur.

Milite denique: . . . . *illac ſis vide*
Quemadmodum aſtitit, ſevera fronte.

Scenâ: *Num tibi nam:*
Benè ne ambulaviſti? DI. *huc quidem hercle ad te benè*
Quoniam tui videndi copia eſt. PH. *complectere?*
DI. *Libens. ab hoc eſt mel melle dulci dulcius.*
Hoc tuis fortunis, Juppiter. præſtant meæ.
Dane ſuavium. PH. *imo vel decem.* DI. *haud iſtoc pauper es,*
Plus pollicere tu, quàm ego à te poſtula.
Utinam à principio rei item parſiſſem meæ,
Ut nunc reparcit ſuaviit.

Formula *Benè ambulaviſti?* quærens de incolumitate peregrè venientis, pendet ab altera *Benè ambula*, qua abeuntes dimittebant, omnia felicia ſic precantes. In ceteris,

Digitized by Google

teriſ, quæ hîc attuli, perſonæ maniſeſtiſſimè perverſæ ſunt, & in ſeipſam multipliciter pugnare deprehenditur oratio, ſi non totum prorſus animum avertas: non enim dicam, ſi vel leviter advertas. Unum præcipuum contradictorium, *Plus pollicere tu*, & *Ut nunc reparcis*. Et quomodo autem parcebat illa, ſi vel decem obtuleras? Nolo in nugis refutandis ultrò amplius nugari. Veriſſimè reſcribo:

DI. *Libens. ab hoc eſt mel mella dulci dulcius.*
Hoc tuis fortunis, Juppiter, præſtant meæ.
PH. *Dan' ſuavium?* DI. *imo vel decem.* PH. *haud iſtoc pauper es.*
Plus pollicere tu, quàm ego à te poſtulo.
DI. *Utinam à principio rei item parſiſſem meæ,*
Ut nunc reparcis ſuaviis.

Phroneſium ultrò, ut ad complexum, ſic ad ſuavium invitat. Dinarcho autem non unum, ſed decem parato dare, ſiniſtram ejus liberalitatem avara mulier perſtringit, & egeſtatem objicit tacitè, cum à ſuaviis non eſſe pauperem ait, & hinc offerre plus, quàm poſcatur. Ibi contrà ille parſimoniam ſuaviorum in ipſa incuſat: & ad ejus exemplum optat, olim rei item ſuæ ſe parſiſſe. Ceterùm *Dan'* etiam correxi, lectionibus aliis rejectis, quia id hic verum ſcio. Eſt enim pro *Daſne*: qua facie vulgatiora ſunt, *viden' audin', abin', ſcin'*, & infinita. Deinceps quos verſus Gulielmius noſter a gloſſemate liberatos dedit, amplius ego ſic legam:

Sed quod ego facinus audivi adveniens tuum?
Quod tu hic abſente me novi negotii
Geſti? cumq; bene proveniſti, gaudeo.

Inæqualis alioqui oratio: & *Geſti*, pro geſſiſti, non inſolens Plauto.
Idem noſter ibidem porrò:

Aliam aliorſum ire, præmandare & quærere
Puerum aut puellam qui ſupponantur mihi.

legebat olim *pervenari*, pro nihili verbo *præmandare*. Si tam longè abire licet a veſtigiis vulgaribus, equidem *percontari* malim: ſed non hac via, metuo, verum aſſequemur. Altero verſu facio *ſupponatur*, & *qui* habeo pro particula adverbiali. Non tam ſermo, quàm ſenſus ita concinnior. Ulterius:

. . . . DI. *ó merces malæ!*
PH. *Eum nunc non illa peperit, quæ peperit, prior.*
DI. *Sed tu poſterior.* PH. *ordine omnem rem tenee.*

Antiquæ editiones omittunt intermedias perſonas, & junctim iſta Dinarcho uni tribuunt omnia.

. . . . DI. *ó merces malæ!*
Eum nunc non illa peperit, quæ peperit, prior,
Sed tu poſterior. PH. *ord.*

quod ſequor, & ſequendum ſuaſerim. Mox interpunctis inter ſe diſparandi verſus hi duo, non in unum ſententiæ nexum coeuntes:

Ubi ſine labore res geri pulcrè poteſt.
Ad ſuum quemq; æquum eſt eſſe quæſtum callidum.

Prior ſpeciatim ad puerperium refertur: alter generatim profertur de omni quæſtus genere & modo. cui ſententiæ non diſparis alius eſt fabulæ extremo:

Omnes homines ad ſuum quæſtum callent & faſtidiunt.

Ubi *faſtidiunt* verbum indubiè vitioſum, dubiè Palmerius mutat in *ſatis vident*: etſi magnis ſe viris eam conjecturam ait probaſſe. Sed aliquanto certius ego, *cavicluunt*. quod primò coaluit in *catiduunt*, mox in iſtud alterum ſibi proximum denegeneravit.

CA-

CAPUT IV.

Malè, pro aſtutè. Argutus. Munerigeruli. Frictio genuum in humili & blanda ſupplicatione. Quid eſt negotii? Manceris, pro manſeris. Comparatus aliquoties ſibi Plautus. Diſtinctiones mutatæ. Verſus unus trajectus: plures aliter conſtituti. Perſonæ redditæ. Corruptiſſimus locus emaculatus. Aliorum commenta quædam rejecta. Petronius à mala correctione defenſus.

SI incorruptè legitur ſcenæ proximæ initio,

Edepol commentum malè:

non capiendum *malè* trito ſignificatu, ſed pro vafrè, & aſtutè: quomodo *malus* & *malitia* cum hic ſtatim, tum alibi paſſim apud noſtrum ac Comicos omnes. Illa ſententia:

. . . . nullam rem oportet doloſè aggrediri, niſi
Aſtutè accurateq; exſequare:

ſimiles habet in Plauto multas, ſimillimamque iſtam,

Doli non ſunt doli, niſi aſtu colas.

Sequentia hinc eveſtigio ſic diſtingues:

. . . . vosmet jam videtis,
Ut ornata incedo: puerperio ego nunc me eſſe ægram aſſimula.

Nam ad *ægram*, *puerperio* pertinet, non ad *ornata*. Sic poſteà *puerperio cubare*:

Eumq; gero ornatum, ut gravida, quaſi puerperio cubem.

quod ſic ipſum quoque interpungo. τὸ *ut* enim non refertur ad verbum *cubem*: ed cohærent, *eum ornatum*, *ut* ſive tanquam *gravida*. In reliquis jam ſcenæ hujus verſibus unum eſſe trajectum ſuſpicor:

Date mihi huc ſtactem atque ignem in aram, ut venerem Lucinam meam.
Hic apponite atq; abite ab oculis. ô Pithecium,
Face ut accumbam, adjutare ſic decet puerperam.
Soleas mihi date pallium injice in me huc Archilis.
Ubi eſt Aſtaphium? fer huc verbenam mihi & thus & bellaria.

Quos dum in ordinem redigo, ſimul alia ex priſcis libris aut certiore conjectura emendabo:

Hic apponite, atq; abite ab oculis. ehò Pithecium
Soleas mihi dato: pallium injice in me huc, Archilis,
Face ut accumbam: accede, adjuta: ſic decet puerperam.
Ubi es, Aſtaphium? fer huc verben.

Cauſſam traductionis ſatis mihi videor habere gravem. Rei ſcilicet ordo vult iſtum ordinem ſermonis. Prius enim, quæ in aram, poſcit mulier: deinde ſibi ſoleas, deinde pallium: tum adjutari cupit, ut commodè accumbat ad aram: mox, quæ prius oblita, verbenam & reliqua petit: denique aquam manibus, ut ſacrum ipſum jam ſuum orſura. Scenâ *Ne exſpectetis*, rarius iſtud eſt loquendi genus:

Et homeronidam, & poſt illa mille memorari poteſt.

& cui idem alterum tantum in hoc obſervavi, Pœnuli fine:

Trecentos nummos Philippos, credo, corradi poteſt.

Mox deinde ſcribitur:

Non places cum illi plus laudant, qui audiunt, quàm qui vident.

Ineptiunt toto loco in provocabulis *qui* & *quæ*, libri veteres: quos omnes ſatis refutat is verſus,

Pluris eſt oculatus teſtis unus, quam auriti decem.

Ex quo ubique ſcribendum *qui audit*, *qui videt*, *qui audiunt*, *qui vident*.
Sed hic inſuper muto:

Non placet, quem illi plus laud. atque id ille verſus ſuadet,
Non placet, quem ſcurræ laudant.

Cenſoria porrò prorſus cenſura militaris hominis, in qua non temerè vox *argutus* toties iteratur, ac maximè ubi argutatores iſti præficis comparantur:

Sine virtute argutum civem mihi habeam pro Præfica.

Nam de Præficis ſolenniter id verbum noſter uſurpat: ut & Frivolar.

Superaboq; omnes argutando præficos.

Illud, utcunque tolerabile, non fero tamen ſic perpetuò legi.

PH. *Vide, quis loquitur.* AS. *jam propinquè miles, mea Phroneſium,*
Tibi adeſt Stratophanes. Nunc tibi opuſt. &c.

Nam aliquando jam tempus eſt amendari:

PH. *Vide, quis loquitur tam propinquè?* AS. *miles, mea Phroneſium,*
Tibi adeſt &c.

Ibi verò ſupini omnes editores, neceſſariam Aſtaphii perſonam cum omittunt:

ST. *Euge Aſtaphium eccam, et mihi advorſum.* AS. *ſalve ecaſtor Stratophanes.*
Venire ſalvum. ST. *ſcio.*

At mox: AS. *Peperit puerum nimium lepidum.* ST. *ecquid mihi ſimiliſt?*
AS. *An rogas?*
Quin ubi natuſt jam machæram & clypeum poſcebat ſibi.

Fortè cum apoſtropho ſcribendum *Quin'*, aut integrum ipſum *Quinis* cum addita pòſt nota interrogationis. Plautinum id ut alibi omnes ſciunt, ita hic vix quiſquam dubitabit. Non longè verſum explebis ita:

PH. *Ubi illa nam obſecra eſt, quæ me hîc reliquit, atque à me abſtitit?*

Etiam horum medio provocabulum *mihi* inſerendum, quod fruſtra numerorum gratiâ ab aliis ejectum:

PH. *Salve, qui me interfeciſti penè & vita & luminis,*
Quiq; vim magni doloris mihi per voluptatem tuam
Condidiſti in corpus, qua nunc etiam morbo miſera ſum.

Locus ipſe verò ſimilis illi ex Epidico, Sc. *Si quid eſt:*

. . . . MU. *tune is es,*
Qui per voluptatem tuam in me ærumnam obſeviſti gravem.

Sed illo hic aliquanto elegantior. in quo videtur etiam tecta alluſio obſcenior eſſe ſub ambiguitate vocabuli *pene.* quod temerè tamen fortaſſe ſuſpicemur.
Incipit alia ſcena:

Ite, ite hoc ſimul mulieri domnigeruli, foras gerones.

Vir magnus hic pridem legit *muli æris.* Mihi ſuccurrit aliquando, *numeri damnigeruli*: una voce, compoſitione duplici. Nam *munerigerulos* etiam ſeorſum dixit Pſeudolo, Sc. *Exite:*

Manipulatim mihi munerigeruli facite ante ædes jam hic adſint.

In penitiore hac autem ſcena depravatiſſimus iſte locus:

Meretricem ego item eſſe rear, mare ut eſt, quod des devorat, nec unquam
Abundat. at hoc ſaltem ſervat me, quom illi ſubeſt, apparet, haic des
Quantum vis, nuſquam apparet neq; datori, neq; acceptrici.

cui medici multi: ab omnibus nulla adhuc ſalus. Mitto lectiones aliorum & explicationes. Ex antiquiſſima ſcriptura, quæ hæc: *at hoc ſaltem ſervatu bi eſt vamecum apparet*: ex illo, inquam, monſtruoſiſſimo ſcripturæ monſtro poſt alios ita tento: *at hoc ſaltem intereſt. nam illi æſtuanti ejectum apparet.* Ad veſtigia non poſſis propius. Ex *tem ſer, intereſt*: ex *vatubi, nam illi*: ex *eſt vam, æſtuanti*: ex *ecum*, ejectum. Quæ quomodo invicem reſpondeant, jam hinc liquet cuivis; & in his verſato, ſimul occaſio corruptionis. Quòd ſi non omnia omninò verba, quòd tamen ſperamus; at ipſam ſententiam, ut confidimus, ſumus aſſecuti.

Nam

Nam dum mare & meretricem comparat, hanc tamen voraciorem pejoremque & damnoſiorem ſtatuit. Intereſſe enim hoc, quòd mari aliquando abſorpta reddantur, & appareant ad litus ejecta per æſtum; at quæ meretrix abſumſerit ſemel, ea conſumpta penitus nunquam poſtea redeant aut revideantur. Ibidem ulterius:

> *Ecquid auditis hæc quæ imperata ſunt?* GE. *ah. nolo auferant:*
> *Deſiccari lubet.* PH. *impudens es mecaſtor.* GE. *tun bona fide,*
> *Tune ais impudentem me eſſe, quæ ſis ſtabulum flagitii?*

Primùm nihil verius, quam veriorem lectionem eſſe priſcam *Defricari*. Frictio enim genuum adhibita in blandiore & humiliore ſupplicatione. quam ſibi quoq; ſervus hic fieri poſtulat, ut ille æquè ſervus nequam Aſinariâ ab ipſomet hero ſuo requirebat & impetrabat. Sc. *Cur me*:

> *Atqui pol hodie non feres, ni genua confricantur.*
> AR. *Quidvis egeſtas impetrat, fricentur. da nunc quod oro.*

Et ibidem: LE. *Nunquam hercle facerem, genua ni tam nequiter fricares:*

De ſiccatione munerum ridiculus eſt Lambinus, in qua facetum ipſe fuiſſe putat Getam. Deinde *lubet* an *jube* legas, non intereſt multo plus hilo. Sed verba ibidem etiam aliquot inſerunt antiquæ editiones:

> PH. *Impudens es mecaſtor: quantum eſt negotii?*

Quæ putabimusne temeraria, an recipi debere? Si hoc judicetur; ego corrigi prius debere cenſeam, ad iſtud exemplum:

> .... PH. *impudens es mecaſtor.* GE. *quid eſt negotii? tun' bona fide,*
> *Tun' ais impud.*

Sit ea formula indignantis, ſimilis alteri, quam habuimus perſæpe, *Quæ res?* & de qua diximus aliquoties, ad Pœnulum memini tamen potiſſimùm, & ad Perſam. Neq; indecenter excandeſcat Geta ſic, qui ſanè nonnihil ſtomachatur, impudentem ab impudentiæ ſtabulo ſe vocari. Mox:

> *Atque huc veniat, obſecra.* GE. *ilicet.*

non tantum *obſecrare* è veteribus, ſed & *licet* ſcribendum: quæ eſt vox aſſentientis ubique. Et in ea ſæpius atq; ad omnia repetitâ jocus extat Rudente Sc. *Aliquanda*. Hic porrò quod legimus:

> .... GE. *quæſo hercle, meone hero tu improbe*
> *Maledicere audes, fons vitii & periurii?*

monet me Petroniani loci, qui à correctione viri docti hoc exemplo defendendus. Nam ut hic *fontem* Plautus vitii dicit & periurii, ſic ille fontem urbanitatis, in iſtis: *Complosit illa tenerius manus: & ò, inquit; hominem acutum & urbanitatis vernulæ fontem!* Ut frontem ejus deſideres, qui *frontem* ibi juſſit emendari. Propius ſcenæ finem diu quoque jactatum illud eſt:

> .... *emoriere ocius, ſi manu nicerit.*
> GE. *Quid manu nicerim?* ST. *fac quod juſſi. mane. jam ego te hic*
> *Offatim conficiam.*

Neque dum convenit inter doctos, quid reponendum, quando non ipſum quidem retinendum per ſe conſtat. Alius fecit, *ſi manum iceris*: alius *ſi manum imbiteris*: alius neſcio quid aliud: Mihi rudis & ſimplex conjectura, ſuperfluere pauculas literulas malè iteratas ex ſimilitudine aliarum & una voce reſtitui poſſe *manceris*, ac poſteà *mancerim*: quod eſt ſolenni vice τῶν c & s, *manſeris* ac *manſerim*. Abire enim hominem jubet: & ſi manſerit, mortem minatur. Hoc perſpicuè firmari videtur illo ipſius Stratophanis ſequente dicto: *fac quod juſſi, mane.*

CA-

CAPUT V.

Poſt illuc veni quàm. Exponere ictu, cubito. Metuvere. Interbitere & Interbitare. Diſtinctiones concinnatæ. Lambini aliorumq; hallucinationes remotæ. Verſus tranſpoſitus. De Cyamo ſervo quæſitum. Plures aliæ correctiones.

VErè tragicus Hippolytus eſt comicus Truculentus: cujus pleraq; omnia membra tam miſerè diſtracta, lacerata, mutilata, ſuper etiam ipſam Virbii ſortem: ut quod illi tamen ab Æſculapio contigit, ut recollectus in unum corpus & vitæ & incolumitati priſtinæ reſtitueretur, huic evenire poſſe deſperatum ſit jampridem, etiamſi reficere ad illius exemplum una cum filio Apollo ipſe pater adnitatur. Neq; tamen non in melius inſtaurata ſunt multa ejus hactenus ab Aſclepiadis membra: ſed iſta partium ſingularum cura quaſi deſultoria parum etiam promovit ad totius ſalutem univerſam. Nos quoq; non pauca, ſed levius affecta, membra ſanavimus: è quibus & hæc deinceps ordine ſequentur.
Sc. *Date ſoleas:*

Quo pacto excludis quæſo? potin planius
Quàm excluſus nunc ſum.

Non convenit irato militi blandiens iſtud *quæſo*, ad ipſam quidem Phroneſium. Ad ſpectatores verò pertinet: & diſtinctione mutata ſcribendum:

Quo pacto excludis? quæſo potine planius,
Quam excluſus nunc ſum?

Illâ enim intrò abductâ, excluſus ad ſpectatores ſe convertit, & poſſumne, inquit, planius excludi & pulcrius ludificari? Locutionis forma ſimilis ſuprà hac fabulâ, Sc. *Ad fores:*

. . . . DI. *an me mortuum arbitrare?*
AS. *Qui potis es amabo planius?*

In illo deinde verſu variè mutando ludos ineptos facit Lambinus:

Num quippiam avarum mutat mores mulierum?

At nihil ibi inſincerum, niſi *mores*, quod erit ſanum, *s* detracto nam præpoſitionem *ab* inſerendam vix etiam putem: quæ tamen ante vocem *avarum* facilè potuit deperire. Sententia quidem eſt, nihil illam demutare à moribus avari ſexus, nec facere quidquam præter meretricium morem. Quamquam nunc profecto cum amplius cogito, non hoc ſic dici videtur in avaritiæ incuſationem: ſed pro *avarum* credo legendum *aliarum*, ut ſenſus è proximo verſu petatur:

Poſtquam filiolum peperit, animos ſuſtulit.

Nam huc adſtrinxerim: & militem cenſeam ejus ſuperbiam perſtringere in communi vitio mulierum, quæ omnes à filiorum partione plerumq; animis fiunt elatiores. Idem igitur, inquit, facit amica mea, quod mulieres aliæ: quia filiolum peperit, ſuſtulit animos, & ſe facit ferociorem. Sc. *Rus mane*, diſtinctum hoc eſt non ſatis benè:

Poſt illuc veni, quàm advenit (ſic Diis placet)
Ad villam, argentum meo qui debebat patri.

Cohærent *Poſt illuc veni, quàm.* tmeſi, pro poſtquam illuc veni. Sic interpunge igitur, ut intelligas, poſtquam ipſe venerit, alterum ſtatim illum adveniſſe; non contra. Ibidem *Exponendi* verbum nota minus trito ſignificatu:

Nunc ego iſtos mundulos urbanos amaſios
Hoc ictu exponam, atq; omnes ejiciam forâs.

quo fuit etiam Caſinâ, Sc. *Senſim:*

ST. *Quid negotii eſt?* OL. *obſecro ut valentula eſt!*
Pæne expoſivit cubito.

Eſt utrobique, loco movere, de gradu dejicere: & forſan à luctatoribus translatum. Etiam ibidem:

nunc

. . . . *nunc hodie eff.ram Ad hanc argentum.*

Simplex repone *ſeram*. Jam enim extulerat, porrò laturus ad amicam. Literæ ſuperfluentes adhæſerunt à proximis utrinq; vocibus: quarum in altera *e* poſtrema, in altera *ſ* prima.

Scena *Mirum*, verſuum iſtorum alter:

ST. *Nimio minus ſævus jam ſum Aſtaphium, quàm fui.*
Jam non ſum truculentus, noli metuire.

etſi ſtigmatias ab aliis factus, mutilus quidem non eſt tamen, ſi verbi ultimi literam mediam gemines, *metuvere*. quod crebro ſolet in ſimilibus, & paſſim apud noſtrum alioſque *fuvit*, *pluvere &c.* Quamquam nec hoc neceſſe: plenique numeri fient, particula *Jam* in duas ſyllabas tralatitio more reſoluta. Forſan autem ipſe verſus tranſponendus, & hoc ordine cum reliquis legendus:

ST. *Nimio minus ſævus jam ſum, Aſtaphium, quàm fui.*
Quid vis? AS. *quid? tuam exſpecta truculentiam.*
ST. *Tam non ſum truculentus: noli metuvere.*
Dic, impera mihi.

Ibidem non malum:

Heu edepol hominum nihili! AS. *onne autem ut ſoles?*
ST. *Imo nihil dico.*

ſed melius, AS. *jamne autem*. Iterumne jam, inquit, ſis truculentus, & ad ingenium denuò redis? In quo ſenſu *jamne* aptius: & libentius alibi Plauto ſic uſurpatum. Bacchid. Sc. *Mirum*:

Scis tu confringi vas citò Samium ſolet.
PI. *Jamne ut ſoles?*

Sed ibi de joco & ludo deliciarum in ſermone. Porrò hinc ad ſcenam *Neq; gnatus*. Ibi Cyami ſervi meminnem facit Dinarchus, incertum ſui, an amicæ:

Ad me magna nunciavit hodie Cyamus gaudia.

Ipſius aſſe videatur ob nuntium relatum: quem tamen Geta potius retulerit, qui ad eam ſuprà cum donis miſſus. At illius eſſe conjeceris ex ſcena ipſa, ubi de donis agitur. Illic enim tamquam ſuo mulier imperat:

PH. *Grata acceptaque ecaſtor habeo.* GE. *jube auferri intrò.* PH. *i Cyame.*
Ecquid auditis hæc, quæ imperata ſunt? GE. *at nola auferant.*

ſi diſtinctio perſonarum iſta vera: ac non potior hæc:

PH. *Grata acceptaq; ecaſtor habea. jube ferri intrò.* GE. *i Cyame.*
PH. *Ecquid auditis.*

Sed utraque iſtarum & alia quævis ambigua: nec inde certi quidquam hic conſtituemus. Eſt verò ſcenâ, quam dixi, maximè controverſus is verſus:

Salvus ſum, quia pereo. ſi non peream, pane vicem qui ſaras.

cujus voces ultimas duas quis non videat alienas, & à fine ſequentis hic aſſutas? Et delerunt jam has aliqui, cum varias editiones ſpecto: ſed nuſquam reliqua dum verba rectè reperio emendata. Pro *pane* certum jam olim eſt *planè* faciendum. Huic autem quid verbi omninò additum? non hercle *eſuriam*, quod veteres cuſi; neq; *intream* certè, quod ſuos manuſcriptos habuiſſe teſtatur Lambinus. Enimverò pro gloſſa hoc ego duco verbi æquivalentis, ſed antiquioris notæ; ex quo ſupereſt adhuc Camerarianum *vicem* in ejus libris. Id mihi non dubium, Plauti germanum eſſe, literulà tamen unà minus. *Vitem* enim fuit, quod eſt *bitem*. Cui addita præpoſitione, quæ in lituris delituit, *inter*; exſurgit Plautiniſſimum *interbitem*: cujus interpretamentum eſt, ut ajebam, ſcriptura Lambinianorum codicum *intercam*. Uſus eo Plautus & alibi, & Moſtellar.

Sc. *Quis homo.*

Hic ego tibi præſidebo ne interbitat quæſtio.

Sic igitur hic verſus indubiè corrigendus:

Salvus ſum, quia pereo: ſi non peream, planè interbitem.

Sequentium altero:

Nunc ſpeculabor quid ibi agatur, quis eat intrò, qui ſoràs
Veniat: procul hinc obſervabo miles quid fortunis ſuat.

turbant etiam in vocibus extremis: Quas ego quidem ſinceras judico, & tantum ex *miles* emendandum *meis*. Nihil enim de milite hic: de ſe ipſo & ſuis fortunis agit Dinarchus, atque ait obſervaturum ſe, quid rebus ſuis ſit futurum, quod probant ſubjecta mox verba, *Quià nihil habeo &c.* Militem autem præterquam quòd ſententia non fert, etiam numeri ejiciunt, iidem noſtrum *meis* ultrò depoſcentes.

CAPUT VI.

Secundare. Præſidere. Ne oblitus, oblituſne. Manum injicere aliquem. Hillum penſi. Calces ciere. Pectus aculeo aut ſtimulo punctum. In perſona erratum. In verſibus quibuſdam ordinandis diverſi concurrerunt: unus à nobis in locum multo ſuperiorem retractus: multi alii adverſus alios emendati & explicati.

LEpida porrò ſcena eſt, incipiens à voce *Lepidè*: In qua cùm mala ancilla malam heram malè hortatur ad officium malum, non benè verba initio concepta ſunt:

> . . . . *ama id quod decet rem tuam, iſtum exinani,*
> *Nunc dum iſti lubet, dum habet, tempus ei rei ſecunda.*

quæ magis etiam alibi confuſa. Sed in his ſi ultimum non diſtinguendum à præcedentibus, ut ad *tempus ei rei* ſubintelligatur *eſt*; equidem *ſecundat* cenſeo legendum. Tempus ei rei ſecundat, id eſt, operam dat, favet, proſperat, ſive adeo ſecundum eſt, quomodo apud neſcio quem poetam meminiſſe videor de navigatione dictum, ventos illi ſecundare. Proximum hinc verſum velim, ut eſt vulgò, retineri, nec *amantiam* & *res copes* à viro magno acceptari. Dehinc Item proximo, quidquid fiat incerto vocabulo *reſtricis*; verbum ipſum *præſidebo* cum Lambino minimè mutandum. Præſidere, cuſtodiam notat, & quaſi cuſtodiæ præfecturam & præſidatum. Moſtellariâ ſic:

> *Hic ego tibi præſidebo, ne interbitat quæſtio.*

Curtius lib. 4. *Quòd ſi perculſis Mazæus, qui præſidebat itineri, ſupervenisſet; ingens clades accipi potuit.* Idem lib. 3. *Ex fœdere naves ſociis imperat, quæ Helleſponto præſiderent.* Et omnes ſic ubique. Deinceps:

> *Tu perge ut lubet ludin iſtos.*

fortè legas melius *ludi iſtoc*, id eſt iſtum ludum. Sequentia ſunt Dinarchi:

> DI. *Quis eſt iſte? eja Aſtaphium, indica.*

ut libri quidem etiam priſci diſponunt. Longius hinc ludo literario comparatur amoris diſciplina:

> *Literas didiciſti: quando ſcis, ſine alios diſcere.*
> DI. *Diſcant, dum mihi commentari liceat, ni oblitus ſiem*
> *Quod dedi.* AS. *interea magiſter dum tu commentabere,*
> *Volt interibi* (ſic volo, non *interim*, verſus cauſſa) *illa itidem*
> *commentari.*

Ubi obſcurum quid velint, *ni ablitus ſiem Quid dedi*: verba ſine dubio non in totum ſincera. Legerim, *ne oblitus ſiem Quid didici*. Commentari ſecum vult, ne, quæ didicerit, obliviſcatur: aut, anne ſit oblitus. Ita *ne oblitus*, pro *oblituſne*, metatheſi frequenti. Ulterius:

> *Poſtidea ego te manum injiciam quadrupli veneſica.*

Veteres *in te*: ſed malè. quamquam in Perſâ non accipiebam eandem phraſin, ubi erat, *quempiam injexit manum*. At poteſt hic archaiſmus eſſe verus exemplo aliorum itidem junctorum cum accuſandi caſu verborum. ut inſervire, convenire, impendere, inſtare: quæ paſſim apud noſtrum. Statim ſequitur:

> *Nihili me: (quia) perdidi omne quod fuit, ſio impudens:*
> *Nec mihi adeſt ad illum penſi jam quos capiam calceos.*

Locus admodum dubiæ ſanitatis, à viro docto tamen ad Ethicos Theophraſti Characte-

racteres tentatus emendatur ſimul & explicatur. Legit, *Nec mihi adeſt tantillum penſi jam*. Et inter impudentiæ notas fuiſſe vult, calceis inconcinnioribus uti. Quæ ſi interpretatio vera eſt, non ſubſiſtit aliorum ad præcedentia verba *ſia impudens*: quæ trahunt eò, tanquam ſi impudenter in hoc ſe facere dicat Dinarchus, quòd ea quæ dederit repoſcat. Atqui non repoſcit ille: neque tam longè placet interpretationes peti. Non magis tamen alterum probo, etſi magis è propinquo arceſſitum. Nam de calceis quamvis non negem aliàs, hic tamen ineptum & alienum videtur. Sed nec priorum verborum iſtam correctionem amplector: Hanc potius *Nec mihi adeo eſt hillum penſi*. Hillum penſi, eſt nihili penſi. & hillum ſimpliciter, res nihili. quod Ciſtellariâ rectè corrigebat Gulielmius noſter: *Hillo ſunt homines miſerè miſeri*. Diminutivum eſt ab *Hir*, *hirulum*, quod contractè ſit *hillum* vel *hilum*. De reliquis verbis neſcio ſi debeo promere, quid olim conjectarim. Satius ſit tacere. Tamen cum pacis ac veniæ præfatione dicam. Non corrupta ſaltem, ſed tranſpoſita quoque invicem videbantur mihi: tentabamque legere, *quos calces ciam*. Scilicet ad incitas ſe redactum Dinarchum queri, qui quod fuerat omne perdidiſſet. Quæ quidem locutio crebra: & è Pœnulo maximè huc facit locus:

SY. *Profectò ad incitas lenonem rediget, ſi eas abduxerit.*
MI. *Quin prius diſperibit ſaxa, quàm unum calcem civerit.*

Sed quod timidè protuli, nulla mihi eſt audacia, quia nec fiducia, probandi. Paulò pòſt confuſi verſus duo ſunt, quos idem vir doctus ad Appuleji nuper Apologiam ordinavit, ordinatos prius à Cl. Grutero Suſpicionib. unde, ut videtur, hauſtam unam atque alteram etiam emendationem idem ibidem hujus nomine & meritò immeritò diſſimulato tranſcripſit in ſe: quas adeo, pluresque & mihi poteram illic non injuria vindicare, uti hanc quoq; ipſam hic in Plauto traductionem. Sed occupata quæ ſunt, ego quidem nemini eripio, neque me præventum doleo: fero ſaltem indignius iſtas non innoxiæ, cumque nonnulla aliorum injuria conjunctæ diſſimulationis artes. Hic poſt illos, de quibus inceperam dicere, verſus hoc jam modo à quocumque primùm concinnatos:

Sed quid hoc eſt? Prò Dii immortales, Calliclem video ſenem,
Meus qui affinis fuit, ancillas duas conſtrictas ducere,
Alteram tonſtricem hujus, alteram ancillam ſuam.
Pertimui, poſtquam una cura cor meum movit modò.

poſt illos inquam alio traductionis audacioris genere collocandus videtur ultimus ſequentis ſcenæ:

Næ illa ſtimulum longum habet, quæ uſq; illinc cor pungit meum.

qui inidoneus iſti loco, ſi conſideres; huic contrà, ſupra quàm dici poteſt, aptus. Ibi enim nihil Dinarchus à Phroneſio angitur aut turbatur, cujus opportunum ſibi occurſum gratulatur, ejus quidem cupidus, & ultrò deſtinatòq; ad eam profectus. At hic ad conſpectum ancillæ alterius reductus in memoriam facti ſui, quippe filiam ejus herilem compreſſiſſe ſibi conſcius, pertimeſcit: atq; eò cùm cor ſibi moveri curâ dicat, aptiſſimè ſubjungit, id ipſum ſibi pungi ab hac ancilla, quantumvis etiam longiuſculè abſente: cui ideo longum ſtimulum tribuat, ea loquendi ratione, qua & aculeus ad pectoris punctionem adhibetur Trinumo:

Jamdudum meum ille pectus pungit aculeus.

Hæc conjectura ſanè veriſimilis, ſi quod habet jus, à judiciis tamen impetrare debet eruditiorum, non à mea teſtimonii dictione ſtatim obtinere. Poſtremus hujus ſcenæ verſus:

Timeo ne malefacta antiqua mea nunc inveniam omnia.

variat in omnibus antiquis. Ex Aldina lectione *mea ſine inveniam omnia*, facio *mea ſint inventa omnia*, liquidiſſimâ ſcripturâ & ſententiâ. Metuit, ne flagitium hactenus occultum ſuum, ſtuprum nempe virginis, planè jam ſit patefactum, proditum, & inventum.

CA-

CAPUT VII.

Audere, pro velle, item poſſe, novè. Paries, homo intermedius alios diſtinens. Vino carere, Scatere. Manſtutor rejectus. Confexim. Nugæ interpretis ſpretæ. Loca plura præterquam quod correcta poſt alios, etiam expoſita. Verſus quidam traductus. Numeri refecti. Perſona variata. Alia notata.

NOvam ſignificatiouem deprehendiſſe mihi videor in verbo *Audeo*, quoi in eodem minus jam novam alii pridem notarunt, oſtendo, poni interdum pro *volo*: unde *ſodes*, pro *ſis* frequentatum. Hic verò ſcenâ proximâ *Egone*:

DI. *Lapideus ſum, commovere me miſer non audeo.*

videtur eſſe, *poſſum*. Potius enim, quia lapideum ſe dicit Dinarchus, non poteſt ſe commovere, quam non audet aut adeò vult. Idque in ſtupore & torpore proprium omninò. Ejus tamen uſurpationis exemplum aliud nullum habeo. & video, quid objecturi ſint, quibus hæc novitas non placebit: eſſe vulgatiſſimo ſenſu tantùm, neque audere Dinarchum præ formidine, ne fortaſſis adeſſe perſentiatur. Hos tamen & aliter & ſic eludere poſſum: jam nunc perſenſam Dinarchi præſentiam, ut claret ex proximè priore verſu:

AN. *Tacui, at nunc non tacebo* (f. *tacea*:) *quando adeſt, neceſſe eſt indicem.*

Sed ipſa interpretatio noſtra maximè firmiſſimeq; nititur unico argumento illo, quòd lapidem ſe ille ipſe dicit. Deinceps nullo ibi ſenſu eſt illud:

AN. *Video ego te propter.* CA. *mala qui eſt?* AN. *patronus parieti.*

in quo ſuaviter Interpres nugatur: aſtitiſſe Dinarchum ad parietem latitandi ſtudio, & dum ita ſe acclinat ei & adhæret, viſum tutari ac defendere, ne ruat. Sed idem & de reliquis ibidem magis intoleranda garrit. Ex antiquarum editionum hac lectione,

Propter malefacta, qui es patronus parieti:

divinationem facio hujuſmodi,

AN. *Video ego te, propter malefacta quojus patior onus parietis.*

non illepidam, nec de cujus veritate multum dubitari poſſit. Quid enim ad veſtigia literarum vulgata proximis accedat? Deinde quid elegantius hic, quam ut alludat ancilla ad ſenis ſuperius dictum, quo ſe parietem ipſe nominarat? Ita enim antè eſt:

CA. *Omnium primum diverſæ ſtate. bem ſic, iſtuc volo.*
Neve inter vos ſignificetis, ego era pariet. loquere tu.

Dicit igitur ancilla, videre ſe Dinarchum aſtantem in propinquo, cujus ob malefacta ſuſtineat onus hujus parietis, ſenis nimirum ita prementis & urgentis indicium nunc verbis, anteà verberibus ad faſtidium experti. Sic emaculatum pulchrè hunc locum puto.

Deinceps maculoſus ille quoque eſt:

Non vinum hominibus moderari, ſed vina homines ſolent,
Qui quidem probi ſunt: verùm qui improbus eſt, aquam ſi bibit,
Sive adeo caret temeto, tamen ab ingenio eſt improbus.

Inanis eſt ſententia: ſive aquam bibit, ſive temeto caret. An enim hæc contraria? Dicere id quidem debet ac vult; ſeu vinum, ſeu aquam bibit: vel, ſeu bibit vinum, ſeu caret vino. In quem ſenſum aut omittenda vox *aquam*, omiſſa ſanè in antiquis legentibus ibidem *ſubbibit*: aut hac relictâ, mutandum *caret* in *ſcatet*. non difficili transformatione, nec aliena phraſi.

Sic ferè enim Aulular.

Qua

Quæ mibi interbibere ſola, ſi vino ſcatet,
Corinthienſim fontem Pirenen poteſt.

Sed *caret* non temere tollendum. Vino enim carere eſt abſtemium eſſe: qua phraſi & Gellius utitur libri 13. capite ultimo, ubi de prandio canino agit: *Prandium autem abſtemium, in quo nihil vini potatur, caninum dicitur; quoniam canis vino caret.* Cetera verba ſic numeri cupiant ordinari, *tamen ab ingenio improbuſt.* Scena deinceps *Blitea*:

Ea dixit, eum Dinarchi puerum eſſe inventum filium.
Ubi id audivit, quamquam penet eſt mea omnis res & liberi,
Video eccum, qui manſtutorim me adoptavit bonis.

Plautinam eſſe vocem hic *manſtutorem*, non credam, neq; ſi aliquot Turbeni affirment. Quid enim huc manu-tutela? Et ejecta eſt neceſſaria vox alia *ſuis*, quam vetuſtiores omnes habent. Eam inde mihi reponam, cum aliud monuero prius, quod momenti non paullo gravioris. Nam qui tandem ipſi verſus hi cohærent, nullo ſententiæ inter ſe nexu vincti? Medius ne ſententiæ quidem ullius eſt: qui tamen & hinc semotus reliquos coire ſaciet non incommodè, & alibi collocatus ipſe acciplet aliquem ſatis tolerabilem ſenſum. Nam hic ferri nullo quidem, ut mihi videtur, pacto poteſt. Duo extremi ſi ſic jungantur:

Ea dixit, eum Dinarchi puerum eſſe inventum filium.
Sed video eccum, qui ſuis tutorem me adoptavit bonis.

nihil hic amplius deſideres. Nam abrumpit narrationem ſuam Phroneſium, cum adventantem ipſum Dinarchum videt. Tertius è medio illorum excluſus recipi poſt illum poterit, levites etiam emendatus:

DI. *Dii immortales, ut planiloqua eſt! paucis ut rem ipſam attigit!*
Ubi id audivit? quam penes eſt mea omnis res & liberi.

Commodiore certè nuſquam loco erit: etſi queat alibi eſſe, tamen eſt à Dinarcho pronuntiandus. Hujus enim res omnis apud Phroneſium erat pridem, perpetuis donis ad eam translata: nunc verò etiam erat filius, ab ipſa ſibi ſuppoſitus nuper, quam unum liberos ſuos dicit pater pluralitatis numero, vulgatâ conſuetudine Latinæ linguæ. Quòd autem quærit, *Ubi id audivit?* id commodè interpretandum. Non enim ſanè ignorare potuit, unde de puero Phroneſium audiiſſet: ſed ſuſpicari facillimè, ex tonſtrice ſua audiiſſe, quam Callicles anteà conſtrictam duxerat & heræ ſuæ rem hanc ipſam juſſerat nuntiare. Verùm gaudio & admiratione velut extra ſe poſitus nunc non cogitat hoc, quantumvis minimo antè geſtum. Præcedit hunc locum is verſus:

Me videre vis, & me te amare, puerum petis.

qui numeris defectus, elegantes ex antiquis ſuppleri poteſt, ac planè debet:

Me videre vis, & me te amare poſtulas, (&) puerum petis.

Sic totidem iiſdemque verbis reddit mulier, quod propoſuerat priore:

Scio mecaſtor, quid velis, & quid poſtules, & quid petas.

In illo etiam ſuperiore, ſententia hæret:

DI. *Mulier aſſum, profectuſt.* PH. *quid agitur voluptas mea?*

profectuſt retinent & interpretantur alii, alii mutant: illi ridicule, hi non ſatis benè. Corrigendum ſic ſcio:

DI. *Mulier, ad te ſum profectus.* PH. *quid igitur vol. mea?*

Severus Dinarchus, Ego deſtinatò, inquit, ad te venio, mulier: at illa ſolitùm blanda: quid igitur mea voluptas, aut qua cauſſa venis? Infrà:

In eam rem, ſi quid habebo, tibi quoq; etiam proderit.

Vide an iteratis duabus voculis, & perſonis variatis faciendum:

DI. *In eam rem?* PH. *in eam. Si quid hab.*

Et inferius:

PH. *Numquid vis?* DI. *facultas operæ ubi mihi erit, ad te venero.*

Non uno modo *facultas* iſtud mutarunt: hic *valeas*, alius *ſalveat*. Atqui duæ ſunt voces: altera, quam ille voluit; altera, quam ſimul ibidem non latere, ſed diſertim comparere non tamen idem vidit.
Scriptura enim Plauti eſt,

DI. *fac valeat. operæ ub. m. &c.*

Fini ſcenæ verbum deeſt:

Sine eum ipſum adire ut capit, ad me, hac rectà: ſi venerit,
Næ illum ecaſtor hodie aſtutis confectam ſallaciis.

Lambinus ejectis voculis *hac rectà*, intruſit *dimittam*, prorſus violenter, & omni ſine ratione: quam nec ullam dedit. Non fert ipſa ſtructura ſermonis ipſum talem ordinem vocabulorum. Nec enim præcedere verbum poteſt inchoativam particulam *Næ*. Relinque verſum priorem, ut vulgatur: altero pro *confectam* ſcribe *confexim*, & confectam rem ſine ulla aſtutia aut fallacia habebis. *Confexim*, valet confecerim antiqua inclinandi ratione, qua *effexis* etiam Pœnulo, pro effeceris. Sc. *Quid nunc.*

AG. *Egone? egone, ſi iſtuc lepidè effexis?* MI. *i modò.*

CAPUT VIII.

Potene eſt. Magno. Pecua in crumena. Muretus, Turnebus, Lambinus refutati. De lectione & explicatione plurium locorum contra hos ipſos diſputatum. Perſonæ exactæ. Verſus aliquot exempti, alioq; ordine alibi collocati. Finis Comœdiæ totus traductione verſuum interpolatus, & enarratione illuſtratus. Inſignes quædam in extremo emendationes.

VEnimus tandem multas per difficultates ad ultimam omnium ultimæ Comœdiæ ſcenam, in qua non leves etiam aliquot ſalebræ: quibus complanatis, laborioſæ induſtriæ noſtræ juſtum plauſum licebit poſtulare.

Sic ibi excuditur adhuc:

Potin es ut mihi moleſtus ne ſies? ST. *quid Aſtaphilitium eſt?*
AS. *Merito ecaſtor tibi ſuccenſes.* PH. *egon? atq; iſti etiam parum*
Malevolo. ST. *ego mea voluptas, ſi quid peccavi prius,*
Supplicium ad te hanc minam fero auri. ſi mihi rideſpice.

Quibus in emaculandis jam diu laboratum eſt à doctiſſimis viris. Sed vide primùm, an non, quod illis intactum remanſit, ita melius initio legatur, *Poten' eſt*: pro eſtne pote, ſeu poteſtne. Dehinc non lubet agnoſcere ellipticam orationem, *atque illi etiam parum male volo*: quæ ſupplenda ſit, pro merito ſcilicet ipſius. Legam, PH. *egone iſti? atq; etiam id parum: Male volo.* Succenſere dicebatur militi Phroneſium: at illa, parum eſſe ait hoc dictum de ira. nam ſe non ſuccenſere tantùm illi, ſed ad id malè etiam velle. Ultima putatur egregiè Turnebus reſtituiſſe, *ſi mihi rides, ſpice*: & in hoc Lambinus vectatur, qui viderit, *ſpece* rectius eſſe, quàm *ſpice*. Nam Muretus hic nihil minus quàm Muretus: *minam puriſſimi auri: eſpice*. Sed enim qua vi ſententiæ eſt illud alterum probatum ab omnibus, *ſi mihi ridet?* Mihi quidem non ridet, nec ſpecitur. Aliud àptius conjeci, *niſi mihi credis, ſpece*. Ferre ſe ſupplicium minam auri dicebat miles ad meretricem averſam: quæ cum haud etiam reſpiceret, addit, ſi verbis meis non credis, ipſam rem vide. Tum illa non oculis ſe videre, ſed oculatis manibus, reſpondet, nec quidquam antè, quam habeat penes ſeſe, credere.

PH. *Manus vetat, prius quam penes ſeſe habeat, quidquam credere.*

Si igitur credi ſibi velit, dandum hùc in manum innuit, quod ſe ferre dicat. Hinc longo ſatis intervallo eſt:

. . . . STR. *ades amica, te alloquor.*
PH. *At ego ad te ibam.* STRAB. *ad me, delicia?* PH. *hercle vero ſeriò.*

Ruſtico Strabaci minus convenire videtur illud delicatum *delicia*: nec ille ſat decorè hic molliculus, qui alias ubique durus. Si idem judicas, da vocem eam meretriculæ perpetuò blandienti: STR. *ad me?* PH. *mea delicia, hercle verò ſeriò.* Nam *mea* ſic quidem certò inſerendum numerorum cauſâ. Et poteſt Strabaci tamen etiam blan-

blandimentum id relinqui. Quem quòd porrò mox urbanum nobis Lambinus facit in iſtis:

Nequidquam es bella, malo tuo niſi ſimitu ego aliquî gaudeo.

quaſi *malo* dixerit pro *bono*, fallitur: & quod hoc urbanitatis genus ſit, ego quidem non ſcio. Hoc ſcio, in aliam longè ſententiam verſum corrigendum:

Quàmquam es bella, malo tuo es, niſi ſimitu ego aliquì gaudeo.

Libri veteres diſertè *quamquam* habent: quorum *nam* tamen pariter non recepi. Minaciter ac prorſus inurbanè, quamquam tu bella es, inquit, malo tuo es bella, niſi tecum ego ſimul aliquid inde fruor. Inconcinnum deinde illud eſt etiam, & nugis interpretis conſpurcatum:

STRAB. *Nibil* φλυαρεῖν *ſatius eſt, miles, ſi te omari poſtulas.*
Auro, baud ferrò deterrere potes me, amet Stratophanes.

Cùm in omnia animum verto, nihil videtur potius, quam Phroneſio, non Strabaci (illam enim minabundus ille compellarat) attribui verſus hos ita correctos oportere:

. . . . *Abſtine hoc mulier manuum,*
Niſi te meâ manubiâ machærâ & hunc vis emori.
PH. *Nibil* φλυαρεῖν *ſatius eſt, miles, ſi te amari poſtulas.*
Auro, baud ferro deterrere potes me, ne amem, Stratophanes.

A Strabacis amore minis avertere conatur amicam miles: ſed illa, ne eum amet, non ferro ſe ait, ſed auro tantum deterreri poſſe. Quod meretricium planè dictum Strabaci non competere ſatis eſt manifeſtum: atq; inter alia abſurda, quamdiu huic tribuitur, eſt illud quoque leviculum, quòd is nomine militem compellat. cujus hoc eſſe nomen neque ſcivit, nec audiit anteà fortaſſis unquam.

Ulterius legitur:

ST. *Malam rem i & magnam.* STRAB. *magno opere ſerva tibi viaticum.*

Præfigenda neceſſariò præpoſitio, *In malam rem*: deinde vox *opere* fortè delenda: qua numeri gravantur. Et *magno* ſolum ruſticus ſemper in ore habet, uti poſt paucos verſus:

STRAB. *Jam bercle jam magno tu vapula vir ſtrenuus.*

Mox ambigo, an illic:

Da tu de tuis deliciis ſummis quid pauxillulum:

melius *divitiis* ſcribi poſſit. Inde verò ſtatim qui verſus leguntur, eos non dubito alieno loco legi:

PH. *Compas dicis: abi, abi, conſultavi iſtuc.* ST. *mibi home*
Cave faxis volnus, tibi jam cui ſunt dentes ferrei.

Sed & corruptos eſſe, tum peſſimè à Lambino interpolatos, ſtultiſſimeque interpretatos, magis ſcio: neque me verò falli puto conjecturâ meâ, quâ hinc exemtos & ſic emendatos ſuperioribus illis adnecto:

ST. *Huncinne hominem te amplexari tam borridum atque ſqualidum?*
PH. *Quamquam hic borriduſt, quamquam hic ſqualliduſt, at eſt bellus mibi.*
ST. *Cave, faxit volnus tibi, tam cui ſunt dentes ferrei.*
PH. *Compas dicis: abi, abi, conſultavi iſtuc mibi, mi bome.*
ST. *Dedin' ego aurum?*

Quo quidem ordine nihil planius, & ſententiis autem nihil elegantius. Dehortatur amicam miles etiam nunc ab amore ruſtici tam horridi, tam ſqualidi; monetque cavere, ne inter oſculandum vulnus ipſi faciat homo ferreis dentibus: quam inanem ejus ſollicitudinem illa ridens, fruſtrà ſibi monitorem eſſe ait, ac ſatis illud ſibi ipſi proviſum ac conſultatum. Mirum verò & miſerum in modum ille quoque locus deinceps eſt corruptus:

ST. *Ubi eſt, quod tu das? ſolve zonas.* PH. *provocatur.* ST. *quid times?*
STRAB. *Tu peregrinus, hic babito, timeo meas, non ego ambulo.*
Pecua ad bonc colla in crumena ego obligatu deſero.

Ut

Ut multa tibi verba compendii faciam, ſic emendabis:

ST. *Ubi eſt, quod tu das? ſolve zonas provocator: quid times?*
STRAB. *Tu peregrinus. hic habito: timeo meos, non nego, clanculò*
Pecua ad bavo collo in crumena ego obligata deſero.

Dederat miles Phroneſio talentum, provocatus à Strabace, qui cum juſſerat non minaciis, ſed minis ſecum certare:

Melius te minis certare mecum, quàm minaciis.

Jam cum ipſe dedit, paria facere viciſſim jubet Strabacem: & heus tu provocator, inquit, ubi habes, quod tu des? ſolve zonas. quid verò turbatus hæres? Excuſat ille: illum peregrinum eſſe, neceſſariò pecuniis inſtructum: ſe hic habitare, neque zonam ære gravidam circumferre: quòd autem timere dictus ſit; ſe quidem non negare, timeri à ſe ſuos: ſed clanculò ſe munera ſatis ampla ſolere tamen ad Phroneſium deferre: pecubus in crumena obligatis alludens ad illas viginti minas, quas pro ovibus acceptas ſuprà memorabat & meretrici deſtinabat, Scenâ *Rus mane*. Porrò hic nec in illis jam multum ſani:

PH. *I nunc intrò amobo, & tu ergo hac mecum.* ST. *tu eris mecum quidem.*
STRAB. *Quid tu? quid ais? cum hoccine? ego poſterior dedi.*

quos etiam benè reſtitui in hunc modum:

PH. *I nunc intrò amabo & tu hàc.* ST. *ergo mecum tu eris?* PH. *tecum quidem.*
STRAB. *Quid tu? quid ais? cum hoccine?* ST. *ego enim poſterior dedi.*

Strabace jam antè recepto, poſt velitationem hanc ob recens donum jubet Phroneſium militem quoque introire: qui prius quærit, an ergo ſecum futura ſit: atq; illa reſpondet, futuram. Dolet id Strabaci: & cum hoccine futura es, inquit, me deſtituto? Suſcipit miles, ita merito ſuo fieri: nam ſe poſteriorem dediſſe. Deniq; ut ad finem aliquando veniamus, ſub finem nec ego ſcio, nec quiſquam ſcierit, quid ibi ſibi velint hi duo verſus:

Meamq; ut rem bene geſtam, veſtram rurſus benè geram.
Verum amabo, ſi quid animatum eſt facere, faciam ut ſciam.

Sed docere poſſum, nec huc pertinere, & quo pertineant, monſtrare: ſimul corruptiſſimos emendare. Quod breviter faciam, ne ſim diutius odioſus. Adjuvor autem paululum à priſcis editionibus, quæ altero horum verſuum pro *Meamq;* exhibent *Æque*. Quantumcunq; id auxilii; tamen eo animoſior in correctionem verborum fio: in verſuum traductione non niſi me ipſo & divinationis meæ certitudine fretus. Aggredior utrumque, & Muſis propitiis, perficiam; non ignobile faſtigium & colophonem laboribus his meis in optimum Comicum impoſiturus. Ita finem totum reſcribo:

PH. *Tu dediſti, hic jam daturuſt, iſtuc habeo, hoc expeto.*
Verùm utriq; mos geratur amborum ex ſententia
Æquum, meâ uti re bene geſtâ veſtram rurſus bene geram.
Verùm amabo, ſi quid animatu'ſt facere, faciam ut ſciam.
STRAB. *Fiat, ut rem gnatam video, hoc accipiendum eſt, quod datur,*
Mecum quidem te lectulum certè occupare non ſinam.
PH. *Lepidè ecaſtor aucupavi, atq; ex mea ſententia.*
Veneris cauſâ applaudite, ejus hæc in tutela eſt fabula,
Spectatores: bene valete, plaudite, atq; exſurgite.

Res quæ geritur aut dicitur, ordine jam liquidiſſimo conſtat. Ambobus ſe dare meretrix cupiebat, ut ſua re bene geſta, benè viciſſim illorum gereret ex utriuſq; ſententia: quod ita æquum eſſe ſtatuit. ſed ut poſſit, exorare neceſſe habet alterum prius receptum ac priores ſibi vendicantem, quantumvis miles poſterior dediſſet. Etſi dubium hoc quidem aliquo modo, an Strabax adeò potius, quàm Stratophanes exoretur. Nam quia & hic poſterior dedit & ad ipſum meretrix orationem hanc ab initio direxit, non fruſtrà videri poteſt is quoque verſus ad eundem pronuntiatus:

Ve-

Verùm amabo, ſi quid animatu's facere, faciam ut ſciam.

Tamen Strabacis omninò alter hic fuerit:

Meum quidem te lectulum certè occupare non ſinam.

quoniam is in lecto jam diu cubarat: ut patet ex illo ſuperiore,

Ita miſer cubando in lecto hic exſpectando obdurui.

Qui igitur eo militem prohibet: & hac rurſum ratione, tanquam potior idem potius videtur de admittendo adventore altero ſollicitandus. Sed uter tandem oretur; exoratur facilè, quia ex re nata fieri non poſſe aliter videt. Ibi illa ſic impetrabilis exhilarata, vertitur ad ſpectatores, & aucupio ſuo tam lepido jactato, Veneri ſuæ plauſum poſtulat, omneſque peractâ Venereâ planè fabulâ exſurgere jubet ac valere. quod ego meos etiam Lectores jubeo aut oro, ſecundùm ipſum item plauſum: ſi quem adeò tam longa ſuper omnes fabulas commentatione meruiſſe potui, neque magis prolixitate mea moleſtus & odioſus fui, quàm diligentiâ gratus ac jucundus.

CAPUT IX. EXTRAORDINARIUM.

Quæ ſuis paſſim locis in Plauto nos fugerant, item de quibus aliter poſteà ſtatuimus, hic velut per Saturam pleraq; eorum aut potiſſima retractata. De fundis & cenſibus in muliebrem mundum abſumtis loca elegantia diverſorum ad Epidicum inſigni acceſſione aucta. Supremam dicere in Aſinaria, poſt omnes, contra pleroſque, enarratum. De Mulis in Aulularia locus Tertulliani, item Martialis, ſtabilitus. Emiſſitius, Demiſſitius, Perpeſſitius. Tertulliani ad Plautum adſpectus. Seneca correctione tentatus. Offrenatus dolis, illecebris, offâ. Rugare. Detegere, Detergere in Plauto & Appulejo an permutanda. Turpilii verſus concinnati. Occupare, Locare ſuis contrariis permutata. Species, pro ſpecimine. Lucilius correctus. Medicari morbum. Prævelle. In Simplicitus oſcitantia Nonii detecta. Habere coctum cibum, coquere. Epeus fumicus, pro coquo. De eo Varronis locus: & ibi Fragmentum novum Plauti repertum. Genere, contumeliis cadere. Revorſionem facere. Neu, pro Nive. Plauti Querulus & Aulularia, item Rudens & Vidularia argumenti ſimilis aut ejuſdem Comœdiæ. Fragmenta alia duo rariora, emendata & explicata. His omnibus alia quoq; nonnulla inſperſa.

ABſolutum à me Plautum, & ab illo me putabam, cùm excuſſis ad extremum ſchedulis meis video quædam inter commentandum ſuis paſſim locis me fugiſſe: quæ non ab re fuerit hic quaſi reprehendere & retractare. Non tamen omnia protſus hic dare conſilium eſt, ſed potiſſima: quando nec in omnia inquirere mihi nunc licet prolixius, & quæ nunc vel oblata prætereo; vel etiam latitantia non inveſtigo; quæq; adeò nondum obſervata, porrò ſum in tam inexhauſto ſcriptoris ingenia omnia ſtudiaque abſorbentis velut mari notaturus, iis novus Commentarius olim fortaſſe debetur. Quæ nunc ultrò occurrunt, monitu non indigniſſima, nullo ordine, ut ſub manum quæque temerè venient, pro corollario & mantiſſa ſuperiorum hic appendam, aut velut communis ἐπιμυθίῳ fabularum omnium loco annectam.

Epidici igitur ſcenâ *Si tacete*, cum locum inſignem de indumento impluvii corrigeremus, atque ad hunc verſum,

Quaſi non fundis exornatæ multæ incedant per vias.

ſimiles de fundis & cenſibus in veſtes abſumtis Ovidii & Propertii notaremus Commentariorum noſtrarum IV. capite; ſubterduxerunt ſe nobis hæc plura gemina ejuſ-

dem rei & locutionis ex ſcriptoribus aliis exempla. Tertullian. de Habitu muliebri, in fine: *Breviſſimis loculis patrimonium grande profertur. Uno lino decies ſeſtertium inſeritur. Saltus & inſulas tenera cervix fert. Graciles aurium cutes Kalendarium expendunt, & ſiniſtra per ſingulos digitos de ſaccis ſingulis ludit. Hæ ſunt vires ambitionis, tantarum uſurarum ſubſtantiam uno & muliebri corpuſculo bajulare.* Quo loco in inſaniam muliebris ambitionis ut nihil acrius aut elegantius, ſic nihil & Plautino ſimilius. Quem graviſſimum & ſanctiſſimum ſcriptorem imitatus in eodem argumento magiſtrum diſcipulus, ut ſe ferebat, Cyprianus ſimilia dixit aliquot locis. ut de Bono pudic. *Mirum negotium; mulieres ad omnia delicatæ, ad vitiorum ſarcinas fortiores ſunt viris.* Et ibidem; *Quarum pretia etiam ſine artibus Kalendarium cujuſvis ex eduut* Et adhuc ibidem: *Quid cum digiti tali (an f. digiti digitali) auro onerati nec intrare poſſunt nec egredi: utrum uſur expoſcitur, an patrimoniorum inanis pompa monſtratur?* Item Hieronymus in vita Pauli Eremitæ: *Qui uno filo villarum inſuunt pretia.* Sed in illis Patribus hujus generis multo plura & ſeveriora, quam pro noſtro & Plauti modo. Quibus remiſſiore modulo ſuccinit Columella lib. 12. Præfat. *Nunc pleræq; ſic luxu & inertia diffluunt, ut ne lanificii quidem curam ſuſcipere dignentur: ſed domi ſedentes confectas veſtes faſtidio habeant, perverſaq; cupidine pretioſiores alias à viris pelliciant, quæ grandi pecunia & totis pæne cenſibus redimuntur.*

Et Martialis lib III.

Aurea quòd fundi pretio carruca paratur,

Ejuſdemque libro 9. trahi huc poteſt:

Emta tibi nox eſt fundis non tota paternis.

Nec item illud ejuſdem longius abludit:

Emiſti Labiene tres cynædos:
Addixti Labiene tres agellos:
Pædicas Labiene tres agellos.

Quæ ſanè loca non debuerunt illic omiſſa deperire.

Porro Aſinariæ ſcenâ *Cur me*, ſententiam noſtram dicere obliti ſumus de iſto verſu:

AR. *Mater mihi ſupremam tur dixit, domum ire juſſit.*

Plerique *ſupremum* legunt, & eum Lambino de valedictione interpretantur. Alii ad Varronis locum referunt, quem & ego mox dabo. Sed nuper doctus juvenis in Præmiſſis ad funerum ritum traxit, inque ea opinione ſubſcriptorem Notis in Catullum invenit alterum doctiſſimum juvenem, ad quem illam ipſam epiſtolà publicà perſcripſit. Hi igitur putant *Supremum dicere*, eſſe ſuprema vel ultima conclamare, ut in funeribus fiebat. Ac auctoris opinionem alter firmare voluit Quintiliani loco, qui neceſſitatem adeò non affert, ut vix probalitatem. Ipſe auctor ſtabiliri maximè conjecturam ſuam cenſuit eo, quod ſtatim de funere in ipſo Plauto ſubjicitur, tanquam apertâ ritus hujus alluſione:

PH. *Acerbum funus filiæ facit, ſi te carendum eſt.*

Id licet argutè, vanè quoque tamen eſt cogitatum. Nam Plautus id quidem nunquam aſpexit, qui perſiſtit ſimpliciter in orationis ſuæ genere, quo cœperat de morbo puellam prius facere loquentem:

AR. *Salve*, PH. *ſalvere me jubes, quoi tu abiens affers morbum?*

Morbo μεταφορικῶς dicto ſubjungitur eodem locutionis genere funus, nulla intermedii verſus relatione ad utrumque extremorum. Suo modo adoleſcens, ſuo loquitur puella. Verè autem *ſupremam dicere* eſt, dicere vocem ſupremam, quæ erat *Ilicet*, à Præcone in Comitio ſolita ad dimittendum populum pronuntiari. Quod non tam ex Varronis illo loco petendum lib. 5. LL. cujus verba rectè emendata iſta ſunt: *Suprema, ſummum diei. id à ſupremo. hoc tempus XII. tabulæ dicunt occaſum eſſe ſolis. Sed poſtea Lex Prætoria id quoque tempus jubet eſſe ſupremum, quo præco in Comitio ſupremam pronuntiavit populo.* Sed magis è Donato, qui clarius & explicatius ita ſcribit ad Terentii Phormionem: *Sic judices de conſilio dimittebant ſupremâ dictâ, cum præco pronuntiabat populo Ilicet, quod ſignificat ire licet.* Suprema igitur vox *Ilicet*, quam Plautus ibidem ipſe interpretatur, & hanc intelligere ſe ultrò ac diſertè ſatis oſtendit, cum ait, *domum ire juſſit*. Supremam di-

Digitized by Google

dixerat, dum domum ire juſſerat: Id eſt, *Ilicet* pronuntiavarat. quæ quidem vox in funeribus tamen etiam adhibita, ut è Servio pridem alii docuerunt, cujus huc maximè pertinentia verba ad illud VI. Æneid.

. . . . Ferales ante cupreſſos:

Varro tamen dicit pyras idea cupreſſo circumdari propter gravem uſtrinæ odorem, ne eo offendatur populi circumſtantis corona: quæ tam diu ſtabat, reſpondens fletibus Præficæ, id eſt planctuum principi, quamdiu conſumto cadavere & collectis cineribus dicebat noviſſimum verbum Ilicet, *quod ire licit ſignificat. Unde eſt, Dixitq; noviſſima verba.* Neq; tamen is locus hilum juvat Scheckianam opinionem, tanquam ſolum hunc funebrem ritum Plautus aſpexerit, qui non magis in animo habuit hunc, quam & illum vel in Comitio, vel Judicio, vel denique in Sacris, ubi eadem etiam voce populus dimittebatur. Nun inquam, peculiariter ad funera adſtringendum *Supremam dicere*, ſed communis ipſa illa vox *ilicet* communiter accipienda, quam omnino Plautus interpretatus ipſe eſt additiunculâ iſta ſuâ, domum ire juſſit.

Aululariæ ſcenâ *Narravi*: de mulorum uſu & pretio pariter magno loquuntur verſus:

Ego faxim, muli, pretio qui ſuperant equos,
Sint viliores Gallicis cantheriis.

qui mihi præter alia loca non efferenda memoriam refricant Tertulliani ad uxorem lib. 1. cap. 4. *Non quidem monilium pondera, non veſtium tædia, non Gallicos vultus, nec Germanicos bajulos &c.* ubi hac occaſione lectionem aliam marginalem affero *mulos*, pro *vultus*. Etſi enim hoc vocabulum tres pluresq; Vaticani manuſcripti habent, verius tamen eſt illud *mulos*. Muli namq; præcipui uſus in feminarum geſtatione, de qua Tertullianus ſentit, & in eadem bajulos ſtatim addit. De vultibus Gallicis non ita convenit: at de mulis apud omnes conſtat, & maximè omnium convincit atque illuſtrat hic Plauti noſtri locus. Sed & in partem Martialis venit, cujus æquè ambigua lectio epigr. 61. lib. 3. pariter in ea voce ſtabilienda:

Aurea quòd fundi pretio carruca paratur;
Quòd pluris mula eſt, quàm domus, emta tibi.

Sic veteres. Vulgò *nulli*: quod præoptet, qui nec aptitudinem mulæ ad carrucam adjunctæ, neque mendacium apertum videt de Quincti illius domo, quæ tota urbe fuerit una omnium maximo emta.

Ejuſdem Aululariæ ſcenâ primâ *Exi*, afferebam vocabulum *Emiſſitius*:

Circumſpectatrix cum oculis emiſſitiis.

allato pari *Demiſſitius* ex Pœnulo. Fugit monere, ad illum Aululariæ locum reſpexiſſe Tertullianum videri, qui quidem eodem verbo uſus de Chamæleonte, libro de Pallio cap. 2. *Capitulum ſtatim à dorſo. Nam deficit cervix. itaq; durum reflecti: ſed circumſpecti emiſſitii ocelli. imò luminis puncta vertiginant.* Forma verò inflexionis eadem *Perpeſſitium* dixit Seneca epiſt. 53. pro duro & omnia tolerante: *Levis aliquem matiuncula decipit: ſed cum creverit & vera febris exarſerit, etiam duro & perpeſſitia confeſſionem accepit.* Ubi non ſincerum ultimum verbum: pro quo nihil aptius nunc ſuccurrit, quàm *exprimit*. niſi potius legendum, *etiam à duro & perpeſſitio confeſſionem accipit.*

Captivis Sc. *Iniicite*. veriſſimè Gulielmius noſter olim emendavit:

Uſq; offrenatum ſuis me ducturus dolis.

Sed vocis ejus & phraſeos unum affert ſaltem ex Appulejo exemplum lib. 6. Metam. *Hunc offrenatum unius aſſulæ prædâ facilè præteribis.* Addo alterum ex Apologia: *Novæ nuptæ illecebris offrenatum ſuo arbitratu de via deſtiblit.* Qui ſcriptor eam ſine dubio è Plauto ſingulari ſtudio fuit imitatus.

Caſinæ Scenâ *Omnibus rebus*, pulchrè poſitum *rugandi* verbum:

Id eſt mecaſtor: vide, palliolum ut rugat!

Sed idem eodem modo in fragmento noſtri:

Quid eſt hoc? rugat pallium: amictus non ſum commodè.

Ad Epidicum cap. 2. hæſitavi in verbo *detegere*, quod primâ fabulæ ſcenâ:

Detegetur corium de tergo meo:

Etſi

Etſi verò nulla conjecturarum mearum ibi valdè improba, poſſim tamen hoc nunc relinquere: quamquam tergum potius dici debebat corio, non corium detegi de tergo. Voluit id in Appuleio quidam reſcribere, Apolog. *At tu piſcium inſimulator longè diverſa inſtrumenta Magis attribuis: non frontibus teneris detergenda, ſed dorſis ſqualentibus exſcindenda*. Voluit inquam *detegenda*. Sed quâ cauſa? Eodem jure contrà in Plauto poſſis dicere ſcribendum *Detergetur*. Turpilii verſu Pedio, in quibus id verbi, ſic in numeros recolligendi:

. . . . quæſo omitte ac deſere
Illam, quæ ſemel te nacta ſemper ſtuduit perdere,
Detegere, ſpoliare, oppleréq; adeo fama ac flagitiis.

Ad eandem fabulam cap. 3. dixi quædam de verbo *occupandi*, & ſimilibus, ſuper iſto verſu ſcenæ *St. tacete*:

Atque id non decem occupatum tibi erit argentum dies.

Quæ etſi non planè revoco, vide tamen, an non *Occupatum* ſimpliciter ita Plautus dixerit, quomodo Columella lib. 11. cap. 1. *Pecuniam domini neq; in pecore nec in aliis rebus promercalibus occupet. Hæc enim res avocat villici curam, & eum negotiatorem potius facit, quàm agricolam*. Ut noſter non ad fœnebrem occupationem, nec aliò reſpexerit: ſed argentum in mercimonio & emta fidicina ſic occupatum ſentiat, ut pecuniam ſcriptor rei ruſticæ minimè ruſticus in quibuſvis promercalibus rebus. Scilicet in re emta pretium ita occupatur & hæret, quo minus ad alium uſum nummi transferri queant. De verbo ibidem *elocandi* maneo in ſententia, maximè, cum meminerim & Juriſconſultos interdum hujuſmodi verba permutaſſe, & in Seneca quoq; reperiam *locare* prorſus hoc modo collocatum: de Benef. lib. 3. cap. 22. *Quemadmodum ille (mercenarius) beneficium dat, qui plus præſtat, quàm quod operis locavit &c*. Apud quem eundem cùm alia, tum *creditor* & *debitor* etiam inter ſe commutaſſe jam pridem ab aliis ſunt deprehenſa.

Moſtellariæ ſecundâ ſcenâ, in verbis:

Ut & in uſu boni, & in ſpeciem populo ſint.

mutavi *ſpecimen*: cum quo tamen idem eſſe *ſpeciem* Nonius vult, cujus exemplum è Lucillio petitum hic per cauſſam emeodemus. Lucill. lib. xxx.

Sicuti ea, qui ea, quæ ſpeciem viſæ putamus eſſe.

Lego, *Secutiq; ea, quæ ſpec.*

Ejuſdem Comœdiæ ſcenâ *Juppiter*, non interpolari debet:

PHILO. *Perii*. TR. *habe bonum animum: ego iſtum lepidè medicabor metum.*

Nam cum accuſandi caſu Appulejus etiam *medicandi* verbum ponit, & quidem activâ inſuper formâ. Apolog. *Nunquam apud eum marino aliquo & piſculenta medicavit nec Proteus faciem, nec Ulyſſes ſcrobem, nec Æolus follem, nec Helena crateram, nec Circe poculum, nec Venus cingulum*. Atq; idem pòſt ibidem: *Dum ætatis aliquid ſuperſit, nuptiis valetudinem medicandum*.

Etiam ejuſdem penultimâ quod hactenus variè vexatur:

Nunquam edepol hodie inultus deſtinaverit tibi.

vide, num poſſit ita conſtitui:

Numquam edepol hæc hodie inultus deſignâveris mihi.

Ut *inultus* ſit pro impunitus. *Deſignare* & *Deſtinare* quàm facilè, quàm ſæpè ſibi invicem ſubierint, oſtendi ad Curtium nuper. Ipſe verò vix quidquam huic conjecturæ hic tribuo.

Milite non vanam fortaſſe correctionem ſuppreſſi, qua majore fiducia nunc reddo:

Primâ ſcenâ: PY. *Facetè advertis animum tuum ad animum meum.*
AT. *Noviſſe mores me tuos meditate decet,*
Curamq; adhibere, ut prævolet mihi quò tu velis.

A *prævolando* capiunt *prævolet*: ego à *prævolenda* velim, atq; ita legam, *ut prævelim quod tu velis*. Nihil enim aliud paraſitus dicit, quàm ita ſibi mores militis cognitos eſſe oportere, atque ita animum iis advertendum, ut quæcunq; ipſe velit, ipſe prius velit. Novitas verbi mutationes poteſt invexiſſe.

Mercatoris Prologo Nonius aliter legit verſum,

Sed ea ut ſim implicitus dicam, ſi operæ eſt auribus.

Stu-

Stuporem hominis vide, qui duobus è verbis *ſim implicitus* unam vocem novam fecerit *ſimplicitus*: quam ſimplicites hoc uno exemplo munitam auſus eſt producere. *Simplicitus* ait *ſimpliciter*. *Plaut. Mercat.*

Sed eam ſimplicitus dicam, ſi opera eſt auribus.

Præclarè ſe geſſit, & obtinuit omnino quod voluit. Ipſum tamen vocabulum probum eſſe & conſiſtere poteſt, etſi hoc Plautinæ auctoritatis tibicine non fulcitur. Ejuſdem ſcenâ *Homo me*, elapſa mihi nota phraſeos:

Quæq; babeat cotidianum familiæ coctum cibum.

Eſt enim hæc circumlocutio coquæ: & *babere coctum cibum* nihil aliud, quam cibum coquere. qua phraſi idem noſter uſus alibi eſt in fragmento, quod apud Varronem latens educo & primus fortaſſe monſtro. Varro lib. 6. LL. *Plautus Epeum fumificum coquum: ab Epeo illo, qui dicitur ad Trojam feciſſe equum Trajanum Argivis, & aptè cibum curaſſe. Ideò ait Epeum fumificum, qui legioni noſtræ babet coctum cibum.* Nam verba hæc poſtrema Plauti verſum eſſe credo:

Epeum fumificum, qui legioni noſtræ babet coctum cibum.

quibus coquus circumſcribitur, ac nomine Epei fumifici indigetatur. Quamobrem in Varrone non junctim capienda *Epeum fumificum coquum*, tamquam à Plauto junctim poſita; ſed vox *coquum* ſeparanda à præcedentibus, & habenda pro interpretamento. Nam *Epeum fumificum* notat Varro jocosè dictum à Plauto pro coquo, alluſione priſci illius ad Trojanum bellum Epei, qui ſimul architecti, ſimul coqui munere functus ſit apud Argivos. Ceterùm formæ ipſi loquendi ſimiles multæ ſunt vulgares, quæ ita novæ non accidunt nobis ad animum vel aures. Talis *infeſtum babere*, pro infeſtare, Ciceronis de Rep. lib. 3. apud Nonium in *Infeſtum*. *Nam cum quæreretur ex eo, quo ſcelere compulſus mare infeſtum baberet.* Talis etiam fortè Plauti Rudente:

Tune hic feles virginalis liberos parentibus
Subiectas babebis?

quamquam ibi ſimplicius verba ſeorſum capi poſſunt.
Adhuc ejuſdem ultima ſcena tentatus aliis locus:

EU. *Qui bono ſunt genere gnati, ſi ſunt ingenio malo,*
Suapte culpa genere capiunt, genus ingenuum improbant.

neſcio ſi rectius ita corrigetur:

Suapte culpa genere cadunt, genus ingenuum ingenio improbant.

Ut *genere cadunt*, ſit pro excidunt: ut *cauſâ cadere* vulgò, & novitei Appulejus *contumeliis cadere*. Apolog. *Imò enim, ſi audire verum velis Æmiliane, tu potius caducus, qui jam tot calumniis cecidiſti.* Sed dicam & aliam in eundem locum conjecturam:

Suapte culpa culpam generi addunt, genus ingenio improbant.

Probandæ verò utrique aut alterutri nullum verbum impendere auſim.
Ad Pſeudolum capite ſecundo notavi locutiones, *Aſcenſionem*, *Reverſionem facere* quibus Varronis exemplum addatur apud Nonium in *Reditus*:

Ad milites facit reverſionem.

Ad Rudentem cap. 3. negavi *Neu* pro *Nive* reperiri, & hoc illi ſuppoſititium feci Feciſſe nunc videor imprudentius, qui non cogitarim, etſi exemplum quidem non in promtu ſit, rationem non deeſſe tamen, qua alterum defendatur. Ut enim à *Sive*, *Seu* frequentatur: quidni ſic etiam à *Nive*, *Neu* poſſit uſurpari? tantoq; magis, cum & *Neve* pro ipſo *Nive* in noſtro hac ipſa ad finem Comœdia ſcriptum reperiamus:

. . . . *Spectatores vos quoq; ad cænam vocem,*
Ni daturus nibil ſim, neq; ſit quidquam pollucti domi,
Neve adeo vocatos credam vos eſſe ad cænam foras.

Ultimo nunc loco fragmenta afferam duo ex Comœdia noſtri, cujus neque nomen, adeò non fragmenta ipſa dederunt Fragmentorum Collectores. Citatur enim & *Querulus* ſive *Querolus*, & ex ea ſub perſona Laris Familiaris:

Mibi theſaurum commendavit.

Unde conjicias, eodem argumento, quo Aululariam ſcriptam, aliam quoque à noſtro Comœdiam hoc nomine, ducto ab Euclionis ejuſdem aut alterius gemini Querelis. Sic quidem ejuſdem prorſus argumenti duas fabulas nominibus diverſis noſter fecit

Rudentem & Vidulariam: è quarum hac verſus multi conſimiles laudantur iis, qui hodie leguntur in altera, & quos aliàs ex illa ipſa temerè excidiſſe queas opinari. Sed ex *Querulo* affertur alibi illud etiam: *Pejerat ſæpe qui tacet. Tantum eſt enim verum, quantum & falſum dicere.* Quod ut abſurdiſſimam ſententiam continet (quomodo enim idem tantundem eſt, falſum dicere ac verum?) ita mutilum ego ipſum eſſe; & ſi integretur, illam inſtaurari multo aptiſſimam, elegantiſſimam, veriſſimam affirmo. Ac me quidem reparare confido etiam poſſe ipſiſſimam Plauti ſcripturam, in ſeſquiverſum ita digeſtam ex facili nec infelici divinatione:

. . . . *Pejerat perſæpe, qui tacet.*
Tantum enim eſt verum tacere, quantum eſt falſum dicere.

Perjurium ait etiam tacendo ſæpe committi. nam in pari eſſe, taceas verum, an falſum dicas. quod quidem puto illic dictum in inquiſitione perditi, ſiquidem fuit idem Queruli argumentum cum Aulularia, theſauri. A ſententia verò ipſa non longè diſſidet locus Ammiani Marcellini lib. 29. *Fallere non minus videtur, qui geſta præteriit ſilens, quàm ille, qui nunquam facta fingit.* Quin & eòdem ſpectant Auſonii verba ex Præfatione in Epicedium parentis: *Falſum me autem, morte ejus obitâ, dicere, & verum tacere, ejuſdem piaculi exiſtimo.*

Hæc ex pluribus pauca vicem Auctarii adjeciſſe nunc ſatis ſit: quibus adeò prolubium erat ulterius ſubnectere, quæ confuſa & depravata circumferuntur aliàs mirificè, reliqua omnia Fragmenta Plauti fidelius collecta, diligentius ordinata, ſincerius caſtigata: ſed alia conſilii ratio ſuaſit iſtam opellam non planè neceſſariam vel omittere penitus, vel hoc quidem tempore prætermittere, atque in aliud ac reliquis rebus meis commodius unà cum ceteris hujuſcemodi ſcitamentorum λειψάνων differre. Fuerit enim iſte Commentarius quaſi juſta cœna, quam fortè bellaria ac ſecundæ menſæ ſint aliquando ſubſecuturæ.

PII ANTONII
BARTOLINI
AUCTARIUM.

Digitized by Google

AUCTARIUM PII ANTONII BARTOLINI,

IN QUO CORRIGUNTUR LXX. LOCI IN JURE Civili, & ſeptem legum novæ & veræ ſententiæ aperiuntur.

AD CLARISSIMUM VIRUM

JO: FRANCISCUM ALDROVANDUM

Præclaræ Reipub. Bononienſis ſexdecemvirum ornatiſſimum.

Ciſtophori non coſtrophinati eſſe legendum. Et quid ſint.

CAPUT I.

IN libro 16. digeſtorum, titulo Depoſiti, lege Publia ita ſcriptum eſt: *Titius Sempronio ſalutem, habere me à vobis auri pondo plus minus decem, & diſcos duos, ſaccum ſignatum, ex quibus debetis mihi decem, quod apud Titium depoſuiſtis, item coſtrophinati decem*, &c. Eo in loco advertendum eſt, quia mendoſa dictio eſt ibi, *coſtrophinati*. Nam quid ſignificet hoc verbum *coſtrophinati* fruſtra quærimus. Corrigamus ergo ne diutius in poteſtate barbarorum ille locus detineatur, & *ciſtophori* legamus verum verbum. Sunt namque *ciſtophori* numiſmatum ſpecies, de quibus mentionem facit Cicero ad Atticum, & liquido oſtendit Feſtus Pompejus, cujus hæc ſunt verba: *Euboicum talentum nummo Græco ſeptem millium & quingentorum ciſtophororum eſt, noſtra quatuor millium denariorum*. Dicti *ciſtophori*, quod in eis imprimebatur imago cujuſdam ferentis (a) ciſtam, veluti & nos appellamus in coronatis id genus nummis, quod caput coronatum impreſſum habet. *Thy-*

(a) Quid ſi ipſi nummi Ciſtophori dici poſſunt, quod ciſtam in ipſis ſignatam ferrent? Scimus autem veteres in ſacrificiis Bacchi maxime ciſta uſus eſſe, quorum ſacrorum ſe inventores fuiſſe, ut oſtenderent Cretenſes, myſticam ciſtam cum ſerpente nummis ſuis cudi curarunt: quod & Macedones feciſſe novimus, quippe qui & apud ſe orgia inventa fuiſſe contendebant.

Thymelici non Temelici. Et quid ſint.

CAPUT II.

IN l. Athletas. ff. de his qui notantur infamia, ita ſcriptum habent codices noſtri, videlicet: *Et utile videtur, ut neque Temelici neque ſexuſtici, nec agitatores, nec qui aquam equis ſpargunt ceteraque eorum miniſteria, quæ certaminibus ſacris deſerviunt, ignominioſi habeantur*. Hunc locum à barbaris vindicamus, tandem in priſtinam libertatem reſtituimus, ſi quidem non *Temelici*, ſed (*b*) *Thymelici* ſcribendum eſt. Sunt namque *Thymeli athletæ*, ſeu *hiſtriones*, qui in ſcenis verſantur. Nam Græci θυμέλην ſcenam vocant, & θυμελικὸν hiſtrionem. Hinc dicta eſt *Thymele* uxor Latini mimi. Juvenalis. *Carus & à trepido Thymele ſummiſſa Latino*. (*c*) Hoc verbo uſus eſt Modeſtinus libro 50. dig. tit. de pollicitationibus, lege, Septicia, quo loco eodem modo mendoſe ſcriptum eſt:

Xyſtici non ſexuſtici eſſe legendum. Et quid ſint.

CAPUT III.

ESt etiam eodem libro & lege, depravatum verbum, *Sexuſtici*. Quod corrigimus, cum non *ſexuſtici*, ſed (*d*) *xyſtici* legendum ſit, ſunt enim *xyſtici* athletæ *xyſtis* certantes. Suetonius: *Nec tamen eo minus xyſticorum certationes, aut gladiatorum pugnas ſeveriſſime ſemper exercuit*. Græci namque *xyſtum* (*e*) porticum vocant ampla latitudine, in qua athletæ per hyberna tempora exercentur. Has & *paradromidas* Græci appellant, à noſtris *ambulationes* dicuntur, & *ambulacra*. Plinius: *Ante criptoporticum xyſtus eſt violis odoratus*. Cicero: *Sed tamen nihil ei reſtabat præter balnearia & ambulationem, & aviarium*. Plinius: *Tum fora atque gymnaſia, & pro ſuit extenta porticibus ambulacra miremur*. Xyſtus originem habet à ξυστὸν, quod *haſtam* ſeu *telum*, *ſpiculumve* denotat.

Oc-

(b) Huic adde legem 10. de pollicitat. *Cedent hæ uſuræ in præmia Thymelicorum, prout in unoquoque certamine curia determinaverit*.

(c) Martialis item 1. 5. 5.
Qua Thymelen ſpectat, deriſoremque latinum,
Illa fronte precor carmina noſtra legat.

(d) Monumentum vetus:

L. THENODORUS
XYSTICUS
PARIDI THYMELICO
BENE MERENTI
FECIT.

e) Apud Latinos inter Xyſtos, & xyſta diſcrimen eſt, ut obſervat Vitruv. v. 11. *Hæc autem* ξυστὸς *apud Græcos vocatur, quod athletæ per hyberna tempora in tectis ſtadiis exercerentur. Proxime xyſtum, & duplicem porticum deſignentur hypætræ ambulationes, quas Græci* παραδρομίδας, *Noſtri xyſta appellant, in quas per hyemem ex xyſto ſereno cœlo athletæ prodeuntes exercentur*. Athletæ igitur pluvio tempore ſub tectis porticibus quas Græci ab humo raſa æquaq; ξυστοὺς δρόμους appellarunt exercebantur; Sereno vero cœlo in ambulationibus *hypætris*, quas Latini *xyſta* dixerunt.

Ea-

Oenomelle non Cenomelli eſſe legendum.

CAPUT IV.

SCriptum habent codices mendoſi li. dige. 33. titul. de tritico & oleo legato l. ſi quis. *Cenomelli quoq; plane, id eſt, dulciſſimum vinum continebitur.* Eo in loco corrigendum eſt illud verbum *cenomelli*, nam *Oenomelle* legendum quis negat? quod quid ſignificet aperuit ibi Ulpianus, & ipſa compoſitio verbi liquido oſtendit: nam compoſitum verbum eſt ab *οἴνου* quod eſt vinum, & *melle*, quo genus potionis fieri docet Palladius, lib. 11.

Pollinctorem non pollicitatorem legendum, & quid ſit.

CAPUT V.

IN libro 14. dige. titulo de inſtitoria actione. l. cuicunque. plerique codices ſic ſcriptum habent. Item ait: *Si libitinarius ſervum pollicitatorem habuerit.* Hoc in loco libet à barbaris mancipium redimere, ut tandem jure poſtliminii *pollicitatorem* fruatur, quod verbum, dum apud hoſtes erat *pollicitatorem* nominatur, nunc autem redemtum *pollinctorem* vocabitur. Eſt enim *pollinctor* qui curat, lavatq; cadavera, nam *pollincere* eſt mortuos curare. Plaut. *Et qui curet pollinctorem accerſe.* Mart.

Jam ſcrobe, jam lecto, jam pollinctore parata,
Heredem ſcripſit me Numa, convaluit.

Plaut. *Carthaginenſ. duo fratres, fuere, eorum alter vivit alter mortuus eſt. Propterea apud vos dico confidentius, quia mihi pollinctor dixit, qui eum pollinxerat.* Quidam putant dictum *pollinctorem*, quaſi *pollutorem* à *polluo*, quod eſt *porro lavo*, quanquam *polluo* interdum *inquino* ſignificat, à quo *pollubrum* eſt dictum vas, quo manus abluuntur, quod & *Trulleum* dicitur: proprie tamen *pollinctor*, dicitur *piſtrinarius*, à *pollini*, id eſt, *flore farinæ*, unde *pollincere* eſt farinam in piſtrino lucrifactam dividere & *pollinctio* ipſa *diviſio* dicitur.

Xenia non Exenta legendum. Et quid ſint.

CAPUT VI.

SIc ſcriptum eſt lib. 1. dige. titul. de officio proconſulis. l. ſolent. videlicet, *Sed modum adjicere, ut neq; modo ſe in totum abſtineat, neq; avare modum euxeniorum excedat, &c.* Nos hunc locum corrigentes non *euxenia*, ſed *xenia* legendum cenſemus. Nam *xenia* dicuntur *munera hoſpitalia*, id eſt, quibus hoſpites invicem ſe munerantur, quod maxime fieri conſueverat ſaturnaliorum diebus, unde Martialis tertium decimum librum operis ſui, in quo hujuſmodi munera diſtichis deſcribit, *xenia* appellavit, quod verſus ipſos pro *xeniis* mitteret, vel quæ mittebat munera, diſticho exornaret, ut his verſibus idem oſtendit:

Omnis in hoc gracili xeniorum turba libello
Conſtabit nummis quatuor emta tibi,
Quatuor eſt nimium? poterit conſtare duobus,
Et faciet lucrum biliopola Triphon.
Hæc licet hoſpitibus pro munere diſticha mittas,
Si tibi tam rarus quam mihi nummus erit.

Et dicta ſunt xenia à ξένο, quod hoſpitem ſignificat, unde & *xenodechium* di-

dictus locus, ubi *hoſpites recipiuntur*, (f) quem vulgo *hoſpitale* vocamus A *xenia* ſit diminutivum *xeniola*. Advertant igitur recentiores Juriſperiti, ne amplius verbo depravato utantur, ſed tandem Latine loquantur.

Veterinarii non veteranarii legendum. Et quid ſint.

CAPUT VII.

IN lege ultima, titul. de jure immunitatis, li. dige. l. legitur *veteranarii*, quod verbum mendoſum corrigendum ita arbitror, ut *veterinarii* legamus. Sunt namque *veterinarii*, *veterinarum* curatores, hoc eſt, *veterinarum* medici, quos vulgus appellat *mareſcalchos*. *Veterina* vero animalia dicuntur, quæcunque *vehere quid poſſunt*. Plin. *Ungulæ veterino generi tantum renaſcuntur*. Opilius: *Veterinam belvam putat* dictam quaſi *veuterinam* a *ventre*, quod ad *ventrem* religatum onus gerat. De *veterinario* Columella: *Nam & arator reperitur aliquis bonus & optimus foſſor, aut fœniſector, nec minus arborator, & vinitor, tum etiam veterinarii, & probus paſtor.*

Automata non Entinoma legendum.

CAPUT VIII.

IN libro 1. dige. titulo de legibus. l. 3. ita ſcriptum eſt: *Jura conſtitui oportet, ut dixit Theophraſtus in his, quæ entonimo frequenter accidunt*. Quo in loco quid ſit *Entonima* non reperio, quapropter *Automata* legendum puto. Nam Græci αὐτόματα, *cauſalia & ſpontanea* appellant, quæ ſententia ſenſui legis optime accommodatur.

Fornacarius non fornicarius legendum.

CAPUT IX.

IN l. ſi ſervus. tit. ad legem Aquiliam. lib. 9. dige. ita ſcriptum eſt: *Si fornicarius ſervus coloni ad fornacem obdormierit*, &c. Illam dictionem *fornicarius* corrigendam arbitramur, *fornacarius* legendum à *fornace*, ſicuti *fornacariam* genere fœminino proferimus. A foco autem *focarius* & *focaria* dicetur, ut in l. quæſitum de ff. de fundo inſtructo. Advertendum prærerea eſt in l. continetur. de fundo inſtructo. quia *fornacator* non *fornicator* debemus ſcribere, quod idem quod *fornacarius* ſignificat.

Ver-

(f) Eadem nominis notatione xenias dicebant veteres Thermas publicas quæ hoſpitales eſſent & gratuitæ. Cic. pro Cœlio. *Conſtitutum factum eſſe cum ſervis, ut venirent ad balneas Xenias*: in eodem capite XXV. *conſtitui locum juſſit balneas xenias*: à quo loco miror quid ſit quod vir alioqui eruditiſſimus Janus Gruterus Xenias rejiciat, & Senias reponat. Xenias fuiſſe Palatinas Thermas putant aliqui, in quas aqua Claudia, ad cujus emiſſoria S. Roſcius occiſus fuit, perducta eſſe perhibetur.

Dio-

Vervecem non berbicem eſſe legendum.

CAPUT X.

IN titulo de abigeis 47. dige. in l. 1. ſic ſcriptum habent codices: *Et qui porcum vel capram, vel berbicem abduxerint*, &c. Hoc in loco illa dictio *berbicem* corrigenda eſt, & *vervecem* legendum. Eſt enim *vervex* aries caſtratus ita dictus, quod in eo ſit verſa natura. Et hoc diſtat *vervex* ab arieta, quod cantherius ab equo, majalis à verre, capus à gallo, capet ab birco.

Pyrrhicarii non Purrhicarii legendum.

CAPUT XI.

COdices noſtri in l. aut damnum, titu. de pœnis 48. dige. ſic ſcriptum oſtendunt: *Quicunq; in ludum venatorium ſunt damnati, videndum eſt an ſervi pœna efficiantur. Solent enim juniores hac pœna affici. Utrum ergo ſervi pœna iſta efficiantur, an permaneant in libertate, videndum eſt. Et magis eſt, ut hi quoque ſervi efficiantur. In hoc enim tantum diſtant à ceteris, quod inſtituuntur venatores aut purrhicarii, aut aliam quam volunt artem geſticulandi, vel aliter ſe movendi gratia*. Notandum eſt hoc in loco, quod illud verbum *purrichurii* male ſcriptum eſt, & ab interprete male intellectum. Nam id genus venationis dixit eſſe. Ut ergo poſthac recte ſcribatur, & recte intelligatur, de hoc verbo quid ſentiendum ſit, ſubjiciam. Itaq; non *Purrhicarii*, ſed *Pyrrhicarii* eſt legendum. Dictus autem eſt *Pyrrhicarius* à *Pyrrhica*, quod eſt genus ſaltationis Græcanicæ, quam *Pyrrhus* in Creta primus invenit, ut Plin. refert in 7. nat. hiſt. Et ſcribit Strabo in 11. *Pyrrhicam* repertam fuiſſe à *Pyrrho* pro juvenibus ad diſciplinam militarem exercendis, cui Solinus adſtipulatur. Scriptum enim reliquit Solin. Pyrrho repertore equeſtres turmas Creta prima docuit laſcivas vertigines implicare, ex qua diſciplina rei bellicæ uſus datus. Plat. lib. 7. de legib. Motus Pirrhices imitatur flexus corporum, quib. tela plagæq; vitantur declinando, concedendo, exſiliendo, in altum humiq; ſe contrahendo, contrarios item geſtus, imitatur, quibus videlicet contra alios quicquam infertur, ſagittando, jaculando, feriendo (g) Dion. Halicarneſſus tradit in 7. *Pyrrhicam* ſaltationem eſſe Enopliam, hoc ait, armatam. Refert Apulejus in 10. de aſino aureo, pueros puellaſq; Græcanicam ſaltaſſe Pyrrhicam, cum nunc in orbem rotatum flexuoſi, nunc in quadratum curvati, diſcurſus reciprocos explicarent. Senſus itaq; legis noſtræ eſt, quod quibuſdam damnatis dabatur facultas, ut eligerent quo more in ludum dimicaturi cum beſtiis & morituri procederent, nec à ceteris condemnatis diſtabant, niſi quod mori eo modo eis concedebatur. Quod genus ſpectaculi miſerandum juvenibus præbere permittebant.

Pi-

(g) Dionyſius tamen Pyrrhicam, quam luculenter deſcribit Plato legum 7. non Pyrrhi ſed Minervæ inventum eſſe facit, licet etiam à Curetibus multo ante repertam eſſe exiſtimet. Sed ipſum audiamus. *Id genus exercitii* inquit *apud Græcos olim cum primis erat celebre, armata ſaltatio, quæ vocatur pyrrhica: ſive id Minervæ inventum eſt, quæ poſt deletos Titanas in victoriali lætitia fertur prima cum armis ſaltaviſſe, choreaſque duxiſſe: ſive prius etiam inſtitutum à Curetibus, dum Jovem, quem nutriebant mulcerent armorum ſonitu, rythmicoque membrorum motu.*

Pityocampas non Pytiocarpas legendum.

CAPUT XII.

IN l. ejuſdem. tit. ad legem Corneliam, de ſicariis, lib. Pandectarum 48. ita legitur: *Si cui temere cicutam, ſalamandram, aconitum, pityocarpas aut babuſtrum, mondragoram & id quod luſtramenti cauſſa dederit cantharidos, pœna teneatur hujus legis*, &c. In hoc loco corrigendum eſt verbum *pityocarpas*, & legendum *pityocampas*. Pityocampæ autem ſunt vermes e pinu arbore naſcentes, morſu venenato, nec diſſimili à morſu *bupreſtis*. Plin. *Uſus ſæpe, contra cantharidas bupreſtin pinarum, quas pityocampas vocant.*

Bupreſtin non Bobuſtrum legendum.

CAPUT XIII.

IN eo loco legitur *bobuſtrum*, quod depravatum eſt, & *bupreſtin* eſt ſcribendum. Eſt enim *bupreſtis* auctore Plin. animal rarum in Italia ſimillimum ſcarabeo longipedi, fallit inter herbas bovem maxime, unde & nomen invenit: nam eo, quod bovem urit *bupreſtis* eſt nuncupata. Græce n. βοῦς, bos dicitur, & πρήθω urere. Devoratum ita inflammat tacto felle ut rumpat. Eſt etiam *bupreſtis* herba, quam Græci in laudib. ciborum habuere, qua deguſtata boves diſiliunt.

Pila non Pyra legendum eſſe.

CAPUT XIV.

SCriptum eſt in l. creditor, tit. de actionib. emti. 19. ff. *An domum mari junctam molibus jactis pyram conſtituit, & uti ab eo poſſeſſa domus fuit Cajo Sejo vendidit. Quæra an pyra, quæ ab auctore domui conjuncta erat ad emtorem quoque jure emtionis pertineat*, &c. Hunc locum corrigendum nemo eſt qui negat, & *pilam* ſcribendum eſſe non fateatur. Eſt autem *pila* rupes in mari, quæ fit molibus, id eſt, ingentibus ſaxis jactis, ut ſupra dorſum eminens ædificia conſurgant, de quo verbo etiam meminit. l. ergo ff. de acquir. rerum dominio. Quanquam & alia ſignificata habebat hoc verbum, quæ hic referre ad propoſitam materiam non ſpectet.

Calantica non Lautica legendum.

CAPUT XV.

IN titul. de auro & argento legato. l. argumento 34. ff. codices ita ſcriptum habent: *Ornamentorum hæc vittæ mitræ & ſemitræ lautica*, &c. Quid eo in loco *lautica* non ſatis compertum eſt, quod ut intelligerem diu laboravi, nec potui invenire quid *lautica* ſignificet, niſi epulatum magnificentiam. Quapropter puto mendoſam ibi dictionem, & *calanticam* legendum. Notum namque eſt, ut apud Nonium legitur *calanticam* eſſe tegmen muliebre, quod capiti annectitur. Cicero in Clodium *Tu ne cum vincirentur pedes faſciis, cum calanticam capiti accommodares?*

Porcas non Portas legendum.

CAPUT XVI.

EMendanda eſt *lex vicinus* in tit. de aqua pluvia arcenda, 39. ff. in verbo, *portas*. Nam non *portas* vel *porgas* (ut interpres ſenſit) eſt legen-

Digitized by Google

dum, ſed *porcas*. Nam *porca*, ut ait Varro, & refert Nonius eſt i *terra elata inter duos ſulcos. Dicta quod eam ſecus frumentum porrigitur*. Vel à *projiciendo, quod ultra ſe ſemina projici prohibet*, vel quod *prohibet ne aqua frumentis noceat*, ut auctor eſt Feſtus. Verba vero legis ſunt hæc: *Vicinus locus ſuperioris pratum ita arabat, ut per ſulcos itemq; porcas aqua ad inferiorem veniret, & cetera*.

Comminiſceretur non commiſceretur legendum.

CAPUT XVII.

IN l. 1. tit. de eo per quem factum erit, 2. ff. legitur; *Verum qui alios quoq; rogaverit, ut eum detinerent vel abducerent, ne judicio ſiſtat, ſive ſcientes, ſive ignorantes, quid eſſet quod commiſceretur*. Quo in loco puto illud verbum *commiſceretur* mendoſum. Nam quid ibi *commiſceretur* velit non perſpicio, nec interpres recte declarat, quem enim locum ſibi vindicare poteſt in eo loco *commiſceretur*? quapropter non *commiſceretur*, ſed *comminiſceretur* ſcribeudum cenſeo, nam *comminiſcor fingere* interdum ſignificat, unde *commentum* dictum pro *fictione*, Sin autem *committeretur* quis vellet legere longe à communi litera diſcederet.

Smyrna non Sunurna. legendum.

CAPUT XVIII.

IN l. ultima, titulo de publicanis libro. ff. 39. pleraque vocabula ſunt depravata, quæ quantum in me erit à barbaris vindicabuntur. Legitur namq; ibi *Sunurna* vel *Sirina*, cum ſcribendum ſit *ſmurna*, ſive *ſmyrna* quam noſtri *myrrham* appellant. Hanc arbuſculam ſcribit Plin. in 12. natur. hiſtor. in Arabia præcipue naſci altitudine cubitorum quinque ſine ſpina, caudice duro & intorto, craſſiore quam thuris, corticem lenem habentem ſimilemq; unedoni, ſolium rotundius, ſed ſapore juniperi. Inciditur myrtha bis iiſdem temporibus, quibus thus ſudat ſponte, priuſquam inciditur.

Pentaphylon non Pentaphorus. ſcribendum.

CAPUT XIX.

IN eadem l. ſcribitur: *pentaphorum*, ego *pentaphylon* ſcribendum puto, quod latine dici poteſt *quinq; folium*.

Malobatrum non Malobaſtrum legendum.

CAPUT XX.

IN eadem l. ſcriptum habent mendoſi codices: *Malobaſtrum*, quod corrigendum eſt, & *malobatrum* legendum: Eſt enim *malobatrum* (ut Plin. ſcriptum reliquit, lib. 12. natur. hiſtor.) *arbor, quæ ex Syria fertur folio convoluto, arido colore, exprimitur oleum ad unguenta fertiliore ejuſdem ex Ægypto*. Laudatius ex India venit.

Ca-

Coſtamomum non Caſtramomum legendum.

CAPUT XXI.

IN eadem l. ſcriptum eſt *caſtramomum*, ſed non recte cum *coſtamamum* ſit legendum, ur verbum ſit compoſitum ex *coſta & amomo*, & ita reperi apud codicem vetuſtiſſimum. *Coſtum enim eſt frutex odore eximio, radix ejus guſtu fervens*, ut auctor eſt Plinius in 12. de *amomo*. Idem Plin. hæc tradit: *Amomi uva in uſu eſt Indicæ a vitæ labruſca (ut alii exiſtimavere) frutice veneno ſo, palmi altitudine, capiturq; cum radice manipulatim, leniter componitur, &c. lib.* 12.

Callamur non aliter legendum.

CAPUT XXII.

IN eadem l. ſctiptum eſt varie de vetbo *callamur*. Nam quidam codices habent *callam*, quidam *callainur*, quidam *callamur*. Nos *callamur* legendum atbitramur, neque intelligendum de *calamo* quo ſcribimus, neque de *callamo* odorato, qui ex Arabia provenir, de quo tractat Plinius in 12. ſed intelligendum de *callamo* lapide pretioſo, quia inter lapides eum connumerat Martiauus Juriſconſultus. Eſt enim *callamur* unum ex generibus *aris* ex Thaphiuſo naſcens, ut teſtatur Plinius 36. natur. hiſtor. Si quis vero *calais* legere velit, auctoritate ejuſdem Plinii nititur, qui libro ultim. ſcribir, *calain* lapidem pretioſum eſſe *ſaphyrum* imitantem & candidiorem, litoruſu mari ſimilem.

Cylindrur an ſit legendum, an aliter.

CAPUT XXIII.

COdices vatii in l. ult. tit. de public. libro 39. ff. varie habent ſcriptum in verbo *chelin*: nam & *chelin* & *cheil* & *chelinne* reperio ſcriptum, neq; ex his potui rimari aliquem bonum ſenſum: lapidem pretioſum puro voluiſſe ſignificare Juriſconſultum, quia inter lapides id verbum connumerat, quapropter nihil certum cenſeo, niſi *Cylindrus* ſit legendum, de quo meminir Juriſconſultus in l. pediculis, de aur. & argen. lega. & tradir Plin. 37. Item *xilinas* veſtes legimus ex *xila* lino Egyptio, quæ & *Coslampinæ* appellantur.

Ceranniam non ceranium legendum.

CAPUT XXIV.

IN eadem l. varie legitur verbum, *ceranium* cum ſit legendum *ceraunium*, quanquam Plin. fœminino genere *ceranniar* has lapides appellat libro ultimo, cap. 9.

Amphipata non anſitaria legendum eſſe.

CAPUT XXV.

IN tit. de auro & argent. legat. lib. dige. 34. in l. veſtis, inter virilia veſtimenta connumeratur, verbum *anſitaria* ſeu *anſitopa*, quod corrigimus & *amphitapa*, eo in loco legendum proculdubio cenſemus. Sunt enim *amphitapæ* veſtes, quæ utrinque ſunt piloſæ, ut refert Nonius.

Si-

Sicilicum non ſiliquam legendum.

CAPUT XXVI.

CODices pandectarum in titul. de annuis lega. l. liberto. 33. ita ſcriptum habent: *Quæſitum eſt, cum noverca univerſæ hæreditatis haberet dodrantem, ſemiunciam & ſiliquam, an ejus partem dimidiam privigno ſuo reſtitueret*, &c. Hunc locum corrigimus & *ſiliquam* abjiciendum non dubitamus & *ſicilicum* ejus loco ſcribendum. Eſt autem *ſicilicus* pars quarta unciæ, qui ex ſex ſcrupulis conſtat, ita dictus, quod *ſemiunciam* ſecet. *Siliqua* autem non poteſt eo in loco ullo modo ſtare, quia non ſignificat quartam partem unciæ, ut in ea lege intelligendum eſt, imo uncia continet *ſiliquas* ſex & quinquaginta ſupra centum, quod apertius oſtendimus in libello, quem de interpretatione verborum juris civilis confecimus.

Emporia non Elemphoria legendum.

CAPUT XXVII.

IN lib. ult. pandectarum. titul. de muneribus & honoribus. l. ulti. codices ſic ſcriptum continent: *Elemphoria & hoſpitatura apud Alexandrinos patrimonii munus exiſtimantur*, &c. Quid hoc in loco *Elemphoria* velit quærendum eſt. Ego quæſivi, ſed incaſſum. Forte Emporia ibi ſcribendum eſt, ſunt namque Emporia loca, ubi mercatus ſeu nundinæ fiunt. Græci enim ἔμπορον *mercatorem*, ἐμπορίαν *mercatum*, ἐμπορεῖον *oppidum ſive alium quemvis locum, in quo fiat mercatus*, vocant.

Lana ſuccida, non lana ſuccus ſcribendum.

CAPUT XXVIII.

COdices in l. ultim. tit. de publicanis 39. ſcriptum habent, *lana ſuccus*. Cujus loco non dubito, quin *lana ſuccida* ſit ſcribendum, quod ſi quis recte perpendat, quin mihi adſtipuletur non ambigo.

Baphia non Baptha legendum, & alia.

CAPUT XXIX.

SIc exarata ſunt verba in l. ult. tit. de veſtib. Holoberis & auratis. lib. Codicis 11. *Et ideo ſeptimum de ſcrinio exceptorum. Sextum de ſcrinio canonum, quintum de ſcrinio tabulariorum, at quartum de ſcrinio ad baphia Phœnices per certum tempus mitti jubemus*, &c. Hunc locum depravatum nemo negabit. Quare ita corrigendum exiſtimo, ut præpoſitio, *ad*, quæ præponitur huic verbo, quartum, abjiciatur, niſi quis in *at*, aut in *&*, vellet convertere. Item alia præpoſitio, *ad*, quæ proponitur verbo *baphia* auferatur, & poſtponatur. Itemque legatur *baphiæ*, non *baphia*. Sic ergo ſeries verborum ſupra memoratorum erit ordinanda, videlicet: *Et ideo ſeptimum de ſcrinio exceptorum, ſextum de ſcrinio canonum, quintum de ſcrinio tabulariorum, quartum de ſcrinio baphiæ ad Phœnices*, &c. Præterea intelligendum eſt *baphiam* non eſſe nomen provinciæ, ut interpres ibi opinatus eſt, ſed *baphiam* dici *tabernam tinctoriam*, quod & *baphium* dicitur, ut in l. privatæ eodem libro tit. de murilegulis. Unde *baphii*, *tinctores* dicuntur, & *lana bapha* & *dibapha*, ſeu *bapta* & *dibapta*, id eſt, *tincta* & *biſtincta*. Græce namq; βάπτειν eſt *tingere*, *inficere*.

Baphiorum non Pamphiorum legendum.

CAPUT XXX.

IN l. privatæ, titulo de murilegulis, ll. 11. codicis, legitur *pamphiorum*, vel *bamphiòrum*, quo loco ſcribendum eſt *baphiorum*, quod verbum quid notet, ſupra declaratum eſt.

Nam, legendum, non, aut non?

CAPUT XXXI.

IN l. penultima, titulo pro derelicto; libro ff. 41. ſic ſcribi conſuevit videlicet: *Si quis merces ex nave jactatas inveniſſet, non ideo uſucapere non poſſit, quia viderentur derelictæ: Quæritur, ſed verius eſt, eum pro derelicto uſucapere non poſſe.* Hunc locum ſi quis recte intueatur, non legendum arbitrabitur negative in principio. l. ſed interrogative & dubitative, nec ſcribet notam negantis *non*, ſed notam dubitationis atq; interrogationis *non?* exemplo l. 1. §. tuetur, ff. de ſuperficiebus, & l. qui decem in fine. ff. de ſolutio. & l. ſi procuratorio. ff. quando appel. ſit. & multis aliis locis: Ita ergo puto legendum. *Non ideo uſucapere non poſſit, quia viderentur*, &c.

Schemate non ſtemmate legendum.

CAPUT XXXII.

IN Authentica, Interdicimus. titul. de Epiſcopis & Clericis. libr. 1. codicis, legitur: *ſtemmate*, quo loco *ſchemate*, eſt ſcribendum, quod & ratio ſuadet, & locus, ex quo deſcripta eſt illa authentica probat; Eſt namq; *ſchema*, id quod noſtri vocant *cultum*, *formam*, *figuramve*: unde Imperator utitur centies in Authentico, hoc verbo *ſchemate* pro *forma* ſeu cultu, & ſi qua ſunt hujuſmodi. Hinc dicimus, σχήματα λέξεως & σχήματα διανοίας, id eſt, figuras verborum & ſententiarum. *Stemma* autem aliud ſignificat, quod hic referendi locus non eſt.

An legendum ſi heres interfuerit, an ſi heredis interfuerit.

CAPUT XXXIII.

IN l. 1. §. hæc actio. ff. ſi quis teſtamento liber eſſe, legitur videlicet: *Sed & ſi heres interfuerit*, &c. Corrigendum hunc locum exiſtimo, & legendum, *ſed & ſi heredis interfuerit*, quod etiam mediocriter eruditus non inficiabitur.

Latus clavus pro latis clavis eſt legendum.

CAPUT XXXIV.

IN titulo de teſtamento militis, libro ſexto, codicis. in l. ſi Ruffinus. codices ita ſcripti ſunt: *Si Ruffinus vir clariſſimus tribunus latis clavis major annis lege diffinitis faciens teſtamentum te manu miſit*, &c. Hic locus eſt depravatus, quamquam nemo advertat. Nam eo in loco non *latis clavis*, ſed *latus clavus* eſt legendum, quod verbum *patricium* ſignat. Nam *patricii*, *lati clavi* dicebantur à quodam genere *veſtis*, qua ipſi utebantur, quæ *clavos latos* veſtibus conſutos habebat: Unde Varro dixit: *Si tunicam latis clavis quis ex una parte conſuat, ex altera anguſtis, utraque part coret analogia.*

De his *clavis* intelligit Ulpian. in leg. cum aurum, & Pomponius in leg. ſequenti. ff. de auro & argent. legato. De *laticlavo* Suetonius in Nerone: *A laticlavo, cujus uxorem attrectaverat Cæſar*. Silius: *Sacrificam lato veſtem diſtinguere clavo*, Quibus verbis notatur: *latum clavum* & ſacerdoti conceſſum fuiſſe. Horatius: *Et latum demiſit pectore clavum*. Quintil. *Notatur interim negligentia latum habentium clavum*.

Mart. *Dum ſe poſſe negat niſi late Gellia clavo.*
Nubere, nupſiſti Gellia ciſtigero.

Tradunt & Mœcenatem in equeſtri ordine ſponte permanſiſſe, cum utique ſumendi *laticlavi* poteſtas ei pateret. Ex his poteſt intelligi, quid Cajus Juriſconſultus ſcripſit in l. nuper. dige. de donat. inter virum & uxorem.

Pannarios non partiarios legendum.

CAPUT XXXV.

Lib. 10. Cod. In l. negotiantis, de excuſationibus munerum, legitur *partiarios*, quod reor mendoſum, & *pannarios*, legendum, à *pannis*: Nam quid ſibi velint *partiarii* eo in loco non video, quamquam interpres ita legat. Sicut enim ſupra retulit veſtiarios, lintearios, purpurarios, ita ſequi debet pannarios.

Cucuma ſcribendum & non aliter.

CAPUT XXXVI.

Codices pleriq; mendoſi ſunt, In l. 1. dige ad l. r. Corneliam de ſicariis, In verbo *cucuma*, quidam enim *cucunia*, quidam *cucurnia* ſcriptum habent, cum ſit ſcribendum *cucuma*. Quod verbum tanquam rarum inventu, notavit Angelus Politianus vir utriſq; eruditionis peritiſſimus. Eſt autem *cucuma* vaſis genus, a quo fit diminutivum *cucumella*, quo verbo uſus eſt Juriſconſult. in l. ſi quando, ff. ſi ſervitus vindicetur.

Cucumis non cucurnis legendum. Et quid ſint cucumæ.

CAPUT XXXVII.

IN l. r. titul. nulli licere in frenis & equeſtribus ſellis, &c. lib. Codices 11. ſic ſcriptum eſt videlicet. *Aliis autem gemmis frena & equeſtres ſellas & balteos ſuos privatos exornare permittimus, cucurniis vero omnem perſonis qualiumcunque gemmarum habitum præcipimus ſummoveri*, &c. Hoc in loco, quid ſignificet illud verbum *cucurniis* reperire non potui, ſed id verbum varie ſcriptum reperio: nam quidam *cucuniis* continent. Quapropter legendum puto *cucumis*, de quo verbo ſuperiori capite dictum eſt. Et hoc in loco *cucumæ* accipientur pro his ornamentis, quæ ex aurichalco fiunt in modum lancis, quæ loris affiguntur, puta habenis & ceteris loris, quæ à pectore & ab ilibus equorum pendent.

Terreas non teneras legendum.

CAPUT XXXVIII.

IN l. ſi quando. ff. ſi ſervitus vindicetur, ita legitur: *Labra & teneras cucumellas*. Corrigenda eſt illa dictio *teneras*, & legendum eſt *terreas*, id eſt, ex terra. Quæ vero ſint *cucumellæ*, dictum eſt ſupra, quamquam interpres male ſit interpretatus in memorata. leg. ſi quando.

De-

Decaproti non Aprothi legendum. Et quid ſint?

C A P U T XXXIX.

IN ultimo tit. de muneribus & honoribus libr. ultimo. ff. ita Codices ſcripium habent? *Nam decaprotichos aprothi tributa exigentes & corporale miniſterium gerunt*. Hoc in loco illud verbum *aproti*, quid ſignificet, ne quidem minima conjectura percipere potuimus, unde quid ſit *aproti*, & quid velit in eo loco quærendum eſt. Ego *decoproti* ſcribendum puto. Nam *decaproti* dicebantur, qui *Decaprotiæ* munus obibant (ut apparet liquido in l. 3. eodem tit. *Decaprotia* autem dicitur à noſtris *decem primatus*. *Decoproti* vero, vel quod præfecti erant in decimis exigendis, vel quod decem exactoribus præerant, nomen (ut quidam putant) ſumſere. De verbo *Decaprotia* etiam meminit lex neque proteſtaſiæ. C. de muneribus patrimoniorum, lib. 10.

Logarium non aliter legendum.

C A P U T XL.

IN l. qui penum ff. de penu lega. pleriq; Codices ſunt mendoſi, Nam aut *legatorium* aut *logatarium* habent ſcriptum. Ego puto *logarium* ſcribendum, a Græco dictum λόγος enim rationem ſignificat. Liber eſt, in quo domeſticæ rationes deſcribuntur.

Aut Echini non Antechini legendum. Et quid ſit pecten Echini.

C A P U T XLI.

IN l. 1. titulo de monopolis, lib. Cod. 4. quidam Codices mendoſi ita ſcriptum habent: *Jubemus quit cujuſq; veſtis vel piſ it, vel pectinum forte antechini monopolium audeat exercere*. Recti codices in hoc loco habent: *Aut echini (h) non antechini*. Sed quia interpres eo loco, quid ſit *pecten echini*, non intellexit, & quia pulcra eſt ejus indagatio, operæ pretium fore arbitratus ſum, ſi quid ſit *pecten echini* ſubjecero. Eſt autem pecten echini, qui ex *pelle echini* conficiebatur. *Echinus* vero animal eſt ſpinoſum parvum, qui & *Erinoceus* dicitur, cujus pellis apud majores in uſum veſtium conficiebatur, ut his veſtimenta mundarent, expolirentque, in quem uſum nos ſetis apri uti ſolemus. Plinius in 8. de hoc pectine loquitur apertiſſime: imo legem noſtram, quam-

(h) Echini ſignificationes, & uſus varios profert Cœlius Rhodiginus lib. VII. cap. XVIII. ejus hæc ſunt verba: *Diætetæ: tamen ab iis differebant Dicaſtæ, hoc eſt Judices. Nam arbitros quidam putant recte Diætetas appellari. Horum erat Echinus nunc æneus, nunc & opere figlino, in quem teſtium dicta conjiciebantur, quamquam & interna ventris ea dicuntur nomine, ut inquit Euſtathius. Sed & freni pars quædam vocatur Echinus, ſicut quod circa mentum eſt nuncupatur Pſellium, quod ori inſeritur Chalinus, cujus medium eſt Henium poſitum in ambitu Dactylii. Tribolt, quos mandit Equus. Sunt item Echini circa manus carpum ornamenta &c. Inveuio Echinum item recte dici partem in Capitulo Doricæ Columnæ, Craſſitudo quippe ejus trifariam diſtribuitur. Vna enim portio eſt Plinthus cum Cymatio, altera Echinus cum annulis, tertia hypotrachelio contrahitur columnæ. Sed redeo unde ſum digreſſus &c.*

quamvis non fuerit legum interpres, nobis aperit, cujus verba ſubjicio: *In deſperatione vera urinam ex ſe reddunt tabificam tergori ſuo, ſpinis noxiam, propter hoc ſe capi gnarè. Quamobrem exinanita prius urina ars eſt venari, & tunc præcipua eſt dos tergori.* Alias: *Corrupta fragilis, putribus ſpinis atq; decidunt.* Et paullo infra idem Plinius: *Ipſum animal non verentur plerique dicere vitæ hominum ſupervacuum eſſe, ſi non ſint illi aculei fruſtra vellerum mollities in pecude mortalibus data. Hoc cute expaliuntur veſtes, fraus magnum & ibi monopolium invenit, de nulla re crebrioribus ſenatuſconſultis, nullaq; non principe adito querimoniis provincialibus.* Hæc Plinius de *pectine echini.* Dictus eſt *echinus* græca origine, nam Græci ἐχῖνον hirtum vocant. Eſt præterea echinus piſcis, & caſtanearum *thecæ hirtæ, echini* dicuntur.

Gazophylacium non carzophylacium legi debere.

CAPUT XLII.

IN Authentico de reſtitutione fideicommiſſ. codices varii varie ſcriptum habent in verbo *Gazophylacium.* Quapropter non amplius *carzophylacium,* ſed *Gazophylatium,* quod latine ſonat opum conditorium à Gaza, quod Perſica lingua opes ſignificat, & φυλάττω cuſtodio, ſcribatur.

Alogiſtas non analogiſtas legendum eſſe.

CAPUT XLIII.

IN l. quidam decedens, ff. de adminiſtrat. tutor. quidam putant ſcribendum *alogiſtas* non *analogiſtas,* quibus adſtipulor. Nam compoſitum verbum eſt, ab *a,* quod eſt *ſine,* & λόγος *ratio.* Unde & *logiſtæ* dicuntur rationales, id eſt procuratores fiſci & rerum privatarum, ut in titulo de modo mulctarum, libr. 1. C. Unde & *logographi* dicti, qui publicas rationes conſcribunt, de quibus fit mentio in l. ultim. ff. de muneribus & honor. & in rubri. C. de tabulariis & logographis, lib. 10. *Alogiſta* ergo dicetur, qui non tenetur reddere adminiſtrationis ſuæ rationem.

Embamma non Emblema ſcribendum. Et quid ſit ebamma.

CAPUT XLIV.

IN l. ſi quis. ff. de tritico, vino & oleo legat. locus depravatus eſt, quem nunc corrigimus, Verba legis ita exarata ſunt: *Si acetum quis legaverit, non continebitur legato acetum, quod vini numero teſtator habuit, emblema autem continebitur, quia aceti numero fuit.* Quo loco non *emblema,* ſed *embamma* eſt ſcribendum. Eſt enim *embamma* liquaminis genus, quo panem vel obſonium intingimus, dictum à Græco, nam βάπτειν eſt tingere, & inficere. *Emblemata* autem ſunt poculorum ornamenta, quæ affigi & refigi poculis poſſunt, quæ & aurea & argentea, & gemmis fieri ſolebant, de quibus habetur in l. ſi gemma de auro & argent lega. Paullus Juriſconſultus, in l. pediculis. de auro & argent. lega. *Aurea emblemata, quæ in lapidibus aſſidibuſque argenteis eſſent & replumbari poſſent, deberi Gallus ait: Embamma* ergo eſt legendum, quod Latine *intinctum* & *immerſio* dici poteſt. Et puto Juriſconſultum hoc in loco intellexiſſe de eo liquamine, quod fit ex immaturis uvis, quod vulgo agreſte appellatur, quod proprio vocabulo Græci ὀμφάκιον, id eſt, omphacium dicunt.

Atrienſes non atterenſes legendum. Et quid ſint Atrienſes?

CAPUT XLV.

IN l. inſtrum ff. de fundo inſtructo, codices ſcriptum habent *atterenſes*, ubi *atrienſes* eſt ſcribendum. *Atrienſes* autem ſunt, qui atrii curam habent, ut in l. ſed & ſi. ff. de uſufr. qui & *atriarii* dicuntur.

Emphyteomata non Emponemata legendum. Et quid ſit Emphyteoſis apertum?

CAPUT XLVI.

DIu quæſitum eſt, quid ſignificet verbum illud, ſcilicet *emponemata* in l. ſi. C. de ju. emph. ſicuti & de hoc varbo *emphyteoſis*. Quapropter quid in hoc ſentio aperiam. Certum eſt, quod prædia quæ dabantur in *emphyteoſin* ſterilia erant, propterea dabantur, ut *emphyteota* ea prædia meliora ſibi faceret: quib. prædia meliora redduntur. Quamobrem *emphyteoſis* eſt dicta, & contractus *emphyteoticus*. Nam Græce ἐμφυτεύω ſignificat impono, pianto, unde & *emphyteomata*, illæ meliorationes dictæ ſunt, non dico *emponemata* (ut codices fere omnes habent) ſed *emphyteomata*, quod ita inveni ſcriptum apud vetuſtiſſimum codicem. Si quis autem *emponemata* vult legere, dicat id verbum deſcendere à Græco πόνω quod eſt laboro. Quod autem interpres in memorata lege dicat, *enponematographos* eos eſſe, qui *emponemata* ſcribebant, non dicit verum. Nam non *emponematogrophi* eſt legendum in l. quam allegat. ſc. l. ſi quos C. de decurio. lib. 10. ſed *hypomnematographi*. Nam *hypomnematographi* dicuntur, qui commentaria ſcribunt.

Corriguntur multa verba in Tit. de in diem adjectione.

CAPUT XLVII.

MUltæ mendæ ſunt, in rubri. & toto titu. dige. de in diem adjectione, quæ proceſſerunt propter ſimilitudinem duorum verborum, videlicet *addico* & *adjicio*, quæ verba ponuntur ſæpenumero in eo ti. Quapropter ut corrigere valeamus loca, quæ mendoſa ſunt, primo videndum eſt quid iſta verba ſignificenr & quomodo varientur. Verbum *addico* idem eſt, quod *deſtino & voveo*, ut in l. addictos. C. de epi. & cle. & in ti. de appe. Cice. *Et is qui morti addictus erat paucos ſibi dies commendandorum ſuorum cauſſa poſtulaſſet*. Facit in præterito perfecto *addixi*, & ſupino *addictum*, & nomen verbale *addictio*, quod eſt deſtinatio, ſeu ſi recte dici poſſet deſtinata venditio. Unde addictio indiem, quæ ſub cunditione reſolvitur, niſi quis meliorem conditionem attulerit, valeat venditio. Verbum autem *adjicio* idem ſignificat quod *adjungo*, *addo*, quod facit *adjeci* & *adjectum*, & nomen verbale *adjectio* quod eſt idem, quod *adjunctio*. Et hæc verba ſpectant in noſtro titulo perſonam emtoris, ſicut *addico* & ſua derivata ſpectant perſonam venditoris, nam venditor fundum addicit. Titio, niſi melior conditio ab alio afferatur intra diem certum, Gajus adjicit vel addit meliorem conditionem, & ita adimit fundum Titio. Hæc melius ſenſu percipiuntur quam verbis concipiantur, ſatis dictum ingenium habenti. Eſt præterea notandum, quod in eo titulo ponitur verbum *addo* ſive *additur* ſive *additum*, quod idem eſt quod *adjungo*, & ſpectat perſonam emtoris.

Pan-

Pantomimum non Pantonium legendum.

CAPUT XLVIII.

LEgitur in l. 3. dige. de condictione cauſſa data cauſſa non ſecuta, *Paridem Pantominium* vel *Pontonium*, ubi legendum eſt, *Pantomimum*. *Paris* nanq; *Pantomimus* dictus eſt, eo quod omnia imitabatur. Mimi nanq; hyſtriones ſunt, & *Pantomimi*, qui omnes geſtus imitari ſciebant, qui modo hujus, modo illius perſonam ſumebant, πᾶν enim omne & μῖμος, imitator dicitur.

Sitocomas non Sicomas legendum, & quid ſint.

CAPUT XLIX.

SCriptum eſt ita in l. ult. tit. de adminiſtratione rerum ad civitates pertinentium. *Item reſcripſerunt Sicomas indemnes eſſe oportere, qui non ſegniter officio ſuo functi ſunt*. Hunc locum corrigamus, & non *ſicomas* ſed *ſitocomas* legamus. Eſt enim *ſitocoma* præfectus frumentariæ ſeu qui frumentario munere fungitur. Nam σῖτος frumentum & curo. Ex his intelligemus, l. ſextamdecimam, dig. de vacat. mune. ubi interpres ſcripſit *ſitoniam* nomen eſſe provinciæ, ſed non recte, nam *ſitonia* frumentaria dicitur.

Siriarchia non Sinarchia legendum.

CAPUT L.

MEndoſos codices invenio, in l. 1. C. de officio comitis orientis, nam ſcriptum habent *Synarchia*, cum *Syriarchia* ſit legendum, quod interpretantur Syriæ præfectura, unde Syriarcha Syriæ præfectus.

Liminarchia non Litarchia legendum.

CAPUT LI.

EAdem in l. ſcribitur *litarchia*, cum ſit legendum *liminarchia*, quod interpretatur liminum præfectura, unde *liminarcha* præfectus liminis Imperii, ſeu militum, qui limina cuſtodiunt, qui *limotrophiis fundis*, lib. 11. Nam deſcriptionem fundorum neſcio quam ibi commenti ſunt. Præterea iidem interpretes dixerunt *irenarcham* idem eſſe, quod *liminarcham*, quod non eſt verum: cum *irenarcha* ſit ille, qui gratia habendæ quietis & pacis & perſequendorum latronum præpoſitus erat locis diverſis, ut oſtendit lex ultima ff. de mune. & hono. & in titu. de *irenarchis*. C. lib. 12. Et dicitur *irenarcha* ab εἰρήνη quod eſt *pax* & ἀρχὸς *princeps*.

Epiſtomea non Epitonea legendum, & quid ſit.

CAPUT LII.

SIc ſcriptum eſt, in l. fundi. dige. de actionibus emti: *Epitonea fiſtula aplumbata*, quo in loco eſt legendum *epiſtomea fiſtula aplumbata*, & ſignificat fiſtulam, quæ ad os, ex quo oritur aqua, aplumbatur, dicta ab ἐπὶ quod eſt in vel ſupra, & ςόμα quod eſt os.

La-

Lucuco & Lucuca non aliter legendum.

CAPUT LIII.

MEndoſi codices ſunt, in titu. de cupreſſis lib. 11. Codicis leg. 2. nam varii varie ſcriptum habent, ibi *luci* & *lituchа*, cum (ut mea fert ſententia) legendum ſit *lucuco* & *lucuca*, ut ſint ablativi caſus, ut cetera verba inferiora oſtendunt: & intelligendum eſt *lucucum* & *lucucam* cuſtodes luci Dampheſis, in quo cupreſſi alebantur: alias nullum bonum intellectum extrahi poſſe videtur. Verba legis ita ſcripta ſunt, *ſed nec à lucuco nec à lucuca unam cupraſſum aliis plantatis excidere ſibi licere caveandat &c.*

Male exponitur quo magis, id eſt, quo minus.

CAPUT LIV.

IN l. quotiens C. de judiciis, interpres exponit *quo magis*, id eſt, *quo minus*, & hoc facit, quia alias verba ſenſui contradicerent. Ego autem non video quo pacto, *quo magis* exponatur, pro *quo minus*, cum hæc contraria ſint. Quis enim id, quod *nigrum eſt*, poterit recte dicere *album eſſe*? item quis docet idem ſignificare *plus*, quod *minus*? ita quis tam ſtultus eſt, ut in l. noſtra exponat *quo magis*, id eſt, *quo minus*. Quæ enim difficultas fuiſſet Imperatori aut compilatoribus, qui facilitati ſtuduere & obſcuritati obviavere, dicere *quo minus*. Quapropter puto aut incuria librariorum *quo minus* in *quo magis* commutatum, aut negationem deficere in fine legis, quæ negare debeat verbum *terminetur*. Verba legis ita exarata ſunt: *Quoties quæſtio ſtatus bonorum diſceptationi concurrit, nihil prohibet quo magis apud eum quoque qui alioquin ſuper cauſſa ſtatus cognoſcere non poſſit, diſceptatio terminetur.* Ego autem ita legerem: *diſceptatio non terminetur*, vel ubi ſcriptum eſt, *quo magis*, ſcriberem *quo minus*.

Deficit negatio in l. 1. de verb. oblig.

CAPUT LV.

IN l. 1. tit. de verb. obliga. libro dige. 45. ſic codices noſtri ſcriptum habent: *Si ſine verbis annuiſſet, non tantum civiliter, ſed nec naturaliter obligatur.* Hæc verba non habent ſenſum perfectum, quamvis quid ſenſerit Juriſconſul. aperte intelligatur, ſed una negatio deficit, quæ negare debeat illud dictum, *non tantum civiliter, &c.* ut ita legere debeamus, *non tantum non civiliter, ſed nec naturaliter obligatur*, & ſic ſermo rectius erit, & ſententiæ Juriſconſulti conformis. Si autem ut communis litera manet legamus, primum dictum affirmabimus & ſecundum negabimus, quod eſt contra ſenſum legis. Nec eſt dicendum, quod illa negatio, quæ præcedit dictionem *tantum*, negat verbum, quia ſolummodo negat dictionem *tantum*, alias ſi diceres quod negaret totam orationem, nunquam daretur oratio affirmativa, in qua præcederent hæ dictiones, ſcilicet *non tantum*. Quod non eſt dicendum. Nam hic eſt rectus ſermo & oratio affirmativa videlicet non ſolum ſtudeo, ſed etiam lego. At ſi ita verba conciperes, non ſolum ſtudeo, ſed nec mereor, inſulſa eſſet oratio, quemadmodum eſt in noſtra lege. Si vero ita concipias, non tantum non ſtudeo, ſed nec mereor, recta oratio erit, ſicut debet eſſe in ea oratione; dictio, autem, nihil proficit, imo videtur elegantiæ detrahere quod forte ſucceſſit loco negationis.

Bre-

Brephotrophium non Bephotrophium legendum.

CAPUT LVI.

COrrigendum eſt verbum *bephotrophium* in l. illud. C. de Epiſc. & Cleric. & in aliis pleriſque locis, & *brephotrophium* eſt legendum, quod interpretatur *locus in quo infantes aluntur*, a βρέφος, quod eſt infans, τροφὴ cibus.

Capitatio non captus legendum.

CAPUT LVII.

IN l. ult. C. de officio præfecti Prætoris Africæ, prope finem ita ſcriptum eſt, *pro annonis & captu, &c.* Quid hoc in loco ſibi velit *captu*, non video. Propterea *capitationis* legendum non dubito, quod probatur ex rubri. & in l. 1. C. de annonis & capitatione.

Qui ſint Divi fratres & alia.

CAPUT LVIII.

HIc corrigenda puto pleraque loca depravata in jure. Nam ubicumq; ſcriptum eſt hoc modo: *Divus Antoninus cum fratre ſuo*, ibi ſcribendum eſt, *Divus Antoninus cum patre ſuo*: quamquam crebrius vere legatur, tamen in pleriſq; locis mendoſi ſunt codices: fuerunt namq; *Divus Severus* & *Divus Antoninus* Imperatores, qui diu ſimul regnarunt. Nam eo tempore bini & terni ſolebant imperare. Propterea inveniuntur plerumq; hi Imperatores pariter in jure ff. & C. eamdem legem ferentes. Divus Severus fuit pater, Antoninus vero filius, & tam Severus ante Antoninum factum Auguſtum, quam Antoninus poſt mortem Severi ſui patris ſolus imperavit: hi *magni* cognominati ſunt, ut in l. 1. ff. de requirendis reis. & in l. ulti. ff. de vetera. Hos fratres fuiſſe opinatus eſt interpres in l. de qua lege. de in officio. teſta. quod falſum eſt. Nam hi quos legimus ſæpenumero in voluminibus dige. & codicis divos fratres, non fuerunt *Antoninus* & *Severus*, quos ſupra memoravimus, ſed alii fuerunt, quorum alter *Marcus* alter *Commodus* nominati ſunt, & ante Severum & Antoninum imperarunt. Nam *Marcus* & *Commodus* locum decimum ſeptimum Imperii à Julio Cæſare ſibi vindicarunt, *Severus* autem & *Antoninus* primo & vigeſimo loco regnarunt: quod latius diximus in opuſculo, quod de ſerie Imperatorum confecimus.

Delenda dictio, fratres, in Inſtit. titul. de codicillis.

CAPUT XLIX.

IN Inſtitutionibus. tit. de codicillis apud recentes codices legitur *Divi fratres Severus & Antoninus*, quod eſt falſum, ut ſupra oſtendimus. Nam hi non ſunt quos lex vero vocabulo *fratres*, & legendum *Divus Severus & Antoninus*.

Certaminis non certem in his legendum.

CAPUT LX.

INterpres juris noſtri in l. ſi teſtamentum. C. de Inſtit. & ſubſti. legit duobus modis illud verbum, *certaminis*. Ait, enim *certaminis* vel *certam in iis*, poſſe legi, quod non eſt verum: nam tantummodo *certaminis* eſt legen-

dum propter illud relativum, *quod*, ſequens & *certaminis* verbum referens Verba legis ita exarta ſunt: *Papinianus reſpondit, vicos reſpu. relictos, qui proprios fines habebant, non ideo ex fideicommiſſo non minus deberi, quod teſtator fines eorum & certominis formam, quod celebrari ſingulis annis voluit, aliâ ſcriptura ſe declaraturam promiſit, &c.*

Jantbinum non aliter legendum.

CAPUT LXI.

ITa ſcriptum eſt in l. ſi cui lana ff. de leg. 3. *Purpuræ autem appellatione omnis generis purpuram contineri puto, ſed coccum non continebitur, ſucinum', & jachinum continebitur.* Hoc in loco depravata eſt dictio illa ſ. *jachinum*: nam pleriq; codices habent *hyacinthum* alii vero *iachinum*, cum legendum ſit *janthinum*. Eſt autem *janthinum* quo *janthina*, id eſt, *violaceæ veſtes* tinguntur, ſiquidem *janthinus color*, *purpureæ violæ* color eſt. Nam cum Græci ceterarum violarum genera propriis nominib. vocent, ut ἴον μέλαν *violam nigram* ἴον λευκὸν *violam albam*, ἴον ξανθὸν *violam luteam*, ſolam *purpuream* generali vocabulo ἴον ξανθὸν, id eſt, *violam floream* vocant, unde *janthina* veſtimenta dicta ſunt. Martia:

Coccina famoſæ donas & janthina mæchæ,
Vis dare quæ meruit munera? mitte togam.

Eſt præterea color hyacinthinus cæleſtinus color, unde hyacinthina legimus, in l. C. quæ res vend. non poſſunt.

Epimetaticis non Epidematis legendum.

CAPUT LXII.

IN tit. de metatis & *epidematicis*, lib. 12. C. in rubr. quid ſignificaret illud verbum *epidematicis* diu quæſivimus, & feſſi nihil certi invenire potuimus, unum tamen cognovimus, quod illud verbum, integrum ſit nec ne, ſignificat inſcriptiones quaſdam, quæ fiebant à menſorib. domorum, quib. ſignificabatur, quis hoſpitaturus in ea domo eſſet (ut oſtendit lex prima ejus tit.) qua propter depravatum verbum reor & *epimetaticis* legendum, ab ἐπὶ quod eſt in, & *metatis*. Nam *metata* erant præſtationes domorum, quæ præſtari ſolebant militib. in provinciis à privatis hominib. & ut ſine cujuſq; injuria commode hoſpitarentur, erant qui domos metirentur & conſignarent hoſpitibus, ut quiſq; pro cenſus ſeu domorum quantitate gravaretur, qui menſores dicebantur: hoſpes autem vel miles qui recipiebatur *metator* nuncupabatur, illæ menſurationes vel domorum præſtationes *metata* appellabantur, domini vero domorum *metata* præſtare à præſide cogebantur. Hæc vocabula in eo tit. reperiuntur.

Blata & oxyblata an recte ſcribatur.

CAPUT LXIII.

IN l. 1. C. quæ res vendi non poſſunt, legitur *lana blata* & *oxyblata* quæ verba quid notent non ſatis conjectura perſpicio, niſi legi debeat *bapta* & *dibapta*, id eſt, *tincta* & *biſtincta*, ut ſupra latius eſt dictum. Hic tamen nihil certi cenſeo.

Olo-

Digitized by Google

Olobera veſtimenta an recte dicantur.

CAPUT LXIV.

IN rubrica. C. de veſtibus & auratis, lib. 11. quæſitum eſt diu, quid ſint *olobera veſtimenta*, nihil tamen certum inventum eſt. Quamobrem multis videbatur legendum *bolaſericis*, quod verbum notat veſtes totas ex ſerico. Ego nihil cenſeo.

Pelles Parthicæ non Baumeſtiæ legendum.

CAPUT LXV.

QUidam codices in l. ultima ff. de publ. habent ſcriptum *pelles Baumeſtiæ*, quidam *pelles Parthicæ*. Primum quid ſibi vellit non video, ſecundum eſt clarum, quia à *Parthis* populis dicuntur.

Nautebæ qui ſint.

CAPUT LXVI.

SIc ſcriptum eſt, in l. ultima. ff. nautæ, caupones, ſtabularii: *Equidem ſi quis ex iis, quos vulgo nautebatæ dicunt*, Hic textus non video quomodo ſtare poſſis. *Nam nautebatas* ſcribendum videtur, ut ſit accuſativi caſus, vel illud relativum *quas*, eſt ſcribendum *qui*, & poſtea *dicuntur*. Quapropter quærendum eſt, qui ſint *nautebatæ*. (*i*) Interpres non recte intellexit, ais enim *eos eſſe majores nautes, qui operas ſuas præſtabant, ut exercito res ſuas in navem portore pateretur*. Quod non eſt dicendum cum *nautebata* dicatur *curſor*, *nauta* vel *aſcenſor*. Nam βαίνω aſcendo ſignificat, unde & *ſchenobates* dicitur *aſcenſor funium* à χοινὸς quod eſt *funis*, & βαίνω, *aſcendo*. Sunt ergo *nautebatæ* qui aſcendunt & curſunt per funes, arborem, & ſimilia navis.

Legendum ſarcocola non ſargogola.

CAPUT LXVII.

IN l. ultim. dig. de publ. legitur ſargogola, in quo loco eſt legendum ſarcocola, quod eſt genus gummi, quod ex oriente fertur.

(i) Et hi inter nautas ſunt referendi: cum enim naves ad bellum aptius inſtrui cœperunt, alii fuerunt remiges, & alii aliis muneribus addicti, qui iccirco propriore nomine nautæ fuerunt appellati; quos à remigibus diſtinguis Cæſ. de B. G. III. 8. *Interim naves longas ædificari, remiges ex Provincia inſtitui, nautas, Gubernatoreſq; comparari iubet*, Vegetius 4. 13. *In nautis diligentia, in gubernatoribus peritia, in remigibus virtus eligitur.* Horum varia ſuere munera & nomina. Conſulendus eſt Caſſiodorus v. 16. ubi ſtipendia, quæ cuivis ab Imperatoribus diſtribuebantur, enumerat: *ei, qui Clavum tenet, portio una cum ſemiſſe, tantundem proretæ, & naupego, nautæ, & carabitæ portio una, paraſchitæ portio dimidia tribuitur* &c.

Com-

Commilitium non commilitonum legendum.

CAPUT LXVIII.

LEx ita ſcripta eſt, in lib. 50. ff. tit. de Caſtrenſi peculio: *Nobis itaque videtur ſi ante commilitonum factum ſit teſtamentum*, &c. In hoc loco interpres legit *commilitonum* vel militum, ſed *commilitium* eſt legendum, & ita recti codices habent. Eſt enim *commilitium* ſub eodem duce militia commilitonum. Cornelius Tacitus: *Penes quos civitatis regimen in commilitium adſciti.*

Corruptus textus in l. 2. de orig. juris.

CAPUT LXIX.

SCriptum eſt ita, in l. 2. tit. de origine juris, *Temporibus quibus ſuperbus Demarati Corinthii filius.* Hic textus eſt mendoſus. Nam *ſuperbus Tarquinius* non fuit filius *Demarati Corinthii*, ſed fuit nepos ex patre *Tarquinio Priſco*, qui & *Lucumo* dictus fuit. Quidam codices habent ita ſcriptum: *Superbus Demarati Corinthii Tarquinii filius*, quod quamvis magis hiſtoriæ adhæreat, attamen obſcuriſſimum eſt. Si vero ita verba conciperentur: *Superbus Demarati Corinthii filii filius*, rectius legeretur.

Album non alium legendum.

CAPUT LXX.

N l. 1. tit. de edendo. digeſt. lib. 2. ita ſcribitur: *Eum quoq; edere Labeo ait, qui producit adverſarium ſuum ad alium, & demonſtrat quod dicturus eſt, &c.* Hoc verbum *alium* in archetypo *album* legitur, ut atteſtatur Angelus Politianus, cui inſpiciendi exemplaris facultas non denegata eſt, & de *albo prætoris* intelligendum eſſe ait.

PIUS ANTONIUS BARTOLINUS

AD BONIFACIUM FANTUCIUM

In almæ Urbis Bono. Gymnaſio Legum Doctorem excellentiſſimum, ac Præceptorem ſuum præcipuum.

NUperrime correximus nonnullo loca quæ in corpore juris civilis mendoſa erant, quæ inſtantibus amicis noſtris edidimus. Nunc autem par viſum eſt, ut ad te dem nonnullarum legum novas, ac præter communem opinionem ſententias, ut tuum ſeveriſſimum judicium experiantur, quod ſi noſtro conforme erit non dubito quin ceteri Juriſperiti nobis adſtipulentur: Quas poſtea, ſi conſulueris, pro communi utilitate, & ut noſtris condiſcipulis morem geram, edere non dubitabo. Quod ſi factum erit nomine & auſpicio tuo, eas edam, tibique nunc dedico, earumque te protectorem præcipuum eſſe volo, quod faciam non ut quemquam vel carpere, vel notare cogitaverim, ſed ut veritas amplius non lateat. Non enim ignoro quam plurimos viros fuiſſe & eſſe, qui difficiliora & abſtruſiora palam nobis fecere, ſed quandoq; bonus dormitat Homerus, & non omnes per omnia ſed certi per certa meliores & deteriores ſumus, ut ait Juſtinia. tit. de veteri jure enucleando, ad Tribunianum. Poteſt præterea (ut idem teſtatur) unius forſan & deterioris ſententia multos & majores in aliqua parte ſuperare. Suſcipe ergo has noſtras lucubratiunculas fronte non matutina, quod ſi facies propediem non injucundiora recipies. Vale.

Pii

Pii Antonii Bartol. lex nova.

LEx ita eſt concepta, *in tit. de ſacroſanc. Eccleſ. lib. 1. C. Nemo Apoſtolorum vel Martyrum ſedem humatis corporibus exiſtimet eſſe conceſſam.* Majores noſtri præceptores tres quatuorve ſententias huic compendioſæ legi dedere, Quas apud Bartol. Bal. & Paulum, ceteroſque qui commentarios fecere liquido perſpicimus, quorum nulla vera eſt, juxta illud vulgare proverbium, cujus auctorem tradunt Boetium: *Quod multipliciter exponitur, ejus veritas ignoratur.* In refellendo has ſententias non conteram tempus, quia malo pauca & utilia ſcribere, quem multis inutilibus ingenia prægravare (ut utar verbis ſacratiſſimi Juſtiniani in *tit. de vejur. enucle.*) Dicamus ergo verum & novum legis ſenſum: *Quod lex prohibet, ne humana corpora, id eſt, cadavera mortalium ſepeliantur* in *ſepulchris Apoſtolorum vel Martyrum.* Hic verus legis ſenſus eſt, qui tibi, cum alias oſtenderim, mirum in modum placuit, nec dubitaſti affirmare, verum Imperatoris ſenſum hunc fuiſſe, quem non aliter argumentationibus fulcio, ne videar Juriſperitorum judicio diffidere, non. n. dubito quin recte ſentientes nobis adſtipulentur.

Pii Anton. Bartol. lex nova.

IN *l. prædicte. ſ. 11.* *C. de ſacroſanc. Eccle.* Bart. dixit caſum eſſe *in l. baſilicam. C. de publ. operi. quod in Eccleſ. non debent fieri contractus*, Parcent Bart. manes reverendi. Illam. l. non intellexit nec Bart. neq; interpretes ceteri. Nam intelligunt *Baſilicam* pro Eccle. quod eſt falſum: Nam (*k*) *Baſilica* eſt locus publ. *non ſacer*, in quo & negotia & judicia populus exercebat. Unde Vitruvius docet *Baſilicam* ita fieri oportere, ut ſuperius judicia, inferius negotia exerceri poſſint, ſed quis melior teſtis noſtro Paulo *in l. pediculis. ff. de aur. & argen. lega.* qui ita ſcripſit: *Cum teſtatrix negotiatrix fuerit an non ſolum argentum, quod in domo vel ultra horreum uſibus ejus fuerit, legato cedit, ſed etiam quod in Baſilica fuerit muliebre.* Reſp. *Si teſtatrix habuerit proprium argentum ad uſum ſuum paratum, non videri id legatum quod negotiandi cauſſa venale proponi ſoleret, &c.* In hac ſignificatione ponitur *Baſilica*, in *l. inter ſtipulantem. ff. de verbo. oblig. & Inſti. de emti.* & multis aliis locis. *ff. & C.* Non tamen eo inficias, quin & *Baſilica* accipiatur pro *Eccleſia* ſed hoc rudiore & recenti ſignificatione, ut apud ſacros Canones, & in Authenticorum volumine. Sed emuncti Juriſconſulti aliter id verbum poſuere, ut ſupra memoratum eſt. Non ergo prohibet. *l. Baſilicam* contractus in ea fieri, imo multi contractus in ea fiebant, ſed prohibet ne ibi tabulata fiant, vel ergaſteria, ſeu tabernæ, pergulæve, vel tabulæ pictæ appendantur, imagineſve, ne pulchritudo ædificii obumbretur. Ut liquido apparet in *d l.*

An-

(k) Erant Romæ unas & viginti: P. Victor tamen novendecim tantum enumerat, quod jam duæ exciderant. Quod vero veterum Baſilicarum ſimilia ſunt & pari forma extructa quatuor Romæ auguſtiſſima templa Lateranenſe, S. Petri, S. Pauli, S. Mariæ Majoris vocis uſu non incommode detorto Baſilicarum veterum nomine donata ſunt. Qua ratione in Baſilicis magiſtratus conſiderent, quomodo advocati cauſſas agerent, populuſque ſpectaret luculenter deſcribit Plin. ep. vi. 33.

Anton. Pii Bart. lex nova.

Lex ita lata eſt, *in lib. ſforum. 7. tit. de Uſufru. novum tectorium parietibus, qui rudes fuiſſint, imponere non poteſt, &c.* Hanc legem interpres alias eruditiſſimus non intellexit, adſit reverentia vero: Nam *tectorium* pro *tecta* accepit & alia nonnulla interpretatus eſt, quæ nulla veritate nituntur. Intellexit. n. Accurſius quod non liceat uſufruct. tectum novum parietibus ſuperponare. Nos alium & verum aperimus ſenſum hujus legis. Eſt. n. intelligenda lex illa, ut prohibeat uſufructuarium, *ne tectorium parietib. rudibus imponat*, id eſt, *ne imponat porietibus dealbutianem ſive oblinitionem, incruſtationeſve*: Quid enim aliud eſt *tectarium*, quam *parietum dealbatia ſeu oblinitia*, quæ ex calce ſeu gypſo fieri ſolet, ut domus elegantior atque ornatior ſit. *Parietes rudes* dicuntur, cum nondum ſunt calce obliniti, ſed in prima forma ſua permanent: *Tectorium* ab *incruſtatione* eo differt, quod *incruſtatio* fit ex *cruſtulis*, id eſt, *laminibus lapidum*, puta marmoreis vel ex alio lapide in tenues laminas ſectude *tectoria*. Juven. de ſucata muliere loquens.

Tandem aperit vultum & (1) tectoria primo reponit,
Incipit ngnoſci, &c.

Potuerunt admoneri noſtri majores ex, *l. boſtenus in ead. tit.* quod *tectorium* & *tectum* differunt, in qua dicitur quod *tectaria* voluptatis cauſſa fiebant. Item ex *l. noſtru*, quæ ait: *Tametſi meliorem excolendo ædificium, &c.* Nam *excolere* eſt *arnare, decorare, cultiorem reddere*. Hinc *tector* dicitur qui *tectorio* parietibus imponit, de quo fit mentio in *l. ſi ut certo. ſſ. commo.*

Pii Anton. Bart. lex novu.

Ait Juriſconſul. *in tit. de cenſibus lib. dige. ult. in l. forma. Quæ poſt cenſum editum nota aut poſtea quæſite ſunt, intra finem operis conſummati, poſſeſſionibus edi paſſunt.* Præceptores noſtri hunc locum non recte perceperunt, ut mea fert opinio: opinati enim ſunt hanc legem ita intelligendam, quod ea quæ naſcuntur aut quæruntur, *interim dum cenſus editur & ſcriptura profeſſionis fit*, poſſint profiteri ſeu denuntiari, & ſic intellexerunt de illo parvo tempore, quod intercapitur *dum ſit ſcriptura*, ut ſi eo intervallo ſeu momento quid acquiratur, poſſit denuntiari *cenſitoribus* ſeu *tobulariis*. Ego aliter hanc legem intelligo. Nam per abſurdum eſt intelligere *de quæſitis ea minimo intervalla & momenta*: quid enim acquiri poteſt *eo momento*, ut ait Imperator *in l. ſi in fin. C. de bonis quæ libe.* & maxime quia lex ait: *Prius cenſum editum*, quæ verba *perfectionem & finem editi cenſus* denotant. Dicamus ergo legem ita intelligendam, ut ea *quæ naſcuntur & acquiruntur, poſtquam eſt editus cenſus*, poſſint denuntiari *cenſitoribus*, ut *cenſus* ſeu *tributum* imponatur, & hoc debent *focere*, id eſt, *denuntiare*, antequam opus acceperit perfectionem & finis impoſitus ſit: Exempli gratia. Poſtquam omnia mea bona denuntiavi cenſoribus, incepi ædiſicare palatium, & vineam facere, & ſi qua ſunt hujuſmodi. Juber lex hæc denuntiari intra finem operis conſummati. Si quis autem objiceret, quæ naſcuntur, videntur ſtatim cum nata ſunt perfectionem accipere. Sed hoc ad quædam non ad omnia. Item ad ea quæ acquiruntur potius, quam ad quæ naſcuntur, inferiora erba adaptantur.

An-

(1) Ita Juvenalis, quod ſuco ex madido pane facto faciem fœminæ linirent ac veluti *tectorium* ſuperinducerent, cum vero ad amaſias eſſet eundum ſmegmate ex lacte aſinino abſtergebant.

Antonii Pii Bartal. lex nova.

IN *tit. ad l. Corn. de ſica. lib. ff.* 48. lex tertia ait: *Qui hominem libidinis cauſſa vel commercii caſtraverit ex Senatuſconſul. pœna legis puniatur.* Hunc locum interpretes male intellexerunt: nam putaverunt *cauſſa libidinis caſtrari*, id eſt, propterea quod hi homines qui caſtrarentur *eſſent libidinoſi*, & quod propter ſuam *libidinem caſtrabantur*. Hæc interpretatio non eſt bona, cum ſit intelligendum de libidine *caſtrantis*. Nam lex noſtra prohibet, ne quis caſtret homines *cauſſa libidinis*, id eſt, ut exerceat poſtea in caſtratum *libidinem ſuam*, eoque abutatur ac in delitiis habeat. Nam caſtrati molles & effœminati erant & ſine barba. Juven.

Sunt quos Eunuchi imberbes ac mollia ſemper,
Oſcula delectent & deſperatio barbæ.
Idem. *Nullum ephebum*
Deformem ſæva caſtravit in arce Tyrannus,
Nec prætextatum rapuit Nero loripedem vel
Strumoſum, atq; utero pariter gibboq; tumentem.

Verbum autem *commercii* in ea l. vendendi cauſſam continet.

Pii Antonii Bartol. lex nova.

CElſus in *tit. de uſufruct. lib. dig.* 6. *in l. item ſic ait: Seminarios fructus puto ad fructuarium pertinere, ita tamen ut etiam vendere ei & seminare liceat, debet tamen conſerendi agri cauſſa, ſeminarium paratum ſemper renovare, quaſi inſtrumentum agri ut finito uſufructu domino reſtituatur.* Et Ulpianus *in l. vel ſi. ff. de impen. dota.* Ita ſcripſit. *Vel ſeminaria pro utilitate agri fecit, &c.* Hæc loca majores noſtri præceptores non intellexerunt, & hoc propterea quod ignorarunt quid ſit *ſeminarium*. Nam putarunt *ſeminarios* fructus ſeu *ſeminarium* eſſe locum, in quo frumenta ad ſeminandum reponebantur, ut ſcriptum reliquerunt eo in luco, quod falſum eſt. Aperiamus ergo legum verum ſenſum, ne amplius eas tenebræ contineant: Qui ſenſus apertiſſimus erit, ſi declarabitur quid ſit *ſeminarium*. Eſt enim *ſeminarium*, *plantarium*, ſive *locus conſitus novellis tenerisve arboribus*, ex quo ſtirpitus evulſæ arbores alio tranſportantur atque plantantur, ut ex duabus ll. memoratis facile poteſt conjectari. Ulpianus *in l.* 3. *dig. arbo. furti. cæſa. Quod ſi e ſeminario, id eſt, ſtirpitus arborem tranſtulerit, eam quamvis nondum comprehenderit terram, arborem tamen videri* Columella, *ſeminaria vitium facienda. Seminarium* a *ſemine* dictum eſt. Nam *ſemen* & de arboribus recte dicitur Vergil. in 22. Georg.

Seminibus poſitis ſupereſt deducere terram.

Seminarium ipſa prima ſatio eſt: *Plantarium* vero poſtquam translatæ ſunt arbores e *ſeminario*, quod maxime dicimus in olitoriis. Ex his leges ſupra memoratæ facile intelliguntur.

Pii Anton. Bartol. lex nova.

IN *tit. ad munici. lib. digeſt.* lex ita eſt ſcripta: *Titio cum eſſet Romæ ſtudiorum gratia, Epiſtola miſſa eſt à magiſtra. patriæ ſuæ, ut porrigeret Impera. decretum ejuſdem civitatis, quod erat cum Epiſtola miſſum: is autem qui ſuſcepit literas reſtituendas, colluſione facta, dedit Lucio Titio, qui & ipſe Romæ morabatur ſuæ rei gratia, ſublato Titii nomine, cui erat decretum miſſum, ut per ipſum daretur, ſuum nomen inſcripſit, & ſic Imperatori ſecundum mandata reipub. decretum dedit*, &c. Hanc l. non intellexerunt majores noſtri, ut mea fert ſententia. Nam opinio eorum fuit, ut in illa, l.

quæ-

quæſtio ſit, quis debeat *viaticum* petere nuntio, qui tulit literas, & ſic *viaticum* accipiunt pro *mercede* quæ debebatur Titio, ut decretum Imperatori porrigeret. Hic ſenſus eſt abſurdus, pace eorum dixerim. Quod enim *viaticum* debetur Titio? quis ejus labor in porrigendo decreto? quæ merces ei conſtituenda eſt? qui centum; forte paſſus in adeundo Principe confecerit, item quas expenſas in itinere fecit, ut ei *viaticum* debeatur. Præterea lex dicit *ab eo petere poteſt*, illud relativum, *eo* quomodo poſſit referri recte ad nuntium non video. Sed ne quod falſum patet, in refellendo longior ſim, breviter legem hanc intelligendam puto, ut quæratur, ubi de *(m) viatico*, id eſt, *expenſis, quæ fiunt in ſtudio à ſcholaſtico*, nam & id *viaticum* dicitur, ut *in l. ſi longius. ff. de indi. & in l. cum filius ſi. dig. ſi. cer. pet.* quod viaticum Reſpu. decreverat eo decreto, ut daretur Titio Romæ ſtudenti, & relativum *eo*, refert perſonam Principis. Noſtræ ſententiæ ſuffragantur illa verba, *in l. ſtudiorum gratia*, &c. Sed ea in l. notandum eſt, quod Juriſconſultus propoſitis *tribus quæſtionibus*, *uni* tantummodo reſpondet, quod forte a compilatoribus id omiſſum eſt ex conſulto. Item quod interpres in ea l. exponat *reſtituendas*, id eſt, *dandas*, quia, ut ait, *reſtituere* quandoq; eſt *dare*. Tu dic legem proprie loqui, quia qui *ſcribit*, dicitur dare literas tabellario *ferendas*: *Tabellarius* vero ſeu *nuntius* dicitur reſtituere ſeu reddere tertiæ perſonæ. Laus Deo.

(m) Egregie Bartolinus de *viatico*, cujus uſu & ſignificatione legem expoſuit, quæ interpretibus antea crucem fixerat, heroicis tamen temporibus proprie erat cibarium, quod eſcis non pecunia adornabatur, dabaturq; amicis diſcedentibus, quod frequens eſt apud Homerum, atq; ab Euſtath. definitur. Huc reſpexit Virgil. Æn. 1.

Hinc portum petit, & ſocios partitur in omnes
Vina bonus, quæ deinde cadis onerarat Aceſtes
Littore Trinacrio, dederatq; abeuntibus Heros.

PHI-

PHILIPPI BEROALDI SENENSIS ANNOTATIONES CENTUM IN VARIOS AUCTORES

AD

CLARISSIMUM ADOLESCENTEM

ULDRICUM ROSENSEM BOHEMUM.

VErſus ſunt Ovidii, ut hinc ordiamur, in ſecundo Faſtorum notiſſimi.

Nec tibi quæ cupidæ matura videbere matri
Comat virgineas haſta recurva comas:

Qui plus habent difficultatis, quam in fronte polliceantur, his enim ritus vetuſtiſſimus à Poeta ſignificatur, quo in nuptiali cerimonia Romani veteres utebantur, namque loquitur hoc in loco de haſta, quæ connominata eſt antiquitus (*n*) *cælibaris*, cujus cuſpide caput nubentis comabatur, quæ in corpore gladiatoris ſteтiſſet occiſi. Ut quemadmodum illa conjuncta fuerat cum corpore gladiatoris, ſic cum viro nova nupta ſit copulata, vel quia nubentes in *Junonis Curetis* tutela ſint, quæ ita appellabatur ab haſta, quæ lingua Sabinorum dicitur (*o*) *curis*, vel quia ſignum eſt prima connubia violenta fuiſſe Sabinis à Romulo raptis, vel quod viris fortibus conjunctæ, virilem cultum auſpicantur & viros fortes ſe genituras ominantur, Auctores Feſtus & Plutarchus in Problematis. Senſus itaque eſt Ovidii monentis, ſuperſedendum eſſe connubiis, dum per menſem Februarium fiunt parentalia, ut neq; viduæ neq; virgines illo tempore nuptias auſpicentur, nec ca-

(*n*) Haſta cælibaris haud dubie appellabatur, quia cælibatum tollebat; de hac Arnob. II. p. 91. *Quum in matrimonia convenitis, nubentium crinem cælibari haſta mulcetis.*

(*o*) *Curis*, ſive *quiris* nonnunquam; ex eo Romulus *Quirinus* eſt vocatus, exemplum vide apud Ovidium Faſt. II. 477.

Sive quod haſta quiris priſcis eſt dicta Sabinis,
Bellicus à telo venit in aſtra Deus.

capillos comant haſta cælibari, qua nubentes comam diſcriminare ſolebant propter cauſſas antedictas. Hallucinantur qui *haſtam recurvam* exponunt pro *calamiſtro* cum, nulla proportio ſit inter *calamiſtrum* & *haſtam*. Qui aure hebetiore non ſunt, neq; à ſtudiis literarum penitus retorridi, hi facile dijudicabunt trivialem eſſe atq; protritam illam de calamiſtro enarrationem, quæ vero à nobis dicuntur, Ovidii ſententiæ eſſe accommodatiſſima, & de antiquitatis conſuetudine depromta.

Apud Eundem in quinto Faſtorum verſus eſt ſcite docteq; conſcriptus, & ab ipſo Poeta ita editus:

Frigidus Argeſtes ſummas mulcebit ariſtas.

Ubi *Argeſtes* pro *vento* occidentali accipitur, & ſenſus eſt manifeſtus. Hunc ventum ſcribit Plinius in XVIII. naturalis hiſtoriæ flare ab occaſu ſolſtitiali & occidentali latere Septentrionis.

Ejuſdem meminit in ſecundo his verbis: *Ab occaſu æquinoctiali Favonium, ab occaſu ſolſtitiali Corum, Zephyrum & Argeſtem vocant.* Ariſtot. idem eſt, ſecundo meteorum refert: Argeſtem flare adverſus Eurum. Gellius in ſecundo noctium Atticarum, auctor eſt, eum flare adverſus, Aquilonem. *Frigidus* optimo epitheto pronunciatur à Poeta quoniam (ut tradente Plinio didicimus) ex frigidiſſimis ventis & *ipſe Argeſtes eſt*, ſicuti omnes qui à ſeptentrionis parte ſpirant; hunc Latini modo *Caurum* modo *Corum* appellitant. Qui Ovidium *frigidus Agreſtis* dixiſſe putant, in libros. ſ. de corruptis exemplaribus factos inciderunt, & perinde frigidam atq; agreſtem interpretationem attulerunt.

Idem in ſexto Faſtorum commemorans priſcorum frugalitatem inquit:

Nec Lotium norat quam præbet Jonia dives.

Quem verſum commentatores enarrantes ajunt, Nondum advecti erant in Latium Cygni ex Jonia Aſiatica. Non invenio apud ſcriptores idoneos quod *Cygnea* caro inter delitias ganeæ, & luxurioſas dapes à præfectis popinarum commendetur, quum auctore Alberto Magno libro de animalibus. XXIII. dura ſit & nullo jucundo ſapore lauturum cœnis expetenda, quocirca eo verſu *de Attagene Jonico* Ovidium intellexiſſe, indubitanter aſſerimus, qui inter eſculentiores aves præcipuo ſapore cenſetur, ut indicat epigrammaticus Poeta cujus hi ſunt verſiculi:

Inter ſapores fertur alitum primus,
Jonicarum guſtus Attagenarum.

Et Horatius in Epodo inquit:

Non Afra avis deſcendat in ventrem meum,
Non Attagen Jonicus jucundior.

Quem locum enarrans Porphyrio ita ſcribit: Attagen avis eſt Aſiatica inter nobiliſſimas habita, Jonicus vero ab Jonia dictus quæ eſt regio Aſiæ. Sententiam hanc noſtram Plinii quoq; verba corroborant ita de Attagene ſcribentis in X. naturalis hiſtoriæ. *Attagen maxime Joniæ celebratur vocalis alias captus vero obmuteſcens, quondam exiſtimatus inter raras aves.* Præterea ab Aulo Gellio in ſeptimo Noctium Atticarum: *Phrygia Attagena numeratur inter edulia laudatiora.* Divus quoque Hieronymus non minus graviter quam eleganter ad Salvinam ſcribens ſic ait: *procul ſint à conviviis tuis Phaſides aves quibus ampliſſima patrimonia avolant.* Ab eodem alibi dictum eſt *tu Attagenem voras, & de acipenſere comeſto gloriaris.* Idem in libro contra Jovinianum 2. *Apud vos*, inquit, *Attagen & ficedula Mullus & Scarus in delitiis computantur.* Igitur volens Ovidius oſtendere priſcorum victum fuiſſe ſimplicem atq; inculpabilem, ait, *avem quam mittit Jonia*, hoc eſt, Attagenem fuiſſe ignotam menſis antiquorum, qui nullas delicatiores dapes veſtigabant, qui nullas peregrinas lautitias conquirebant, ſicut poſteri indulgentia fortunæ luxuriantis helluati, & ſaporibus pretioſis palatum ſuum oblectare cœperunt, ul-

Google

ultra Phaſim & Joniam ventris cauſſa navigantea, quorum gulam ſeveriſſimus vitiorum caſtigator, Anneus Seneca, cenſoria oratione frequenter inſectatur.

In eodem iuculento Faſtorum opere ſcriptum eſt:

Ebrius incinctit philyra conviva capellit Saltat,

Ad cujus loci enarrationem ſciendum eſt *philyras* eſſe membranas tenuiſſimas inter corticem lignumq; arboris tiliæ, quæ ut docet Plinius in XVI. in Coronis celebres fuere antiquorumq; honore. In hoc ſignificatu accipitur *philyra* ab Ovidio demonſtrante convivaa ſaliare coronatos illis coronis, quæ ex philyra contexuntur, de qua dixit Horatius in Lyrico carmine ſcribens:

Diſplicent nexæ philyro coronæ.

Idem Pliniua auctor eſt in XXI. Claudium pulchrum celare lemniſcho, quæ ſunt coronatum ornamenta inſtituiſſe, bracteaſq; etiam *philyræ* dediſſe. Idem *philyræ* accipit pro capillamentis filiſq; tenuiſſimis cum ſic inquit in XXIV. *philyræ creci nimium ſalem cibit eximunt*. Idem ita ſcriptum reliquit in XIII. *Præparantur ex papyro charta diviſæ acu in prætenues, ſed quam latiſſimas philyras*. Quidam tamen Pliniani codices non *philyras* habent, ſed *philuras* qua dictione ſignificantur membranæ ſive capillamenta tenuiſſima. Nuſquam apud Plinium *philyra* ſignificat nomen proprium fœminæ coronariæ, ſicut nonnulli arbitrati ſunt. Martianus in libro de nuptiis *philologiæ philyram* accipit pro membrana tenuiſſima, de qua diximus, cujus hæc verba ſunt: *libri philyræ cortice ſubnotati*.

Apud Eundem in primo Ejuſdem operis hi verſus paſſim ita leguntur:

Nec defenſa juvant Capitolia, quo minus anſer,
Det jecur in lances Inache laute tuas.

Menda eſt (ut exiſtimo) in ſecundo verſu, & illud *Inache laute* expungendum eſt, & in ejua locum ſubſtituendum *Inachi vacca*. Ita hunc locum audentius emendavi nactus reverendæ vetuſtatis codicem, in quo ita ſcriptum legimua *Inache vacca*, ubi unius tantummodo literæ immutatione verſus emendandus fuit, & in Naſonis familiam redigendus, quo ſignificare voluit jecur anſerinum in ſacris deæ Iſidia adhiberi, quæ *vacca* nuncupatur, ob fabulam notiſſimam, & patronymico nomine *Inachis*, hoc eſt, *Inachi* filia vocitatur, & de hac intelligere malim quam de *Inacho*, cum illius Deæ nomen & ceremoniæ monumentis hiſtoricorum ac poetarum ſint cognitiſſimæ, *Inachi* vero nomen inter celebratos Deos ignotum.

Exta autem anſerum grata fuiſſe in ſacris Ægyptiacis inſinuare videtur illud Satyrici Poetæ carmen:

Ut veniam culpæ non abnuat, anſere magno.

Herodorus quoq; ſcribit in Euterpe, ſacerdotes Ægypti veſci carnibus anſerinis. Et Diodorus auctor eſt regum Ægyptiorum menſis, nihil præter anſerem & vitulum inferri ſolitum.

Ejuſdem Poetæ verſua eſt in Faſtorum libris vulgatiſſimus:

Pontibus infirmos præcipitaſſe ſenes.

Ex quo ut opinor irroboravit convaluitq; falſa vetus opinio, tanquam apud priſcos Romanos ſexagenarii de pontibus præcipitati necarentur. Sicut apud Caſpios incluſi fame ſenea necabantur cum ſexageſimum annum exceſſiſſent, ſicut Herbices ſoliti fuiſſe dicuntur jugulare eos, qui ſeptuaginta annos nati eſſent. Sicut Bactriani (ut auctor eſt Oneſicritua) ſenio morbove confectos adhuc viventes objiciebant canibus. Sed hæc haud incredibilia dictu ſunt, in Scythicis barbariciſq; nationibus ab omni penitus humanitate ſequaſtratis, quibus nullus mos, nullua cultua, nulla fuit manſuetudo: de Romanis vero iſtud exiſtimare neſaa eſt, à quibua omnium virtutum omniſq; pietatis clariſſima exempla fluxerunt. Dum itaq; mecum ſcrutor cauſſam hujus invulgatæ opinionis, probabilem apud Nonium Varronemq; reperio Romanos, qui lx. annos habebant, liberos fuiſſe à publicis negotiis, neq; ſuffragia tuliſſe in

crean-

creandis magiſtratibus, quæ per pontes ferebantur. Ideo in proverbium res deducta eſt, ut diceretur ſexagenarios de pontibus præcipitari, quoniam ſcilicet à latura ſuffragii removebantur, quæ per pontes fiebat, non in Tyberi fabricatos, ſed in campo Martio ſuffragiorum ferendorum cauſſa, de quibus intellexit Cicer. ſic ſcribens in primo Rhetoricorum: *pontes diſturbat, ciſtas dejicit*. Idem alibi ait: *Nempe tu & populum ſuffragii & magiſtratum conſilio privaſti, cum pontes diſturbaſti*. Et apud Tranquillum in Julio Cæſare, id genus pontes ſignificari aſſeruimus, cum illum locum publica enarratione explicaremus percontati: *Utrum ne illum in campo per comitia, tribus ad ſuffragia vocantem patribus diviſis, e ponte dejicerent atq; exceptum trucidarent*. Inde *depontanos* eleganti vocabulo ſenes appellatos eſſe legimus, ab illa videlicet pontis dejectione, hoc eſt, ferendi per pontes ſuffragii ademtione. Hinc illud eſt eleganter nimis & ſcite dictum à Macrobio in primo ſaturnalium: *Adimere doctis viris in verbarum comitiis jus ſuffragandi, & tanquam ſexagenarios majores de ponte dejicient*. Et hoc eſt, quod egregius Poeta Ovidius ſignificavit in Faſtis ſic ſcribens:

Pars putat ut ferrent juvenes ſuffragia ſoli,
Pontibus infirmos præcipitaſſe ſenes:

Qui duo verſus toti referendi ſunt ad illum ritum antiquorum, de quo jam diximus, & non ad illas ineptias, quas ſemidoctum vulgus exiſtimat. Cicero quoq; in oratione pro ſexto Roſcio Amerino ad hanc rem alludens ait: *Habeo etiam dicere quem contra morem majorum minorem annis lx. e ponte dejecerit*. Sunt qui dicant poſt urbem à Gallis liberatam, ob inopiam cibatus cæptos ſexagenarios dejici in Tyberim, ex quo numero unus, filii pietate occultatus, ſæpe profuerit patriæ conſilio ſuo ſub perſona filii, quo cognito, illi ignotum eſt, & mos talis abolitus. Scribit Feſtus quo tempore per pontem cœperunt ferre ſuffragium, juvenes conclamaviſſe, ut de ponte dejicerentur ſexagenarii, qui jam nullo publico munere fungerentur, ut ipſi potius, quam illi, deligerent magiſtratus. Opinionem de ponte Tyberino, confirmavit Afranius. Propter hæc apud Tranquillum in Cæſare dictatore potes intelligere de ponte Tyberino, quamvis aliter paullo ante tradiderimus. Nam cum invidorum referta ſint omnia, cavendum nobis eſt, nec calumniandi anſam calumniatoribus præbeamus.

Apud eundem verſiculus eſt in 4. Faſtorum, qui & perperam legi & perperam enarrari ſolet:

Pallade ſit Tiſia doctior ille licet.

Hunc verſum nos emendantes ita legimus ut pro *Titio*, *Tychio* pronuntiemus, & de *Tychia* artifice dictum eſſe aſſeramus cerdonum peritiſſimo, qui Ajacis clypeum mirando artificio fabrefecit, de quo ita ſcribit Homerus:

Ajacis clypeum Tychius conſtruxerat olim, Cultor Hylet, habitus cerdone peritior omni.

Et hujus carminis Homerici teſtimonio uſus eſt Strabo in VI. Geographiæ, & in XII. ubi diſputat ex civitate-ne *Hyde* an *Hyle* fuerit *Tychius*, cum *Hyda* ſub Tmolo in Lydia ſit, *Hyle* vero in agro Bœotio.

Quæſtio eſt apud Aulum Gell. lib. Noctium atticarum. XVIII. *Quam ob cauſſam patriciis Megaleſibus mutitare ſoliti ſunt?* quæ quæſtio, quoniam ab ipſo inenarrata relinquitur, me facturum operæ pretium æſtimavi, ſi eam cum Naſonis carmine explicarem, & verbum illud *mutitare* quod rarum inventu eſt, enodarem. Romani Hannibale Italiam vexante, ſacra magnæ matris accita ex Phrygia Romæ collocaverunt, quæ accepitis vir, qui optimus à ſenatu judicatus eſt Scipio Naſica, ſicuti Livius, Cicero, & Silvius Italicus memoriæ prodiderunt. Diem qui dicatus erat ipſius Deæ cerimoniis *Megaleſia* nuncuparunt, ut docet Marcus Varro: Ludos quoque celebrari voluerunt ante templum in ipſo magnæ matris conſpectu, qui & ipſi *Megaleſia* dicuntur: di-

ctio

ctio græcanica. Unde Cicero in Orat. de Aruſpicum reſponſis loquens. de *Megaleſib.* ait *qui ludi ne uno quidem verbo appellantur Latino*, ut vocabulo ipſo, & appetita religio externa, & matris magnæ nomine ſuſcepta declaretur. Sed hæc tanquam nota tranſeunter attingere ſatis eſt. Præterea antiquo Romanorum ritu fuit inſtitutum, ut ludis *Megaleſib.* mutua inter ſe convivia patricii agitarent, propterea quod ipſa Dea ſedem bene mutaviſſet ex Peſſinunte Phrygiæ Romam tranſportata, quæ domicilii permutatio, numen magnæ matris fecit auguſtius & venerabilius, atq; ita patricii viciſſim ineunt convivia, & ut inquit Ovid. in Faſtis:

Captant mutatis ſedib. omen idem.

Et hoc ſignificat ipſum verbum *mutitare*, h. e. muta inter ſe convivia agitare, ſicut idem Gel. in ſecundo apertiſſime declarat, appoſita ipſius verbi interpretatione, nimirum iſtæ ſunt illæ ſodalitates, h. e. ſodalium inter ſe mutua convivia, de quib. ait M. Cato Cenſorinus apud Ciceronem, cujus hæc ſunt verba: *Primum ſemper habui ſodales*. Sodalitatem *autem me Quæſtore conſtitutæ ſunt ſacris Idæis magnæ matris acceptis, epulabar igitur cum ſodalibus omnino modice.* Ovid. verbum illud, quod eſt mutitare, circumloquutione quadam Poetica expreſſiſſe videtur in quarto Faſtorum, ubi hiſtoriam Cybelis luculente memorans, ait,

Cur vicib. factis ineunt convivia quæro.

Et quoniam hoc in loco incidimus in mentionem *Megaleſiorum* non eſt prætereunda illius ſatyrici carminis enarratio:

Atq; à plebejis longe Megaleſia,

quo Juvenalis haud dubie ſignificat duo genera ludorum, videlicet *ludos Cybelejos*, qui dicuntur (p) *Megaleſia*, atque *plebejos*. Ludi autem *plebeji* dicti ſunt, quos exactis regib. pro libertate plebis fecerunt, aut pro conciliatione plebis poſt ſeceſſionem in Aventinum, prout docet Pedianus Aſconius. De his ita loquitur Livius in 24. *Plebeji ludi. M. Aurelio Cotta & M. Claudio Marcello conſulib. ter inſtaurati ſunt*. Plebejorum ludorum (q) crebra mentio eſt apud eruditos, de quib. intelligens Poeta ſatyricus ait, mulieres Romanas, quæ ludis & hiſtrionibus vehementer oblectantur, triſtes eſſe & mœſtas quoties ludi ceſſant, quoties poſt plebejos ludos longo temporis intervallo *Megaleſia* ſubſequuntur. Ita à *Plebejis* exponendum erit a *ludis*, hoc eſt, poſt ludos qui *Plebeji* nuncupantur, & hic eſt verus Poetæ ſenſus. Qui alter ſentit, an bene ſentiat, viderint eruditi.

Apud eundem Ovi. verſus eſt in III. Faſtorum depravatus, quem errorem

(p) Quum *Megaleſia*, ſeu, quod nonnullis probatur, ac idem ſonat, *megalenſes ludi* penes veteres Romanos *matri magnæ* ſacra fuerint ex Feſto, Mureto in vitam Terentii p. 152. Thyſ. in Gell. 11. 24. qui illud à Cicerone, cæteriſque Rom. auctor. exſcripſerunt, emendari jure optimo poſſunt vitioſi codices Donati, ſive alterius auctoris, cujus de Comœdia, & Tragœdia quædam vitæ Terentii à Svetonio perſcriptæ ſubjiciuntur, in quibus legitur: *Megalenſes magnis Diis conſecrati*; magnis enim Diis, quales tres illi *Jupiter*, *Minerva*, & *Juno ludos* magnos, ſive Romanos tantum à Cicer. Verr. v. 14. faciundos eſſe diximus.

(q) Edebantur in circo ludi plebeji à D. XVII. Kal. Decemb., qui erat XV. Novemb. dato *ludorum* cauſſa epulo, quoties ab ædilibus ludi inſtaurarentur: eorum meminit Livius XXVIII. 10. *Ludi plebeji ſemel toti inſtaurati ab ædilibus plebis M. Pomponio Mathone, & Q. Mamlio Thurino*. Plura videre eſt apud Græv. de Antiquit. Rom. Tom. XI. p. 840. J. Cæſ. Scalig. Poet. I. XXXVII. & cæteros Rom. antiq. ſtudioſos.

rem eſſe poſſit agnoſcere quivis vel mediocriter eruditus, quem non eſſe animadverſum ab his, qui doctrinæ nomine plurimum gloriantur, vehementiſſime admitor, ita enim in omnibus ferme codicibus ſcriptum eſt:

Is deciet ſenos tercentum & quinq; diebus
Junxit, & e pleno tempora quinta die.

Hanc lectionem multi ſequentes interpretationem implicatiſſimam attulerunt, nec ſe ullo pacto explicare queunt, quo circa tu illud *tempora quinta die*, ita corrigito, *tempora quarta*, prout ſcripſiſſe Ovidium haud dubie credimus. Et ſenſus efficitur manifeſtatior: ſignificat enim Poeta id quod maniſeſtiſſimum eſt, Julium Cæſarem dictatorem annum ad ſolis numerum accommodaſſe, qui CCC. ſexagintaquinq; diebus, & quadrante curſum conficit, & ita annus tercentorum & ſexagintaquinq; dierum, effectus eſt. Et ne quadrans deeſſet, ſtatuit ut quarto quoque anno ſacerdotes diem unum intercalarent, quem *biſſextum* cenſuit nominandum. (*r*) Cujus rei auctores ſunt Macrobius, Solinus, & Tranquillus. Itaq; Ovid. quadrantem illum, hoc eſt, ſex horas, quæ anno civili ſuperſunt *quarta diei tempora* eleganter appellat, qui xxxxiiii. horarum ſpatio terminatur. Et pro illo quadrante diei, qui annum verum ſuppleturus eſſe videbatur, inſtituit Julius Cæſar, ut peracto quadrienni circuitu dies unus in menſe Februario poſt terminalia intercalaretur. Ex quo ſcribit Cenſorinus *annos* ad ſuam uſq; memoriam *Julianos* vocitatos.

Apud Ovidium in Ibida verſus hic eſt:

Comicus ut liquidis periit dum nabat in undis.

Quo verſu Terentii comœdiarum ſcriptoris ſignificavit interitum, qui teſte Donato cum navem conſcendiſſet Græcia revertens naufragio periclitatus occubuit, cum centum & octo fabulis converſis à Menandro. Quidam tradunt Terentium, poſtquam ſex populo edidit comœdias, iter in Aſiam feciſſe, & cum navem conſcendiſſet, nuſquam deinceps viſum fuiſſe. Unde vehementer illorum doctrinam deſidero, qui in hujus loci enarrationem interpretamenta nugatoria commenti ſunt. Sicut in eo quoq; loco parum curioſe hiſtoriam penſitaverunt:

Ut quos dux Pœnus merſit putealibus undis.

Eo enim verſu ſignificatur Hannibalis crudelitas, quam unus ſcriptorum maxime expreſſit Appianus in eo libr. cui titulus eſt Libycus, apud quem Publius Cornelius Hannibalis ducis Pœnorum truculenta facinora memorans ait: *Carthaginenſes Senatum Nucerinorum intra balnea concluſum, adbibito igne necaverant, cives abeuntes telis inſequuti ſunt: Acerranorum præterea Senatum per inducias fidentem puteis merſere, ora ſaxis obruentes.* Nec multo poſt inquit: *Captivos Hannibal partim foſſis obruit, partim fluminibus immerſit, per quorum corpora tanquam per pontes ductaret exercitum.* Scribit Seneca lib. 3. de ira: Hannibalem cum foſſam ſanguine humano plenam vidiſſet, dixiſſe, *O formoſum ſpectaculum!* Sed jam ab Ovidio ad alios Poetas tranſeamus, pauca quædam prout memoriæ ſuppetunt annotantes, quæ interpretationis indigere videantur.

Pe-

(*r*) Julianum ejuſmodi annum, quod Sacerdotum incuria, magnam triginta & ſex. annorum ſpatio, temporis confuſionem intuliſſet, ſolerti cura Auguſtus emendandum curavit, diemq; qui intercalandus erat quarto quoq; anno, quinto quocumq; anno incipiente intercalari conſtituit, explicatę deſcriptionis ſeriem in ærea tabella incidendam, explicandamque mandans, hac ratione Kalendarium *Julianum*, Annus *Auguſtanus* appellari cœpit. Ex Græv. antiquit. Roman. Tom. VII. p. 129. Scalig. de emend. Temp. v. 328.

Non

Pene præterii locum illum Ovidii, qui non fuit diſſimulanter prætereundus, qui eſt in primo de remedio amoris:

Ingenium magni livor detractat Homeri,
Quiſquis es exilla Zoile nomen habes.

Exiſtimant pleriq; omnes grammatiliæ trivialeſque doctores, Ovidium his duobus verſibus ſignificare voluiſſe invidum, qui detrahebat Homero, ab illa Homerica detractione fuiſſe *Zoilum* nominatum, tanquam *Zoilus* (ſ) lividus detractorq; ſignificetur. Sed longe aliud eſt, quod ſenſit Ovid. qui hiſtoriam vetuſtiſſimam ſignavit, quæ talis eſt: Zoilus libros ſcripſit adverſus Homerum, eoſq; tanquam rem luculentam attulit regi Ptolomæo, qui cum videret indigne carpi vexariq; omnis philologiæ ducem omniſq; doctrinæ parentem, nullum Zoilo reſponſum dedit, quem mox ad egeſtatem redactum patibulo affecit. Hic cum eſſet Homeri æmulus atq; obtrectator, adoptavit ſibi hoc cognomentum, ut *Homero maſtix* nominaretur tanquam *Homeri flagellum*, *maſtix* enim Græce ſignificat *flagellum*: unde comici Poetæ verberones *maſtigias* identidem appellant, & inde factum eſt, ut omnibus detractoribus hoc cognomen accommodemus. Plinius in proemio naturalis Hiſtoriæ:

Ut obiter caveam iſtos homeromaſtigas,

ita enim carptores ſuos nuncupat. Illud attende, quod docti ſcriptores uſurpant, obtrectatores omnes eleganter *maſtigas* vocitari, addito illius nomine, cui obloquuntur, ut exempli cauſſa: *Ciceromaſtix* nominetur qui detrahit Ciceroni, *Virgiliomaſtix* qui Virgilio. Inde ait Aulus Gel. quendam librum ſcripſiſſe adverſus Ciceronem, qui infando titulo erat inſcriptus *Ciceromaſtix*. Igitur Ovi. oſtendere volens maximos quoq; Poetas & extra omnem igenii aleam collocatos, eſſe obnoxios invidiæ & obtrectationibus: dicit livorem *Zoili* exarſiſſe in Homerum, qui eſt diviniſſimus Poetarum, à quo livore atq; detractione Zoilus nomen invenit, ut ſcil. *Homeromaſtix* nomine deteſtando paſſim cognominaretur. Hiſtoria traditur à Vitruvio in 7. de Architectura.

Hujus Zoili teſtimonio nititur Strabo, quem vocat *Homeri vituperatorem*.

Apud Horatium in primo epiſt. vetus eſt verbum, & docte & eleganter collocatum, quod non paucos alioquin eruditos feſellit, ſic n. ſcribitur:

Nec ſemel irriſus triviis attollere curat
Fracto crure planum:

Ubi *planus* accipitur pro *ſcurra* & *ſycophanta*, ſicuti Cicero & Laberius acceperunt & obſervavit. Aul. Gel. in 15. Noctium Atticarum. Qui exiſtimant, *planum* apud Horatium nomen eſſe adjectivum ſyllabæ ratione facile coarguuntur, quæ in *plano* prima, quando ſignificat ſycophantem corripitur, quando adjectivum nomen eſt producitur. Clarum eſt quod à nobis dicitur, & quod ab aliis, adeo ut res ipſa ſeipſam fulciat, atq; corroboret citra aliena adminicula. Unde hoc & id genus alia indicaſſe ſatis erit ac ſuper.

Apud eundem in eodem epiſtolarum libro verſus ille notiſſimus eſt.

Sed nimis arcta premunt olidæ convivia capræ.

Quo ſignificat convivas & compulones nimis arcte diſcumbentes, nimiſq; ob numeroſam multitudinem conſtipatos, in menſa lædi fœtore moleſtiſſimo, qui modo *hircus*, modo *caper*, modo *tragos* nominatur à Poetis. Namq; ut au-

---

(ſ) Non minus apte quam jocose Zoilum ſua ætate deformiſſimum hominem, necnon iniquum fortaſſis carpit Martialis lib. XII. Epigram. XLV. venuſto Diſtichon:

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine læſus
Magnam rem præſtas, Zoile, ſi bonus es.

auctor eſt Cenſorinus in ſecunda annorum hebdomade, vel incipiente tertia, vox craſſior fit & inæquabilis, quod antiqui Latini dicunt *birquitallire*, & inde ipſos putànt *birquitallos* appellari, quod tunc corpus *bircum* olere incipiat. Ariſt. id quod Latine *birquitallire* dicitur, Græce vocat *tragiζur* lib. 7. de animalib. quam dictionem interpres Ariſtot. in Latinum vertens *caprire* dixit. Idem Ariſt. in problematis auctor eſt, virus hirci illos redolere, qui rem agunt veneream, quiq; ea ætate ſunt, quæ Veneri ſufficiat, inde fœtorem alarum hircum vocitamus, quæ omnium maxime partium noſtri corporis male olent, propterea quod immobiles inexercitatæq; habentur. Hinc eſt illud ab Horatio dictum eleganter in epodo *cubat bircus in alis*: Catullus *caprum* appellat illo verſu:

Valle ſub alarum trux babitare caper.

A Mar. *tragos* Græce nuncupatur:

Inde tragos celereſq; pili mirandaq; matri Barba.

Et quoniam hircus maritum ſignificat capellarum, & accipitur pro graveolentia, luculente & feſtive dixit Ovid.

Offendat nares virq; paterq; gregis,

quum fœtorem hircinum ſignificare voluiſſet, & ita ab Horatio Poetica quadam venuſtate olidæ capræ appellantur, male olentes convivæ. Ab hirco hircoſus derivatur, Perſius:

Hic aliquis de gente bircoſa centurionum.

Idem ait in 2. Epiſtolarum.

Diverſum confuſa genus Pantbera Camelo.

Quo verſu plane *camelopardalin* Poetica circuloquutione deſcripſit. Eſt autem *Camelopardalis* collo ſimilis equo, pedibus & cruribus bovi, capite camelo, albis maculis rutilum colorem diſtinguentibus, unde appellata, *camelopardalis*. Nabuna æthiopes vocant, ut auctor eſt Plinius in 8. natura. hiſtor. Hoc eſt illud animal, quod Italici lingua vernacula *gyrapham* appellant. Scribit Albertus Magnus libro vigeſimoſecundo de animalibus; ſuis temporibus Federicum Imperatorem *Camelopardalim*, ſecum habuiſſe, & hac tempeſtate Florentiæ viſa eſt domo miſſa Laurentio Medici à Rege Ægyptiaco. Senſus Horatii eſt, riſurum fuiſſe Democritum cui omnia mortalium ridenda videbantur, ſicuti Heraclito flenda, ſi populum Rom. ſtupere vidiſſet aſpectu *Camelopardalis*. Et hoc ideo dictum eſt, quia Plinio atque Solino auctoribus primum viſa fuit Romæ ludis Circenſibus Cæſaris dictatoris. Auctor eſt Julius Capitolinus fuiſſe Romæ ſub Imperatore *Camelopardales decem*. Errant qui exiſtimant ab Horatio ſignificari *Camelum* cum *Panthera* coeuntem, cum *Panthera confuſa genus Camelo* doctiſſima periphraſi pro *Camelopardali* accipienda ſit, quæ (ut diximus) ex maculis Pantheræ & capite camelino formatur, & ita cum Camelo genus Panthera confundit.

Apud eundem in eodem epiſtolarum lib. ſcriptum eſt:

Ibit eo quo vis qui zonam perdidit, inquit:

Ubi non ſimpliciter dictum eſſe exiſtimare debemus, *qui zonam perdidit*, ſed morem priſcorum exprimere voluiſſe, qui zonas nummis aureis refertas habebant, quod probatiſſimorum teſtimoniis comprobatur, in primis Tranquilli, qui ſcribit: *Vitelium zonam ſe aureorum plenam circumdediſſe*: Et Apuleji, cujus hæc ſunt verba ex lib. 7. de Aſino aureo: *Plotina pretioſiſſimis monilium & auro monetali zonis refertis incincta*. Præterea Cajus Gracchus fortis Orator in oratione, quam habuit ad populum, ſic ſcriptum reliquit: Itaq;. *Quirites cum Romam profectus ſum, zonas quas plenas argenti extuli, eas ex provincia inanes retuli*. Tradidit Plutarchus in Demetrio: *Soſigenem aureos nummos ccc. babuiſſe in cingula militari pro viatico*. Spartianus quoq; auctor eſt Peſcennium Nigrum juſſiſſe, *ne milites in zonis nummos*

vel

vel argenteos portarent ad bellum , ſed publice commendarent repetituri poſt prælia quod dederant . Quin-etiam Lampridius Alexandrum Imperatorem Rom. dicere ſolitum ait : *Miles non timet niſi veſtitus , armatus , & calceatus , & ſatur , & habens aliquid in zonulo* . Et talis eſt Horatiana ſententia , inducit enim militem Lucullianum , qui factus erat dives & bene nummatus , recuſantem ire ad caſtellum oppugnandum , & ita Imperatori Lucullo reſpondentem : *Ibit ad omne periculum ruſticanus miles & inops , & qui zonam perdidit* , hoc eſt , qui aureos amiſit , quos in zona milites portare conſueverunt , propterea quod mendicitas militaris ad omnem diſperationem vocat armatum , qui vero ſatur eſt & aliquid habet in zona , timet pericula ſubire . Ad hanc veterum conſuetudinem referendus eſt ille ſatyrici poetæ ſenſus :

Obrutus , & zonam læva morſuque tenebis :

Quem Juve. explanatores prætertierunt , namq; ſignificare voluit Poeta Zonam à naufrago teneri , non ſolum manu , ſed etiam mordicus , propterea quod zona erat monetali auro referta , quam ne perdat omnibus nervis viribuſque contendit . Eccleſiaſtica ſententia præcipit , ne æs , hoc eſt , pecuniam in zonis habeamus .

Idem in Epiſtola ad Mecœnatem ſcribens , ſic inquit ,

Deſignatorem decorat lictoribus atris .

In cujus loci enarratione labuntur Interpretes , & quid *deſignator* ſignificet non ſatis diligenter exponunt , ſed nos omiſſis aliorum interpretamentis noſtra probemus . *Deſignare* vetuſtiſſimo ſignificatu eſt rem novam facere , in utramq; partem & bonam & malam , ſicuti docet Donatus enarrans illud Terentianum in Adelphis , *modo quid deſignavit* . Inde *deſignatores* dicti ſunt curatores funerum , qui ludis funebribus præſunt ob eam cauſſam , quod in his ludis multa fiant nova & ſpectanda . Scribit Juriſconſultus de iis , qui notantur infamia , *deſignatores miniſterium non artem ludicram exercere , ideoque ignominioſos non haberi* . Et ſane locus iſte à principe , ut verbis Juriſconſulti utar , *hodie non pro modico beneficio datur* . Ad hoc idem pertinentia verba Senecæ ſubjeci ex libro de beneficiis ſexto , quæ hæc ſunt : *An tu Aruntium & Aterium & ceteros qui captandorum teſtamentorum artem profeſſi ſunt , non putas eadem habere quæ deſignatores & libitinarios vota ? illi quorum mores aptent neſciunt , hi familiariſſimum quemque , ex quo propter amicitiam rei plurimum eſt mori cupiunt* . Hactenus Seneca . Senſus autem Horatii hic eſt , dabis inquit mihi , Mecœnas veniam diutius villicanti , & in agro commoranti , quam promiſerim , quoniam ægrotare Romæ formido per dies autumni peſtiferos , dum *deſignatores* hoc eſt præfecti ludorum funebrium lictoribus atratis decorantur , & per multorum mortes munia ſua frequenter uſurpant funebribus ludis præſidendo .

Scribit idem Horatius in primo Epiſtolarum :

Mancipiis locuples eget æris Cappadocum Rex :

Quo verſu ſignificat quoſdam eſſe famuloſos & famulitio numeroſo copioſos , ſed rei nummariæ egentiſſimos , & ita *Rex Cappadocum* non accipitur pro *Rege Cappadociæ* , ſed pro eo *qui maximam habet familiam ſervorum* . Rex enim alias dominus , alias regnator , alias dives ſignificatur . Et ita apud luculentos ſcriptores frequenter ſignificat divitem atque potentem , quia à clientibus colitur & paraſitis . Et in hoc ſignificatu Juvena. Martial. & Plautus accipiunt , & alibi ab Horatio dictum eſt .

Sive reges ſive inopes erimus coloni .

Columella quoq; libro primo de ſalutatore loquens ait , *ſomnium regis ſui rumoribus auguratur* . Scribit eruditiſſime Donatus , regem nomen eſſe ad aliquid , ut dialectici loquuntur , ut enim libertus eſt patroni , ita rex paraſiti , & paraſitus regis . Cappadocas vero ſervos appellamus à nomine regionis , ex

qua venales optimi deportabantur, ſicuti *Lydum* & *Syrum* priſci nuncuparunt: ſicuti *Davum* & *Getam* vocitamus à *Getis* populus & *Dacis*, quod olim *Davos* vocitatos eſſe exiſtimat Strabo, ex quo apud Athenienſes *Davorum* & *Getarum* nomina ſervilia in uſu erant frequentiſſimo, & inde apud Poetas Comicos identidem reperies ſervos *Getas*, & *Davos* appellitari. De Cappadocibus mancipiis meminit Perſius:

Cappadocas rigida pingues paviſſe cataſta.

Et Martial. inquit:

Quid te Cappadocum ſex onus eſſe juvat?

Ad mancipia quæ ex Cappadocia bona deferebantur alludens Apulejus in lib. VII. de Aſino aureo ait: *At ille Cappadocum me & ſatis forticulum nunciat.* Ita ab Horatio *Rex Cappadocum* dicitur *Dominus mancipiorum*, quorum legiones à nonnullis Romanorum locupletiſſimis habebantur, ut luculenter tradit Plin. qui in XXXIII. ait, *ſervorum cauſſa nomenclatorem eſſe adbibendum.*

Scribit idem in primo ſermonum:

Vin tu curtis Judæis oppedere. (t)

Quod verbum vetus eſt, & ſignificat *contra pedere*, nam à *pedo pedis*, cujus ſignificatio notior eſt, quam ut egeat interpretationis, formatur *oppedere*. Id quod docet Priſcianus in decimo, utens iſtius verſiculi teſtimonio. Errant qui exiſtimant *oppedere* dici quaſi *pedem pedi* opponere. Nam præter auctoritatem Priſciani ſyllabæ repugnantis ratione refelluntur, quæ longa eſt in verbo *pedo*, brevis in *pede*.

In ſecundo ſermonum ſcriptum legimus,

Foris eſt Promus, & atrum
Defendens piſces hyemat Mare.

Ubi *Promus* non pro piſce accipitur, ſed pro eo qui præeſt *promendis cibariis*. Etenim in familia potentiorum & luculentiorum alius eſt *Condus*, alius *Promus*, alius alii miniſterio aſſignatus. *Condum* vero illum appellaverunt qui recondit in cellam penuariam ipſa penora. *Promus* vero is dictus eſt qui depromit ea quæ uſionis gratia depromenda ſunt, ut docet Fulgentius Placiades. Inde eſt illud Plautinum:

Sum Promus Condus & Procurator peni.

Et facere dictum eſt ab Auſonio: *Promuſq; quam condus magis*. Et Apulejus eleganter in Apologia *Promum librorum* appellat eum, qui libris promendis & exhibendis præeſt: Senſus itaq; Horatii hic eſt. Eum qui multiplici corporis labore exercitatus ac delaſſatus eſt, eſurientem non aſpernaturum vilia cibaria, & ſi domi non erit *Promus*, hoc eſt, ille qui promat conditos in cellario cibos eſculentiores, & ſi piſces haberi non poterunt mari hyemante & undabundo, libentiſſime tamen panem cum ſale in eſca ſumturum, ad ſedandam murmurantis præ inedia ſtomachi eſuritionem, namq; ut dicere ſolebat Socrates, *potiſſimum obſonium eſt fames*, unde quum eſurienti olim Ptolomæo cibarius panis in caſa datus eſſet, nihil viſum eſt illo pane jucundius. Ab eodem in eo ſermone:

Gu-

(t) Quos hic appoſita ad contemptum voce ſuæ ætatis Judæos mirum in modum irridet Horatius; deſpicatui enim habere ſignificat verbum illud *Oppedere* a Græco ortum Καταπερδεῖν; lib. I. Sat. V. ſub finem, jure an injuria non dixerim, quod portentis fidem darent, nimiæ credulitatis, ac ſuperſtitionis inſimulat.

Credat Judæus Apella,
Non ego . . . .

De

Gulonum gula digna rapatibus Harpyis, (*u*)

Specioſe nuncupatur, ſignificante videlicet helluonum ingluviem mereri, ut ita cibaria illis luxurioſa Harpyiarum raptu de menſa eripiantur, & contactu fœdentur, quemadmodum *Phineo* cibos arripiebant, & immundo ore dapes polluebant. Poeticam elegantiam non penitus inſpexerunt illi, qui exiſtimarunt ab Horatio dici, *gulam dignam Harpyis*, per ea quæ voretur *ab Harpyis* vel quæ ſit voraciſſima *ut Harpyia*. Qui in Poetarum lectione infrequens non eſt, is facillime cognoſcet poeticum morſum ad id eſſe referendum, ad quod nos referri debere cenſuimus.

In ſecundo ſermonum Damaſippum introducit ſermocinantem, qui oſtendere volens ſe ære alieno & fœneratorum uſuris, omne patrimonium perdidiſſe, perquam eleganter ait,

Poſtquam omnis res mea Janum
Ad medium fracta eſt.

Nam Romæ in regione Baſilicæ Pauli conſiſtebant fœneratores, qui locus Janus dicebatur, quoniam ſcilicet in eo Jani ſimulacra collocata viſebantur. Cujus rei meminit Porphyrio, ut alibi ſignat Horatius ſic ſcribens in primo epiſtolarum,

Hæc Janus ſummus ab imo perdocet,

Cicer. enim 7. Antooiananum *Janum medium* ſicuti Horatius nuncupavit, & pro eodem ſignificatu accepit, cujus hæc verba ſunt: *Non poſſem ſine riſu dicere, Luc. Ant. Jano Medio, itane? Janus Medius in L. Antonii clientela ſit, quis enim unquam in illo inventus eſt, qui Luciæ Antonio mille nummum ferret expenſum*. De hoc eodem intellexit Ovid. eo verſu,

Qui puteal Janumq; timet celereſq; Calendas.

Ad *Janum* igitur *medium* ait Damaſippus, ſe rem ſuam, hoc eſt, patrimonium fregiſſe, quoniam ſub fœneratoribus corruerat in vico Jani conſiſtentibus. Qui *ad medium* J*anum* (*x*) pro *mercatura* exponunt, quid ſibi velint ignoro.

In

(u) De Harpyis fœdiſſimis avibus quæ & Stymphalides appellantur, fabulam inter primos invexit Græcus Heſiodus in Theogonia, quam varia de iis Græci Poetæ, ac Latini pronuntiarint conſule Natalem Comitem in Mytholog. VII. VI. ; canes Jovis illas vocavit Apollonius lib. 2.

Οὐ θέμις, ὦ υἱὲ Βορέω, ξιφέεσσιν ἐλάσαι
Ἁρπυίας μεγάλοιο Διὸς κύνας,

Non eſt fas, Borea nati depellere ferro
Inde canes Jovis Harpyas magni;

Virgineum vultum deformiſſimis animalibus appinxit Virgil. Æneid. 3.

Triſtius haud illis monſtrum, nec ſævior ulla
Peſtis, & ira Deum ſtygiis ſeſe extulit undis.
Virginei volucrum vultus, fœdiſſima ventris
Proluvies, uncæque manus, & pallida ſemper
Ora fame.

Quæ omnia, ſacem Græcis Latiniſq; præferentibus, Ludovicus Arioſto Poem. Italic., cui nomen *Orlando Furioſo* proſecutus eſt elegantiſſime cant. 33. ſtanz. 120.

(x) J*anus medius* appellari videtur ab Horatio non tantum quod fœneratores, verum etiam Mercatores ad Janum, qui inter duo fora ſacratus ſtabat, celebrioris, commodioriſq; loci ratione convenire ſolerent, quod verſus Ovidii Faſt. 1. 257. fortaſſis innuunt:

Cum tot ſint Jani, cur ſtas ſacratus in uno.
Hic ubi juncta foris templa duobus habes;

Ejuſmodi hominum ſedilia ad *medium* J*anum* collocare etiam Cicero viſus eſt in fin. lib. 2. Offic. *a quibuſdam viris optimis ad medium* J*anum ſedentibus commodius diſputatur de quærenda, de collocanda etiam, de*

uten-

Digitized by Google

In eodem ſermone perquam ſcite dictionem diviſit, ita ut partem in fine ſuperioris, partem in principio inferioris carminis collocaret. Sic enim inquit:

Strumentis incubet, unde-
Octoginta annos natus.

Ibi illud *undeoctoginta* pro una tantum dictione dictum accipere debemus, ſicuti *undeviginti*, *undetriginta* veteres dictitarunt. Et *undeoctoginta* dixit Horatius, id eſt, lxxix. annos habens ætatis, hoc eſt octoginta, unde unum deeſt, ſicuti interpretantur Priſcianus in libro de ponderibus, qui hunc Horatianum locum curioſiſſime obſervavit, & cum diligentia retulit. Nec mirandum eſt dictionem compoſitam duos in verſus fuiſſe diſtinctam, cum etiam ſimplicia verba dividantur, ut in ſapphico Catulliano:

Gallicum Rhenum, Horribiles & ulti-moſq; Britannos.

Et ab Horatio in II. carminum dictio iſta *venale*, dividitur eo verſu:

Groſphe non gemmis neq; purpura-ve-nale nec auro.

Quæri ſolet ab eruditis quid ſignificet apud eundem in ſecundo ſermonum *Pyrgus* eo verſu:

Mitteret in Pyrgum talos. (y)

Namque non pauci ex eruditioribus *Pyrgum* eſſe dixerunt *alveolum*, hoc eſt, tabulam luſoriam, quam & *fritillum* appellari exiſtimaverunt, in quo duplici labuntur errore, cum neq; *Pyrgus* ſignificet *alveolum*, neq; *alveolus* pro *fritillo* accipiatur. Nos autem, *Pyrgum* eſſe dicimus illud vaſculum, quo conjecti tali agitati mittuntur, cujus effigies inſtar turriculæ eſt, unde nomen mutuatur. *Pyrgos* enim græce *turris* latine ſignificatur. Marti. Latino verbo uti maluit & *turriculam* appellavit, namq; in apophoretis *lemma* eſt turricula, quæ in eodem ſignificatu accipitur, quo *Pyrgum* accepit Horatius: ſic enim ipſa loquitur.

Quæ ſcit compoſitos manus improba mittere talos?
Si per me miſit, nil niſi vota facit:

A Perſio per quandam ſimilitudinem eleganter *orca* nominatur ita ſcribente:

Scire erat in voto damnoſa canicula, quantum
Redderet, anguſtæ colla non falleret orca.

Hæc eſt illa *turricula* ſive *pyrgos* quæ alio nomine *fritillus* a Poetis identidem appellatur, neq; unquam ſignificat *tabulam luſoriam*, quæ modo *alveus*, modo *alveolus*, nonnunquam *latrunculariа tabula* nominatur. *Fritillum* autem eſſe idem, quod *pyrgum*, oſtendit aperte Porphyrio, qui apud Horatium *pyrgum* dicit ſignificare, quod nos *fritillum*, dicimus, in quo conjectæ teſſeræ agitatæq; mittuntur. Nil eſſe poteſt hac interpretatione manifeſtius, nil lucidius, nam dicit teſſeras conjici fritillo tanquam vaſculo, quo agitatæ deinde mittuntur in alveolum. Hoc idem indicat verſus ille Juvena.

Par-

---

utenda pecunia, eoq; magis *fæneratores*, *mercatoreſq;* ſimul coire quibuſdam dicti ſunt, quod unum foret *Jani* templum in vico Tuſco utriſq; frequentiſſimum, ex quo nomen vicus accepit, cujus caput *ſummus Janus*, infima pars *imus Janus*, media, *medius Janus* appellaretur. Verum nos in tanta vetuſtatis caligine, quæ neutiquam improbanda cenſemus, breviſſime attulimus, eruditorum hominum ſententiæ cæteroquin acquieſcentes.

(y) Aliqui non *Pyrgum*, *phimum* vero putarunt ſcribendum, ducta ſignificatione a Græca voce φιμὸν, quod ille inter aleatoris inſtrumenta numeraretur, ex Jul. Poll. lib. 10. cap. 31. quænam lectio magis probanda viderint eruditi.

Parvoq; eadem movet arma fritillo.

Illud enim epitheton *parvo*, haud dubie demonſtrat de *turricula* dictum eſſe, non de *tabula luſoria*, quæ lata & ſpatioſa eſſe conſuevit. Seneca quoq; in libello, quem de Claudii ludo compoſuit ſic ait: *Æacus jubet Claudium ludere pertuſſo fritillo.* Et mox:

Nam quotiens miſſurus erat reſonante fritillo,
Utroque ſubducto fugiebat teſſera fundo.

Ubi haud dubie *fritillum* accipimus non pro *tabula luſoria*, ſed pro *pyrgo*. Reſonat enim *fritillus* concuſſione teſſerarum quas ait ſubterfugiſſe de vaſculo, priuſquam emitterentur in tabulam luſoriam. Sed hæc haſtenus, jam ad alia feſtinet oratio.

Apud Martialem in Epitaphio Matronæ, quod lib. x. continetur, legitur hic verſus:

Bis mea Romano ſpectata eſt vita Terento.

Quo eleganter ſignificare voluit matronam, quæ loquens inducitur, ſe annos centenos vixiſſe. Nam per *Terentum Romanum*, ludos ſeculares intellige, quæ inſtituto veterum Romanorum centeſimo quoq; anno fiebant, ſicuti Cenſorinus affirmat, oſtendens, ſeculum eo annorum ſpatio terminari, quamvis Horatius Flaccus in carmine, quod ſecularibus ludis cantatum eſt, 100. & 10. quoq; anno ludos ſeculares celebrari deſignaverit. Iidem ludi. *Terentini* cognominabantur, quoniam in campo Martio fiebant in eo loco, qui *Terentus* dictus eſt, quod eo loco ara Ditis patris in terra occultabatur, ut inquit Feſtus. Originem ludorum ſecularium refert Valerius libro ſecundo capite de inſtitutis antiquis, qui docet quemadmodum in *Terento Romano*, hoc eſt, campo Martio, Valerius aram effodit Diti patri & Proſerpinæ conſecratam, & hoſtias furvas Terenti immolavit, ludoſq; fecit continuis tribus noctibus, qui ob hoc *Terentini* appellantur a Cenſorino, de quibus eleganter dixit Auſonius:

Trina Terentino celebrata trinoctia ludo.

Martialis igitur volens oſtendere matronam diutiſſime vixiſſe, dicit eam bis ſpectaſſe *Romanum Terentum*, hoc eſt, ludos ſeculares (z) qui in Terento campi Martii fiebant, quos nemo bis ſpectare poteſt, niſi qui ſupra ætatem vixerit centenariam. Unde eruditi autumant ſeculares dici potuiſſe, quod plerumq; ſemel fiant hominis ætate. Poteſt & Epigrammaticus Poeta videri hi-

(z) De ſecularibus ludis ſermonem habuit Ovid. Triſt. II. 2. 25.
Juſſerat & Phœbo dici, quo tempore ludos
Fecit, quos ætas adſpicit una ſemel.
Eos tamen nec ad centeſimum decimum, neq; ad centeſimum annum protraxerunt nonnulli ex auctoribus Politian. Miſcel. C. 58. Panvin. de lud. ſecular., aliiſq; *ſeculares* dictos eſſe cenſentes, quod plerumq; ſemel hominis ætate fierent, ut multa alia, quæ rara ſunt poſt ſæculum evenire conſuetudo loquentium uſurpat, præcone clamante *Populum Rom. eos viſurum eſſe ludos, quos nemo ejus ætatis unquam vidiſſet, aut viſurus eſſet poſthac*, ex Sueton. in Claud. 21.; utcumq; tamen de ejuſmodi ſacris res ſe habeat pro certo eſt, Imperat. quandoq; pro libito ludorum tempus anticipaſſe: *Fecit & ſeculares ludos quaſi anticipatos ab Auguſto nec legitimo tempori reſervatos*; ibid. Sueton., nec pro miro habendum eſſe, ſiqui bis hiſce ludis intereſſent paullo infra ſubdit laud. auct. *Quare vox præconis irriſa eſt invitantis more ſolemni ad ludos, quos nec ſpectaviſſet quiſquam, nec ſpectaturus eſſet, quum ſupereſſent adhuc, qui ſpectaverant, & quidam hiſtrionum olim producti, nunc quoq; producerentur.* Eo-

hiſtoriam ſuorum temporum ſignificaſſe. Namque Domitianus (ut auctor eſt Tranquillus) fecit ludos ſeculares computata temporum ratione, ab anno non quo Claudius proxime, ſed quo olim Auguſtus ediderat. Claudius enim ludos & ipſe fecerat ſeculares, inter quos & divi Auguſti ludos ſexaginta tres non amplius anni interfuere, ut tradit Plinius in 7. Quocirca inter ſeculares Claudii & Domitiani non legitimum ſeculi ſpatium interfuiſſe cognoſcimus, ſed annos plus minus xl. medio intervallo eſſe colligimus, cum à ſecularibus Auguſti ad ſeculares Domitiani ratio temporis legitimi computata conveniat. Er ita hic erit Martialis ſenſus, ut matrona in epitaphio dicat, ſe bis interfuiſſe ludis ſecularibus ſcilicet illis, quos Claudius, & his, quos Domitianus ediderunt intervallo annorum circiter xl. Unde proculdubio aſſerimus Martialem ſignificare voluiſſe matronam tamdiu vixiſſe, ut bis ſeculares ludos ſpectare potuerit, inter quos non longa ſecula interfuerunt. Sicuti idonei ſcriptores affirmant quoſdam hiſtriones ſaltaſſe utriuſq; ſecularibus ludis, & divi Auguſti, & quos fecit Claudius Cæſar. Non poſſum non vehementer admirari viros eruditos, & magnæ in literis auctoritatis, verſum Martial. ita expoſuiſſe, ut intelligant ſexageſimum annum ſignificari, & ajunt trigeſimo quoq; anno ſacra celebrari ſolita in *Terento Romano*. In qua interpretatione duplex eſt error manifeſtatius: unus, quod nullo idoneo auctore confirmant *ludos Terentinos* fieri ſolitos ſingularis tricenis annis: alter, quod eſſet, ſi id verum eſſet quod affirmant non tamen verſus Epigrammatici Poetæ id ſignificaret, quod interpretantur Nam ſi verum eſſet, quod minime verum eſſe concedo, ut trigeſimo quoq; anno ludi fierent in Romano Terento, non tamen neceſſum eſſet eam expleviſſe annum ſexageſimum, quæ bis id ludicri genus proſpectaſſet. Nam poſtquam nata fuerat adhuc infans, potuit vidiſſe, & deinde poſt annos xxx. iterum ſpectaſſe, adeo ut quæ ſexageſimum expleverit annum, potuerit non bis, ſed ter interfuiſſe ſpectaculis, quæ trigeſimo quoq; anno fieri conſueverunt. Sententia Poetæ hæc eſt, matronæ vitam bis ſpectatam fuiſſe in ludis ſecularibus, ſive Terentinis, vel quod verius eſſe exiſtimo, quia ſeculares ludos ſpectavit & quos Claudius, & quos Domitianus fecerit, non obſervato ſeculi intervallo. De hoc *Terento* meminit Papy. In ſylvis illo verſu:

Aut inſtaurati peccaverit ora Terenti.

Hendecaſyllabon ejuſdem poetæ ſic incipit:

Ride ſi ſapis o puella ride,
Peligaus puto dixerat poeta.

Exiſtimant Martialis enarratores hoc dictum eſſe propter illam Ovidii ſententiam, quæ eſt in libris de arte amandi:

Sit modicè riſus parvæq; utrinq; lacunæ.

Ego vero legi apud Martianum Capellam in libro de Aſtrologia hoc Hendecaſyllabon ipſius eſſe Naſonis. Verba Martiani hæc ſunt: *Peligni de cetero juvenis verſiculo reſpice, & in Tragicum corrugatu,*

Ride ſi ſapis o puella ride:

His

Eodem ſacrificio ad tempus neglecto, quum rurſus adverſi coſas accidiſſent Octav. Auguſtus ludos renovavit, factos oatea, L. Ceaſorino, & M. Manlio Puelio Conſ. ex Zoſimo lib. 2. Iſtor. Carmen ſæculare pro Imperii Rom. incolumitate Horatius poſt Epodon conſcripſit a pueris prætextatis, puellisque Virginibus Dianæ Phœboq; in iſtis ludis canendum, quod licet cæteri Dii tunc temporis colerentur, præcipue tamen Diana, & Apollo celebrandi erant, invocandiq;, tamquam ἀλεξίκακοι, malorumq; Averrunci ex Ludov. Deſprez. In annot.

Sug-

His Martiani verbis perſpicuum eſt, verſiculum iſtum ab Ovidio fuiſſe ita perſcriptum, ſicut a Martiale repertus eſt, & (ut opinor) in tragœdia Ovid. cui titulus eſt *Medea* legebatur, quam ſcripſit magna cum laude quam ita laudat, Quin in 10. Medea Ovidii mihi videtur oſtendere quantum vir ille præſtare potuerit, ſi ingenio ſuo temperare quam indulgere maluiſſet.
Ejuſdem eſt ille Phalæcius:

Juro per Syrios tibi tumores.

Quæri ſolet quod per *Syrio tumores* ſit jusjurandum. Nota ſunt, quæ ab interpretibus traduntur, aſſerentibus illud, *tumores* referendum eſſe ad Syriorum naturam, qui ſunt tumentes. Ego vero exiſtimo jusjurandum eſſe per illos *tumores*, *atque vibices*, quæ in corporibus deæ Syriæ ſacerdotum, partim ex proſpectu gladiorum, partim ex ictu flagrorum conſpiciebantur. Graphice enim & luculente Apulejus in 8. Aſini aurei fanaticam religionem deæ Syriæ deſcribit, quæ *omnipotens & omniparens dea* cognominatur. Cujus ſacerdotes erant ſemiviri effœminati cinædi, qui brachia renudata gladiis, ſecuribusq; ſibimet deſecabant, & morſibus muſculos incurſabant & flagro tali ovium reſſerato tumentia membra cædebant, per illos nunc *tumores* jurat poeta, quos in ſacris deæ Syriæ ſacerdotes fanatici ſuiſmet corporibus quiq; inferebant, quemdmodum etiam jurat per *Berecynthios furores*, hoc eſt per illam furibundam bacchationem, quam *Galli*, *id eſt*, *ſacerdotes Cybeleji* lymphata mente agitabant, virilia ſibimet amputantes. Sunt enim communia & fere eadem numina *Cybele* & dea Syria. Et ut inquit Auguſtinus in 7. de civitate Dei, *non abſurde multas Deas revocant ad unam, ut non tam ſint deæ multæ, quam multa unius numina.* Quo circa exiſtimo Ovidium in Faſtis has deas appellaſſe *Palæſtinas* perinde ac *furias*. Quæ ſcilicet in Syria, ubi Palæſtina eſt colebantur, ubi dea Syria furorem incurit ſuis cultoribus, ubi ſacra omnia fiunt plena furibundæ bacchationis. Interpres Ovidii neſcio quid dictum minimeq; conveniens tradit de Deabus Paleſtinis.

Apud eundem in Apophoretis, Lemma eſt graphiarum, cui ſubjicitur hic verſus:

Hæc tibi erunt armata ſuo graphiaria ferro:

Ubi *graphiarium*, & *graphiaria* non ſunt pro ſtylis ferreis accipienda, quæ *graphia* nuncupantur. Sed pro *repoſitariis graphiorum*: quemadmodum *panarium panis* & *granarium*, in quo grana reconduntur, & *armamentarium*, ubi naves reponuntur, eadem ratione *graphiarium* dicimus thecam, receptaculumq; graphiorum, id quod & ipſias poetæ verſus, ſiquis penitus introſpexerit, aperte ſignificat: Nam cum inquit *graphiaria armata eſſe ſuo ferro*: nonne indicat ipſum (ut ita dicamus) loculamentum, quo *graphia* reconduntur futurum armatum, atq; inſtructum *ſuo ferro*, hoc eſt *ſtylis ferreis id eſt*, *ipſis graphiis*, quæ inſtar armorum ſunt, ita ut olim Cæſar Dictator brachium Caſcæ percuſſoris graphio trajecerit: Abſurda & illepida mediusfidius foret poetæ loquutio, ſi *graphiaria* pro *graphiis* acciperemus. Quid. n. tam abſurde, atq; invenuſte dici poſſet, quam ſtylos ferreos hoc eſt, *graphia* armari ſuo ferro, cum non ipſum *graphium* eleganter armari dicatur ſemetipſo, ſed id quod *graphium* continet venuſtiſſime ſuis telis armatum eſſe dicatur. A Tranquillo repoſitoria graphiorum *thecæ graphiariæ* appellantur.

Illud quoq; diſtichon:

Non ſum talorum numero par teſſera:

non ſatis erudite, qui eruditionis nomine plurimum gloriantur, enarraverunt, non enim Poeta eo in loco loquitur de numero punctorum, tanquam in talo plura, in teſſera ſint pauciora. Sed de numero talorum & teſſerarum, quo in alea veteres utebantur. Nam cum tribus teſſerulis luderent, ſicut etiam hac tempeſtate in foro aleatorio ludere conſueverunt, talos quatuor jaciebant in

lu-

ludo talario, id quod ex Ciceronis lectione obſervavimus, ita ſcribentis in primo de divinatione: *Quatuor tali jacti caſu veneream efficiunt*, *nam etiam centum venereos ſi quadringenta talos jecerit*, *caſu futuros putas*, idem alibi ait: *dixiſti multa de caſu*. *Vas venereum eſt ab* Horatio, *venus* dicitur eo verſu: *quem venus arbitrum dicet bibendi*, & dixit Auguſtus: *Qui venerem jecerat tollebat univerſos nummos*. *Teſſera* Græce *cubus* nominatur ſic ut Græci *talum aſtragalum* dixerunt, quamvis *aſtragalus* in alia quoq; ſignificatione accipiatur, ſicut apud Homerum, qui ſcribit in 10. Odyſſeæ: Elpenota lapſu ſcalarum exanimatum eſſe, cum fregiſſet *aſtragalon*, hoc eſt *ipſam jugali conjuncturam*. Polycietus auctore Plinio lib. 34. fecit talis pueros ludentes, qui vocantur *aſtragalizontes*. Celebratur illud Lyſandri Spartani apud Græcos ſcriptores apogthegma: *Viros fallendos eſſe jurejurando*, *pueros vero aſtragalis*. Sed de talis & Venere dictum a nobis quoq; eſt in commentariis Propertii ſatis copioſe.

In quibuſdam Plinianis annotationibus, quas pene puer edidi *Ceretanas pernas* a Martiale nominari ſcripſi, non propter *Ceritres Hetruriæ* populos, ſicut tradi ſolet. Sed propter *Ceretanos*: quos Plinius & Strabo in Hiſpania eſſe dixerunt, a quibus multifariam pernæ condiuntur, Cantabricis per quam ſimiles proventum, non mediocrem hominibus exhibentes, apud quos vina quoq; generoſa naſcebantur, de quibus dixit idem Martialis.

Ceretana nepos ponat ſetina putabis.

De quo genere vini loquitur Plinius 14. quem locum mendoſum ita emendavimus, nam quum in omnibus paſſim codicibus legeretur *Cetera no* inter Gallias conſiſtit auctoritas, nos emendavimus *Ceretano*, & ita *Ceretanas pernas & vina Ceretana* nominari ſcito a Martiale, non ab *Hetruſcis Ceretibus* ſed ab Hiſpanis *Ceretanis*.

Apud Juvenalem in Satyra: Quis neſcit, Voluſi verſus eſt, qui tamquam facilis & manifeſtus ab enarratoribus præteriri ſolet, in quo tamen ſenſus eſt arcanus ex priſca Romanorum conſuetudine traductus. Verba poetæ hæc ſunt:

Vel terra clauditur infans, (a)
Et minor igne rogi.

Enimvero nemo eſt qui exiſtimet huic loco ullum ſenſum occultiorem ſubeſſe, cum tamen ſubſit: namq; unica Plinii ſententia hunc locum declarari obſervavimus, qui ſcribit in ſeptimo naturalis hiſtoriæ *morem gentium non eſſe hominem priuſquam genito dente cremari*. Ex quibus verbis hoc Satyrici poetæ dictum interpretamur, quod natura jubente gemimus, quum infans humatur, qui nondum genito dente cremari non meruit, & ob hoc *minor igne rogi* eleganter nuncupatur, quia ſcilicet nondum ad id pervenit ætatis, quæ rogali flamma comburi poſſit, *ideoque minor igne rogi eſt*, non ut quidam autumnat, quod flamma crematus in cineres diminutus redigatur. Et hoc poeta furtim innuiſſe videtur, cum dixit: *vel terra clauditur infans*: quomodo ſcilicet infantes humabantur, hoc eſt, humo contegebantur, nec eorum cadavera, ſicuti virorum cremabantur. Scribit Planciades; quod huic loco convenit *ſuggrundaria* dicta fuiſſe antiquitus ſepulcra infantium, qui nec dum 40. dies complevissent, quum nec buſta dici potuerint, quia oſſa quæ combu-

reren-

(a) Suggrundarium memorans penes eumdem Planciadem *Rutilius Geminus aſtianacte ait*: *Melius ſuggrundarium miſero quæreres*, *quam ſepulcrum*. Plura vid. apud Bart. adv. xl. 21. xxiv. Barthol. de Puerper. p. 166. Græv. antiquit. Rom. Theſau. Tom. xii. pag. 1003., cum pleriſq; aliis Rom. monum. petitis.

Hor-

verentur non erant, nec tanta magnitudo cadaveris, quæ loco tumeſceret. Sed in his & id genus aliis, opus eſt judicio, quo nil in omni doctrinarum genere præſtantius eſt, cui primas, ſecundas, & tertias in ſtudiis literarum merito conceſſerim, id quod Demoſthenes in eloquentia pronuntiationi tribuebat.

Illud in prima Satyra:

Criminibus debent hortos: (b)

non id ſignificat, quod vulgo dici ſolet, ſed hoc, homines qui virtute divites efficiuntur, debent eas divitias virtuti, qui vero per flagitia & crimina fiunt opulenti, illi criminibus debent illas opulentias. Juvenalis igitur ſignificare volens virtutem Romæ fuiſſe contemtibilem, per ſcelera vero divitias parari, adeo ut mali divitiores eſſent bonis, ait *criminib. debent hortos*: hoc eſt, hi, qui habent hortos exculptos, magnifica prætoria, menſas citreas, & id genus bona luculenta debent criminibus, quia ſunt illa per fraudes & crimina aſſequuti. Qui *criminibus* exponunt pro *hominibus crimino ſis*, elegantiam eloquutionis non adamuſſim penſitarunt. Talis eſt loquutio apud Lucanum, apud quem ita ait in quinto Cæſar ad Amiclam nautam:

Non ultra cuncta carina Debebis:

Et alibi a Juvenale dictum eſt:

Præter honores,

Quos illis damus ac dedimus, quibus omnia debes.

Translatio eſt ſumta a debitore, qui debet creditori pecuniam, quam ab illo mutuo accepit. Scribit Cornelius Tacitus, Tigillinum vitiis adeptum eſſe præmia virtutum, ergo Tigillinus vitiis debebat præfecturam vigilum, & prætorii, aliaq; ornamenta quæ vitiis erat conſequutus. Apud eundem in ſatyra. *Et ſpes & ratio.* Verſus hic eſt:

Qui venit ad dubium grandi cum codice nomen.

Cujus hanc ego arbitror eſſe ſententiam, ut dicat poeta. Cauſſidicos magna ſonare, quum a debitore, qui acrior eſt creditore, conducuntur, qui quidem debitor venit ad debitum dubioſum diluendum, cum codice ſcilicet accepti & expenſi, & ita nomen hoc in loco pro debito accipimus. Sicuti apud Horatium.

Cautos nominibus certis expendere nummos.

Et alibi *Nomina ſectatur modo ſumta veſte virili*

Sub

(b) Horti apud Romanos initio modici, ut ille Tarquinii ſuperbi in Eſquiliis, in quo capita eminentium papaverum decuſſit, cultiores deinde ſumptuoſiſſimi, & celeberrimi fuerunt, inde ait Plinius XIX. 4. *In duodecim Romanorum legum tabulis nuſquam nominatur villa, ſemper in ea ſignificatione hortus, in horto vero hæredium*; cœterarum Gentium Romani ſuperſtitioſiſſimi, hortos, ſive, quod Varr. de Ruſt. I. I., Feſto, Plinioq; placet, *Veneri* dicarunt, ſive, quod plurimis probatur magni nominis viris, ſacros *Priapo* eſſe conſtituerunt: Colum. X. 26.

. . . . *Sed truncum forte dolatum*
Arboris antiquæ numen venerare Ithyphalli
Terribilis membri, medio qui ſemper in horto,
Inguinibus puero, prædoni falce minetur.

Generationis cauſſa hortis illum præficientes, quod nihil hortis ſit fæcundius. In illos ad ſe reficiendum voluptuariis domibus extructis heri ſecedebant, advenis qui ad illos invitabantur hoſpitium præbentes, illorumq; cuſtodiæ ſervi præerant tam in urbana, quam in ruſtica familia, cujus rei meminit vetus inſcriptio apud Pignor. de ſerv. p 469.

D. M.
FELICI. CÆS. SER.
VILLICO. HORTORUM.
MAJANORUM.

Ti-

Sub patribus durit tyrounm.

Nomina dicuntur tituli debitorum (*c*) præſertim in his debitis, in quibus hominum *nomina* ſcripta ſunt, quibus pecuniæ commodatæ ſunt, & ita *nomina* debita, vel debitores ſignificare docet Aſconius. Apud Juriſconſultos *nomina* ſæpiſſime leges pro debitis, debitoribuſque uſurpari. Fœnerator Alphius, ut innuit luculente Columella, dicere ſolebat *bona nomina interdum fieri mola, ſi nunquom interpelles*. & Ci. in oratione pro Roſcio eodem modo in eodem ſignificatu *nomina* accepit, ſic ſcribens *non refert parva nomina in codices, imo amnes ſummas*. Idem in epiſtola quadam ad Atticum, *profecti* inquit *ut Salominii totum nomen perſolverent*. *Codicem* vero non pro *volumine legum* in hoc ſatyrici poetæ loco dictum eſſe exiſtimare debemus, ſed pro tabulis in quib. accepti & expenſi rationes perſcribuntur, de quo ita loquitur Cicero; *Quomodo ſeſtertia 353. in codice accepti & expenſi non ſunt?* Idem alibi ait: *utrum cetera nomina in codicem accepti & expenſi geſta habes an non?* Debitor igitur qui in jus vocatur a creditore, venit cum grandi codice, in quo accepta & expenſa perſcripta ſunt, ad nomen, hoc eſt, debitum explicandum, quod dubium & incertum erat. Illud quoq; quod paullo poſt ſubſequitur in eadem ſatyra, ita paſſim legitur:

Parte alia ſolum rus ſati pone lacertæ;

ego exiſtimo legendum eſſe *rus Siſapone lacertæ*, & ita in vetuſto codice ſcriptum deprehendi. Eſt autem *Siſapo* locus in Hiſpania, ubi minium celeberr. naſcebatur, quam docet Plinius lib. 33. laudans *miniaria Siſaponenſia*: verba Plin. hæc ſunt: *Celeberrimum minium ex Siſaponenſi regione Betyce miniario metallo vectigalib. populi Rom. nullius rei diligentiore cuſtodia*. Idem alibi ait, *Siſaponenſib. miniariis ſuæ venæ arena ſine argento excoquitur*, ſenſus poetæ eſt: rus exiguum non in Italia ſed in provincia & ea quidem longinqua, hoc eſt, regione *Siſaponenſi* tantundem valere, quantum patrimonia centum Cauſſidicorum, ex quo colligimus Juvenalem demonſtrare voluiſſe, cauſſidicos Romæ tenuiſſimum queſticulum, lucellumq; ſuis feciſſe temporibus.

Apud eundem verſus eſt hic cunctis in ore:

Translatus ſubito ad Marſos menſamq; Sabellam.

Quem verſum ex aperto obſcurum, ex explicato implicatiſſimum (ut mihi videtur) commentatores efficiunt, hiſtoriam de Curio dentato ſignificari exiſtimantes, quum poetæ ſenſus ſit ſimplex, nec ad ullam hiſtoriam referendus, qui ad hunc maxime modum enarrandus eſt: Romæ pudet homines cœnare fictilibus, qui ſi repente ad Marſos, aut ad Sabellos transferantur, minime hoc ſibi eſſe turpe exiſtimabunt, quoniam ſcil. Romæ delicatius, apud Marſos & Sabellos frugalius vivitur atq; ruſticius. (*d*) Et ita vulgo loqui conſue-

(c) Tituli debitorum vocari *nomina* conſuevere, quod Kalendariis ſolerent eorum, quibus pecuniæ credebantur *nomina* perſcribi. Briſſon. de Form. p. 538., inde apud Phœdr. 1. 16. 1.

Fraudator nomen, quum locet ſponſo improbo,

nomen locare debitor dicitur, ſi apud alium in tabulis eſſe *nomen* ſuum patiatur, *nomen* vero *expedire*, atque *expungere* creditur, quum debitum ſolvit. Plaut. Ciſt. 1. 3. 40.

Nunc quod reliquum eſt volo perſolvere;

Ut expungatur nomen, ne quid debeam.

(d) Frugalibus menſis Marſos, ac Sabellos uſos fuiſſe dicendum videtur, quod vel inopia laborarent, vel durius bello forent aſſueti: Hinc Virgil. Georg. II. 167.

Hæc genus acre virum marſos, pubemque ſabellam

Extulit.

utriuſ-

ſuevimus, ut dicamus puſere nos uti vaſis fictilib. in urbe, quibus ruri uteremur, nulli turpitudini & probro eſſemus obnoxii. Quæ de Curio dicuntur nec apud hiſtoricos leguntur, nec huic loco ſunt accommodata. Multa ſunt apud eundem, non difficili ſed ſubtili enodanda interpretatione. Sicut illud:

Prædo coballorum prætor ſedet,

ubi ſatyrice & urbane prætorem, qui præſidet ludis exhibendis *caballarum prædonem* appellat, propterea quod palma præmioq; fraudat meritos equos, & non ex æquo, ſed ex animi libidine hunc & illum judicat eſſe victorem, qui minime bravium meruerunt, unde prædo quaſi ſpoliator ipſorum equorum, quibus non dat meritos honores eleganter appellatur.

Illud quoq;:

Mittentur braccæ, cultelli, fræna, flogellum,

non ita exponere conſuevimus, tanquam dicat hæc munuſcula puerilia mitti ei, qui Romæ factus ſit impudicus & effœminatus, ſed potius exiſtimavimus ſenſum eſſe contrarium, qui unico illo verbo *mittentur*, totus continetur: Namq; ſignificare volens commercio Romanorum peregrinos adoleſcentulos contaminari, ait illos Romæ corruptos effœminatosq; factos, & amatoribus indulgentes omiſſuros eſſe patrium habitum, & ſuæ regionis exercitationes, & ita *mittentur*, exponemus, pro *omittentur*, ſicut apud eruditos ſæpiſſime uſurpari ſolet: & hic erit ſenſus omittentur & relinquentur *braccæ*, hoc eſt, veſtimenta quib. utuntur in patria, & *cultelli*, *fræna*, *flagellum*, hoc eſt, ſtudia exercendorum equorum, & virilis diſciplina dediſcetur & pro moribus patriis, atq; virilibus inſtitutis in patriam Romanos mores reportabunt, qui ſunt perditiſſimi & profligatiſſimi.

Illius quoq; in præſentia verſus in mentem venit:

Turgida nec prodeſt in pyxide condita Lyde:

quo verſu exiſtimo ſignificatur fœmina nomine *Lyde*: quæ medicamenta geſtabat in pyxidibus inſtar pharmacopolarum, eaq; venditabat matronis ſterilibus tanquam accommodata ad fœcunditatem juvandam, *Turgida* eleganti epitheto cognominatur, quaſi corpulenta & ventricoſa. Sicut Plauto nuncupatur *doliaris Clauda*, *craſſa*, a Terentio *Cantara ſuffarcinata*, a Perſio *Pannutia Baucis*: ab Horatio *Pyrrha vinoſa*, hæc n. epitheta anibus & vetulis ſunt accommodata, ut inquit Donatus. *Conditam pyxidem* vocat medicamentis refertam, quæ dictio a *condio*, non a *condo* deducitur, idemq; pronunciandum eſt, media ſyllaba producta, & ita verſus legendus.

Turgida nec prodeſt condita pyxide lyde;

ubi *condita* ſeptimus eſt caſus, & cum *pyxide* copulatur. Ego nuperrime verſum iſtum ita ſcriptum legi in vetuſtiſſimo codice, & olim Angelus Politianus latine græceq; doctiſſimus mihi retulit, ſe ita locum iſtum in ſinceræ fidei libro ſcriptum animadvertiſſe. Quæ de aranea dici ſolent, neq; traduntur ab auctoribus idoneis, neq; conveniunt, & nimis affectate ne dicam ſubabſurde *turgyda lyde* pro *aranea* diceretur, cum neq; epitheton conveniat, & nomen ſit remotiſſimum.

Illud quoq; prætereundum non eſt, quod ab eodem dictum eſt, & perquam docte & perquam eleganter.

Occultum reteges ut curia Matris areuit:

ſignat n. quaſi tranſeunter morem Areopagitarum, qui taciturni judicia peragebant, id quod obſervavimus ex Macrobii lectione, cujus verba ſunt hæc ex il-

utriuſq; populi prælia adverſus Romanos enarrant Livius, ac Plinius atq; hic poſtremus a Marſis populo Romano acerbiſſimum bellum illatum eſſe, ac fere funeſtius, quam civile commemorat.

Digitized by Google

libro noviſſimo Saturnalium: *Nam ſicut apud Atebnas Areopagitæ tecentes judicant, ita inter epulas oportet ſuperſileri*: Ad hoc aliudens Juvenalis dixit: *Arcanum eſſe acculendum & tegendum*, ſicuti cum ſilentio occuluntur & teguntur judicia Areopagitarum.

Apud Papinium Statium hendecaſyllabon eſt multijugæ eruditionis refertiſſimum, in quo illud in primis indiget interpretationis:

Nunquam turbine conditus ruenti
Prunorum globus atq; cottanorum:

quem locum, ut pleraq; alia (quod arroganter minime dictum vellm) nos primi enodavimus. Voluit enim Poeta ingenioſus quodam verborum involucro, circumſcribere vaſculi illius formam, quo pruna, & cottana inter ſaturnalitia xeniola miſſitabantur; (*e*) nam *turbinis* recti figura (ut docente Plinio didicimus) *metæ contraria eſt*, quæ cum ab imo lata in acutum cacumen faſtigietur, e contrario *turbinis* effigies in imo eſt anguſtiſſima, in ſummo latiſſima, qualis eſt figura pyrorum, *cottana* autem quæ ſunt genera ficorum mittebantur in vaſculis, quorum forma inſtar *metæ* eſt, quod indicat diſtichon illud Martialis:

Hæc tibi quæ tota venerunt condita meta,
Si majora forent cattana ficus erat.

Ubi *torta meta* ſignificat receptaculum *cotanorum*, ad effigiem *metæ* figuratum: Neq; *menta* legendum eſt ſicuti pleriq; omnes legere conſueverunt. Papinius ergo volens oſtendere potuiſſe ſibi pro munuſculo ſaturnalitio ab amico mitti globum cotanorum prunorumq; conditum in vaſculo ad inſtar metæ figurato, non *metam* aperte nominavit, ut Martialis, ſed *turbinem ruentem* pro *meta* intelligi voluit, quod ſub obſcure quidem, ſed eleganter & venuſte nimis dictum eſt. Nam cum *turbo* rectus contrarius ſit *metæ*, *turbo ruens* proculdubio erit *metæ* ſimillimus. Scribit Plinius in ſecundo, quod in primis noſtræ ſententiæ adſtipulatur: *figuram umbræ terræ ſimilem eſſe metæ ac turbini inverſa, quando mucrone tantum ingruat*. Et ita Martialis atq; Papinius, utpote ſyncroni alter aperte alter per circuitum verborum loquentes, idem tamen dicunt. Econtrario Columella ſignificare volens figuram *turbinis recti* dixit in 10. *Succus inverſa metæ ſimilis*, qualis eſt quo vinum liquatur. Quæ dicuntur a commentatoribus de *turbine ruenti* plane ruunt, & ab opinione Poetæ dilabuntur. Sicut in eadem Sylva illud non ſatis penſiculate edifſertum eſt:

Chartæ Thebaicæve, Corycæve,

autumant enim *Thebaicas* epitheton eſſe chartarum & pro Ægyptiacis exponunt. Ego opinor a Papinio trium rerum in eo verſiculo fieri mentionem, videlicet *chartarum & carycarum* quæ duo nota ſunt & *Thebaicarum* quod ignotius eſt. Sunt autem Thebaicæ generoſiores palmæ. Plinius in quinto decimo: *Cruſta Thebaicæ placent, ſucco uua & caryca*. Idem in 23. *ſuccum* de-

(e) *Cottanorum* nec non *Prunorum* globum in vaſculo ad inſtar *metæ*, ſeu *turbinis ruentis* figurato ab amico ſibi dono miſſum ſaturnalium tempore teſtatur idem Martialis; utraq; enim hæc, ut munera ſaturnalitia jungit VII.XLI. 1.

Omnia miſiſti mihi ſaturnalibus, Umber
Munera, contulerant quæ tibi quinq; dies.
Biſſenos triplices, & dentiſcalpia ſeptem:
His comes acceſſit ſpongia, mappa, calix.
Semodiuſque fabæ cum vimine Picenarum,
Et laletanæ nigra lagena ſapæ.
Parvaque cum canis venerunt cottana prunis
Et lybicæ fici pondere teſta gravis.

Digitized by Google

decoctarum antiqui pro hydromelite dabant ægris ad vires reparandas, ſitim ſedandam, in quem uſum præferebant Thebaicas: Ab eodem alibi *Thebaides* numinantur, qui 13. de palmis ſcribens inquit: *in totam arentes Thecaides*, & alibi: *Thebaidis fructus in cados conditur*. Præterea ſtructura ipſa textuſq; verborum in hendecaſyllabo Papinii inſinuare videtur, non eſſe *Thebaicæ* pro adjectivo accipiendum, ſed pro ſubſtantivo. Huc adde quod inter munuſcula ſaturnalitia palmæ in primis mittebantur, id quod epigrammatarii Poetæ verſibus notum eſt, & Ovidii teſtimonio ita ſcribentis:

Quid vult palma ſibi rugaſaq; caryca dixi.

Itaq; cum in tota Papinii ſylva pleraq; omnia ennumeretur, quæ in ſaturnalibus ultro citroq; mitti ſolita erant, neq; uſque *dactyli* aut *caryotides* qui ſunt palmarum fructus nominentur, proculdubio nomine *Thebaicarum* palmas ſignificaſſe contenderim. Plura tamen ad hoc aſſerendum dicere ſuperſedeo, quum evidens ſit, & quid ab interpretib. dicatur, & quid a nobis, utrum ergo videbitur cuiq; probabilius, eo utatur. (*f*) Illud vero haudquaquam oculis conniventibus eſt tranſeundum, quod in eadem ſylva *cocbleas* pro teſtudinibus interpretantur, ubi hominum alioquin eruditorum deſidero diligentiam, non animadvertentium *cocbleas* eo in loco nequaquam poſſe accipi pro teſtudine, etiam ſi *cocblearum* nomine teſtudines ſignificarentur: Nam quum Poeta amicum ſordidæ avaritiæ criminari vellet, utpote nulla munuſcula remittentem, reſpondit nec ea quidem, quæ viliſſima ſunt, & nullo pretio cenſentur, ſibi miſiſſe, qualia ſunt ova, pilea, lardum, perna, lucanica, & id genus multa, inter quæ *cocbleas* quoq; enumerat, quod parvo conſtant, quæ a clientibus ad patronos mittebantur, unde ait Martialis ſaturnalitia munuſcula recenſens:

Cum bulbis cocbleiſq; caſeoſq;.

Teſtudo vero *teſtudiniſq; putamina* erant in magna æſtimatione, & ſolis uſurpata divitibus, quæ (*g*) a luxurioſis in mari quærebantur, quæ ſecabantur in laminas & his lectos & repoſitoria veſtiebant, ſicuti docet Plin. in 9. & in 16. cujus verba hæc ſunt: *Placuit materiem in mare quari, teſtudo in hoc ſecta nuperq; portentoſis ingeniis, principatu Neronis inventum, ut pigmentis perderet ſe, pluriſque veniret imitata lignum, ſic lecti pretio quæruntur, ita lignum, ami teſtudinem facit*. Hactenus Plinius, inde ſcriptum eſt a Juriſconſulto Digeſtis de ſupellectile legata, nunc ex ebora & *teſtudine* ſupellectile utuntur. Hæc eſt illa luxuries quam ſatyrice Juvenalis inceſſit his verſibus:

Qualis in Oceani fluctu teſtudo nataret
Clarum Trojugenis factura & nobile fulcrum.

Idam

(*f*) *Thebaicas*, ut ſuperius eottana, junctas carycis pro ſaturnalitio dono mittebant amicis veteres Romani, felicem auſpicantes annum, quod ſignificavit Ovidius in Faſtis 1. 185.
Quid vult palma ſibi, rugoſaq; caryca, dixi,
Et data ſub niveo candida mella favo?
Omen ait cauſſa eſt, ut res ſapor ille Sequatur,
Et peragat ceptum dulcis ut annus iter.
ac mirum fortaſſis nonnullum ex Interpretibus *Thebaicas* in alium ſenſum a *palmis* detorquere, quum pro ſubſtantivo, quod *palmam* innuit, Plinius, cœteriq; priſcæ ætatis auctores uſurpent.

(g) Teſtudine in laminas ſecta lectos non tantum, verum etiam menſas Rom. ornaſſe notans idem Plin. quo potiſſimum auctore & tempore Romam ab Oriente delatus ejuſmodi luxus uſurpari cœperit, pro-

Idem alibi ſupellectilem nobilem ſignans, ait: *atque ebore & lata teſtudine*, & a Martiale dictum eſt, *teſtudinem exaclieon*, ut opinor, a luxurioſo putamine, ex quo conficiebantur. Quicquid igitur in hoc loco referunt enarratores de teſtudine mecum facit & adverſus ipſos reclamitat, quum poeta illic vilia tamummodo munuſcula nominet, qualia ſibi conveniebant. *Teſtudines* autem inter pretioſa munera antiquitus enumerabantur. Dum vero ait: *Cynephoeit rigata campis*, *cochlear* a regione laudavit, intelligens Africanas laudantur Aſtypaleſcæ cochleæ, & Siculæ, & ex inſulis Campearum auctor Plinius in 30. naturalis hiſtoriæ. In eodem hendecaſyllabo error eſt non magnæ rei manifeſtus. Quem errorem eſſe, poterit agnoſcere non aliquis eruditorum, ſed qui tantummodo rationem metricam calluerit, ita enim legunt hunc verſum commentatores:

Quantum vel dare cereas arentes,

ex qua lectione phalæucius aperte claudicans efficitur in penultimo pede, quocirca emendandum ita eſt, ſicut etiam in bonis codicibus ſcriptum legimus:

Quantum vel dare cereos olentes:

quod epitheton *cereis* accommodatiſſimum eſt, & nulla efficitur phalæucii carminis prævaricatio.

Apud eundem tertio ſylvarum, ſylva eſt plena eruditionis & indigna interpretationis, in cujus enarratione interpretes eruditis auribus non ſatisfaciunt, & in eo potiſſimum loco, ubi de Nilotico incremento loquens inquit:

Cur vada deſidant & ripa coerceat undas
Cecropio ſtagnata luto.

Quem locum omiſſis aliorum interpretamentis, ita enarrabimus prout a Franciſco Puteolano præceptore noſtro viro eruditiſſimo didicimus, qui primus ut arbitror hunc nodum enodavit, qui Bononiæ literas literatas profeſſus eſt exploſis trivialibus nugatoriiſq; grammariſtarum præſtigiis, quæ melius eſt non didiciſſe. Igitur quod & ingenio maximo & doctrina non mediocri præditus, & in rebus dijudicandis dubiis excelluit, ita verſum Papini enarrare ſolebat, ut diceret id ſignificari a poeta, quod ſcribit Plinius in 10. qui loquens de nidificantibus avibus, luculentiſſime refert: *Quemadmodum hirundines in Ægypti Heracleotico oſtio molem continuatione nidorum evaganti Nilo inexpugnabilem opponunt, ſtadii fere unius ſpatio, quod humana opere perfici non poſſet. In eadem Ægypto juxta oppidum Copton inſula eſt ſacra deæ Iſidi, quam ne laceret idem Nilus hirundines muniunt opere incipientibus vernis diebus, palea & ſtramento roſtro firmantes.* Ex his Plinii verbis planum fit, ut dicere ſolebat præceptor meus, cur a Papinio dicatur, quod *ripa Nilotica undas coerceat, ſtagnata luto Cecropio*, hoc eſt, munita nidis hirundinum luteis, quæ propter fabulam notiſſimam *Cecropia & Attides* cognominantur. Illa itaq; continuatio nidorum, qui ex luto contexti ſunt in ripa, evagantem Nilum coercet, per unius ſtadii longitudinem, id enim ſpatium occupant nidi hirundinini. Subſequitur in eodem Papinii verſu:

Cur invida Memphis.

Cauſſa quæri ſolet invidiæ Memphiticæ? Commentatores neſcio quid de Api memorant minime conſentaneum. Invida nuncupari videtur, propterea quod ſa-

---

cuidubio innuit l. ix. 11. *Teſtudinum putamina ſecare in laminas, lectoſque, & repoſitoria his veſtire, Carbilius Pollio inſtituit, prodigi, & ſagacis ad luxuriæ inſtrumenta ingenii.* Plura eruditi videant apud Dempſter. Paralip. ad Roſin. antiq. l. 26. Voſſ. de Idolol. c. v. 48. Blond. Triumph. Rom. l. x. p. 184. ac ſeqq.

Ægy-

ſacerdotes Memphitici, qui philoſophiæ & Aſtronomiæ dediti erant in rerum ſcientia cœleſtium cerimoniiſq; myſticis præcellebant, (*b*) fuerunt incommunicabiles, nec dogmata diſciplinaſq; aliis commonſtrabant, imo plurima occultabant, Auctor Strabo libro ultimo Geographiæ. Præterea libri ſacerdotum Ægyptiacorum litteris ignobilibus erant prænotati, ut a curioſitate profanorum muniti eſſent, ſicuti docet Apulejus libro ultimo de aſino aureo, qui & ipſe initiatus cerimoniis Iſiacis, annunciare non vult ſacrorum arcana ad intelligentias profanorum: Ob hoc dicta eſt, ut opinor a Papinio *invida Memphis*, quoniam ſcilicet Ægyptiaci ſacerdotes, tanquam invidentia & livore agitati, nollint communicare cum externis ſuas cerimonias diſciplinaſq; ſacrorum, quamvis alioquin exorati nonnullos Græcorum viros in philoſophia præſtantes docuiſſe ferantur, ſicuti Pythagoram, Eudoxum, atq; Platonem.

In epigrammatis Catullianis, carmen eſt in Cæſarem, quo vetus proverbium exprimitur, ſi probe legatur quam plerique viri alioquin eruditi ſic legunt:

Nec ſi orem utrum ſit ſalvus an alter homo:

Nos vero ita legendum eſſe affirmamus, ut in probatiſſimis codicib. legimus: *Albus an ater homo*: Per quæ verba proverbialiter ſignificat Catullus, ſe nihil facere, utrum Cæſar bonus ſit, an malus, nam *albus* bonus & liberalis, *ater* malus & ſordidus ſignificatur, ſicuti interpretatur Porphyrio apud Horatium, qui & ipſe in ſecundo epiſt. uſus eſt hac proverbiali elocutione illo verſu:

Mortalis in unum
Quodq; caput vultu mutabilis albus & ater.

Et hæc eſt illa Catulliana mordacitas quam ſignavit ſubobſcure Quintilianus in 11. cujus verba ſubjeci: *Negat ſe magni facere aliquis poetarum utrum Cæſar ſit ater, an albus homo, inſania verte, ut id Cæſar de illo dixerit, arrogantia eſt.* Ex his Quintiliani verbis colligimus hoc dictum fuiſſe a poeta Catullo in Cæſarem, iſto verſiculo, & ita legendum: *albus, an ater homo*, quod proverbiale dictum apud eruditos frequens eſt, ſicut apud Apulejum, qui ita ſcribit in Apologia: *etiam libenter te nuper uſque albus an ater eſſes ignoravi, adhuc hercle non ſatis novi*. Et apud divum Hieronymum, qui non minus diligenter Ethnicorum libros lectitavit, quam eccleſiaſticis dogmatibus incubuit, ſcriptum legimus in libro contra Helvidium *Quare balbutis & erubeſcis*, *albus*, ut ajunt, *aterne ſis? neſcio.*

Quare balbutis, & erubeſcis?
Albus ut ajunt, ater ne ſis neſcio.

In ejuſdem poetæ hendecaſyllabo, hi duo verſiculi lectitantur;

Non eſt ſana puella, nec rogare,
Qualis ſit ſolet hæc imaginoſum.

Quibus venuſte & feſtiviter poeta ſignificat, puellam utpote ſanæ mentis minime compotem, nuſquam ſpeculum contemplari, ut ex ejus inſpectione cognoſcat, qualis ipſa ſit. *Specula* enim ob hoc inventa ſunt, ſicuti ſcribit Se-

(h) Ægiptiis divinarum cæremoniarum, ac religioſorum rituum copia, ex nonnullis origo, ultro refertur accepta in quibus ad ſuperſtitionem uſq; verſati fuerunt ex Bargæ. in Obeliſc. Theſaur. antiquit. Roman. Græv tom. 4. pag. 2917. cæterarum tamen diſciplinarum, *cognitione* videlicet *aſtrorum*, *ſolertiaq; ingeniorum* Aſſyrios Ægyptiis præſtitiſſe teſtis eſt Tull. lib. 1. de Divinatione, imo ex Joſepho lib. 7. antiquit. Judaic. ex Aſſyriis, Caldæiſq., ſive Abrahamo, ut pleriſq; libet, Philoſophicas, atq; ut vulgo ajunt, Mecanicas facultates didiciſſe, compertum eſt.

Ca-

Seneca libro primo quæſtionum: *ut homo ipſe ſe noſceret, deformis in ſpeculo, ut ſciret redimendum eſſe virtutibus, quicquid corpori deeſſet. Speculum* novo quidem ſed eleganti vocabulo, *imaginoſum* Catullus appellat ab imaginibus ſcilicet, quæ in ſpeculo numeroſe viſuntur. Unde quod *ſpecula* uno, imagines unius rei plures appareant, inde imaginare dicitur *ſpeculum*, quo verbo in hoc ſignificatu uſus eſt Gellius, ſic ſcribens in decimoquinto Noctium Atticarum: *Speculum in certo loco poſitum nihil imaginat, aliorſum tranſlatum facit imagines.* Illa igitur dicitur rogare *ſpeculum*, quæ illud conſulit, illud interrogat ſubinde ſpectaculo, qualis ſit, & utrum formoſa an deformis appareat. Verba autem Catulli ſic ordinantur, *non eſt ſana puella, nec ſolet hæc rogare imaginoſum*, hoc eſt, conſulere *ſpeculum*, qualis ſit utrum formoſitate conſpicua, an deformitate monſtrabilis. Apud eundem errorem leviculæ rei, quem cognoſcere poſſit quis, qui modo regulas metricas percalluerit: namq; in hendecaſyllabo claudicat ille verſus claudiritone ſecundi pedis, manifeſtaria:

Cinna eſt gravis, is ſibi paravit.

Igitur legendum:

Cinna eſt Cajus is ſibi paravit.

Et intelligendum *de Cinna*, cujus præco erat Cajus: Et ita ſodalis Catulli ſignificatur, qui dicebatur *Cajus Cinna*. Quod autem *Cajus* dictio triſyllaba ſit, & faciat dactylum, etiam pueri ſciunt, & docet illud Martialis carmen:

Non majus quam ter Cajus eſſe tuus.

Apud Tibullum, quæri ſolet ſuper eo verſu:

Etiam Phœbo gratiſſima dona,
Cres tulit.

Quiſnam intelligendus ille *Cres ſit*, qui Phœbo gratiſſima dona dicaverit, nos unico Auſonii verſiculo diligentiſſime penſitato indubitanter de *Dædala* dictum eſſe affirmamus, qui ut carminibus poetarum notum eſt, & potiſſimum Virgilii, remiſſum alarum Phœbo Cumano conſecravit. Sed non pauci reclamant aſſerentes, Dædalum Athenienſem fuiſſe non Cretenſem. Nos vero inficiamur, eum Atticum fuiſſe, id quod hiſtorici & Diodorus in v. teſtantur. Sed *Cretem* dicimus a Tibullo nominari, quia *Cretæ* vixit, *Cretæ* floruit, *Cretæ* architecturam in primis exercuit, labyrintho illo memoratiſſimo exædificato, unde & *Cres* dictus eſt ab Auſonio, Cujus auctoritate fulti hunc locum Tibulli ad Dædalum referri debere aſſeveramus. Verſus Auſonii hic eſt in monaſyllabis:

Præpetibus pennis ſuper aera vectus homo Cres.

Apud Lucanum in tertio Pharſaliæ, verſus eſt, quem nos primi ſicut multa alia enodavimus: quod tamen ſine arrogantia dictum ſit. Lucani verſum ſubjecimus, ut facilius noſtra interpretatio, qualis ſit percipiatur:

Pontus & Herculeis aufertur gloria metis.

Qui hactenus Lucanum profeſſi ſunt, ſic expoſueruut, ut dicerent, ita ab Alexandro Magno poſitas fuiſſe in Ponto Euxino aras, pro metis terminiſq; expeditionum, ſicuti ab Hercule in mari Gaditano columnæ poſitæ fuiſſe feruntur, nec quiſquam eſt, qui non exiſtimet hoc a Lucano ſignificari, & hanc ſententiam optime quadrare. Sed profecto longe aliud eſt, quam quod opinantur. Voluit enim, Lucanus illorum ſcriptorum opinionem ſignificare, qui maria omnia interiora naſci exiſtimaverunt non a freto Gaditano, ſicuti pleriq; omnes affirmant, ſed a Ponto Euxino. Cujus opinionis haud improbabile argumentum eſt, quoniam æſtus ſemper e Ponto profluens, nunquam reciprocatur ad eundem, ſicuti Solinus, & Plinius tradiderunt Senſus itaque Lucani hic erit: Pontum Euxinum auferre illam gloriam metis Herculeis, quæ ſcil. eſt vulgatiſſima: Herculem Abylam, quæ in Africa eſt, & Calpen, quæ in Hiſpania, junctos olim colles diremiſſe, atq; ita maria mediterranea admiſ-

ſa

ſa fuiſſe. Ideo autem *Pontus Euxinus* abeſſe dicitur hanc gloriam Herculi, quia maria omnia interiora illo capite naſcuntur, non a Gaditano freto, & ita hæc gloria admiſſi intra terras Oceani, erit Ponto Euxinio, non Herculi adſcribenda, quod expreſſius ſignificare volens Lucanus ſubjunxit:

Oceanumq; negat ſolos admittere Gades. (i)

Hanc unicam eſſe veramq; poetæ ſententiam, diligens & ſubtilis lector agnoſcet, ſi modo non ſit aure neq; hiſpidia neq; agreſti.

Idem ait in primo,

Menſaſque priores
Aſpernata fames,

quem locum grammaticaliter exponentes *menſas* pro *cibariis* interpretantur. Nos vero dicimus a poeta luxum Romanorum acerbe caſtigari, qui faſtiditis frugalitatis priſcæ moribus, menſas pretioſas, uſq; ab extrema Mauritania petebant, quæ *Citreæ* a ſcriptoribus cognominantur, quarum exiſtimationem auro æquiparat vel potius anteponit Epigrammaticus Poeta, qui de *menſa Citrea* loquens ait:

Accipe felices Atlantica munera ſilvas,
Aurea qui dederit dona minora dabit.

Hæ ſunt illæ menſæ, quas fœminæ viris contra margaritas referebant. Et olim Cethegus *menſam Citream* libris quatuordecim permutavit lati fundi taxatione, ſiquis prædia tanti mercari maluit: Unde a Plinio *harum menſarum inſania* feſtivo Epitheto dicta eſt, qui in 13. multa de *menſis Citreis* luculentiſſime præſcribit. De his intellexit Strabo, ſic ſcribens libro ultimo Geographiæ: *Mauritania arbores & multas & magnas habet, & omnia fert, & menſas ex uno integroq; ligna ac varias Romanis ſuppeditat, pedes menſarum citrearum eburneos facere eadem luxuria demonſtravit.* Unde ait Plinius in 12. *Jure luxuriæ eadem numinum ore ſpectabantur, & menſarum pedes:* Et idem ſæpe Martialis oſtendit. Et a Juvenalo eleganter dictum eſt de menſis Citreis, eburnicos pedes habentibus:

Latos niſi ſuſtinet orbes,
Grande ebur.

De menſis Citreis intellexit idem Lucanus in nono quum ait:

Extremo menſas epulaſq; petivimus orbe.

Et idem alibi *Citreas menſas* appellat periphraſticos *orbes ſectos Atlantide ſylva:* (k) Erant & *menſæ* antiquitus inter laudatas e *bruſca* nigreſcentes. Argentearum

(i) *Gades* antiquis *Gaditanus ſinus*, ſive *Herculeum fretum* a Calpe, auctore Plinio, 75M: paſſuum ſejuncta, hæc ætate inter tres Hiſpaniæ adjacentes, Inſula in capite Beticæ eſt ex Cluver. II. VII. III.; de illa ſermonem habet Claud. in laud. Stilic.

Secum cuncta trahens a Gadibus uſq; Britannam,

ac Martialis Gaditanos mores enarrat:

Et Gaditanis ludere docta modis,

ex Ortelio apud Baudrand in Lexic. Geographic. lit. G.

(k) Labentibus moribus citreæ menſæ apud Romanos uſurpatæ: Cicer. Verr. IV. 17. *Maximam & pulcherrimam menſam citream a L. Lucadia Diodoro, omnibus ſcientibus abſtuliſti:* Petron. de Mutat. Reip. n. 27.

Ecce Afris eruta terris
Citrea menſa.

Augebatq; ligni pretium nodus arboris infelicitate tortus, maculæq; ſumma in exiſtimatione a priſcis habitæ. Senec. de Benefic. VII. 9. *Rideo iſtis menſas, & æſtimatum lignum ſenatoris cenſu eo pretioſius, quo illud in plures nodos arboris infelicitas torſit.* Accedit Petronii auctoritas:

rum quoq; menſarum uſum apud Romanos bonis fortunæ luxuriantes frequens fuit. (*l*) Quales autem eſſent menſæ illæ priores, *quas famet delicatorum* (ut inquit Lucanus) *aſpernabatur*, docet Juvenalis his verſibus:

Illa domi natas noſtraq; ex arbore menſas
Tempora viderunt, hos lignum ſtabat in uſus.
Annoſam ſi forte nucem dejecerit Eurus.

Quæſtio eſt inter eruditos quam nam hiſtoriam ſignificaverit idem Lucanus his verſibus;

O fortunati fugiens, quos barbarus hoſtis,
Fontibus immixto ſtravit per rura veneno.

Multi multa commenti ſunt, ſed nullo idoneo auctore conſiſtentia. Nos exiſtimamus hos verſus ad Jubam, & Curionis milites eſſe referendos. Scribit enim Appianus lib. 2. bellorum civilium, quum Curio, qui Cæſarem in bello civili ſequutus eſt, ex Sicilia in Africam navigaſſet, Africanos quibus Juba imperitabat veneno aquas infeciſſe, quas quum biberent milites Curionis, repente ægrotare cœperunt, & quædam quaſi nebula illorum viſum obducebat, ſomno capiti invadente, mox vomitus, deinde ſpaſmus totum corpus affligebat, ex quo debilitatus eſt non modice, atq; vexatus omnis pene Curionis exercitus. Lucanus ergo hujuſce hiſtoriæ conſcius *barbarum hoſtem* appellat Jubam & illos Afros, qui fugientes adventantem Curionem veneno fontes letiferos atque aquas exitiales crediderunt. Non abſurde etiam referri hoc poſſet ad Jugurtham regem Numidarum, qui quum venturum Metellum Romanum Imperatorem, hoſteſq; Romanos adjuverat, pabulum & aquarum fontes corrumpebat, ſicuti docet Salluſtius in Jugurtha. In illo quoq; Lucani Poetæ verſu:

Treſq; petunt veram credi Salamina carinæ

exiſtimo ſubeſſe ſenſum occultiorem eruditioremq;, quam a grammaticis enarretur, qui talis eſt, Olim inter Athenienſes & Megarenſes de proprietate Salaminis inſulæ, uſque ad interitum armis dimicatum eſt, tandem poſt multas ultro citroq; illatas clades & acceptas, Lacedæmonii judices diſceptatores electi fuerunt, qui rem controverſioſam, hoc eſt, Salamina adjudicarent Athenienſibus, quo quidem in judicio Megarios ab Athenienſibus victos fuiſſe Homeri verſu traditum eſt, qui ſignificat Ajacem Salaminum naves ſuas Athenienſibus junxiſſe, quem verſum Solon ex induſtria tanquam ſubditicium inſeruiſſe fertur Homerico poemati, ut ipſius Poetæ teſtimonio comprobaret, inſulam Salamina Athenienſium a primordio fuiſſe: Verſus Homeri ſunt;

Bis ſenis Salamine Ajax cum navibus ibat
Cecropidum qua caſtra loca poſuere, phalanges.

Hæc a Plutarcho, Strabone, & Diogene Laertio traduntur. Meminit hujus quoq; exempli Quintilianus in v. docens auctoritatem Poetarum non eſſe repudiandam. Igitur Lucanus volens hiſtoriam hanc magis ſignare quam ſcribere, dixit, tres naves Salaminiorum remanſiſſe in Pyræo portu Athenienſium, quæ

Oſtrumq; revidens
Ponitur ac maculis imitatur vilibus aurum,
Quod cenſum trahat, hoc ſterile, ac male nobile lignum.

de quibus maculis Plinius ipſe ſermonem inſtituit XIII. 15. *Præcipua dos in venam criſpis, vel in vertices variis. Illud oblongo evenit diſcurſu, ideoq; tigrinum appellatur: hoc intorto, & ideo tales Pantherina. Sunt & undatim criſpæ, majore gratia, ſi pavonum caudæ oculos imitentur.*

(l) Argento, auroq;, ſive quacumque materia luxuriantes menſas penes Rom. in uſu fuiſſe teſtatur expreſſe l. *legata ſupellectilis* ff. de ſupel-

quæ docent, Salamina credendam eſſe veram & non ambiguam, hoc eſt, eſſe & antiquitus fuiſſe ſub ditione Imperioq; Athenienſium, non autem Megariorum. Qui non cutem Poetæ ſed ſanguinem quoq; ipſum ac medullam (ſicuti dici ſolet) introſpicere voluerit, is profecto cognoſcet hanc noſtram interpretationem poeticæ adamuſſim convenire ſententiæ.

Apud eundem in quinto Pharſaliæ ſcriptum eſt:

Nec cælo ſervare licet tonat augure ſurdo, (m)

Quo verſu plene ſignat poeta omnem augurum diſciplinam omnemq; ritum priſcorum in creandis magiſtratibus fuiſſe ſublatum, poſteaquam ad unum Cæſarem cuncta delata fuerint, qui dictator, qui conſul creatus eſt, prævaricato omni jure auſpiciorum. In commentariis enim augurum ſcriptum erat: *Jove tonante, fulgurante, comitia populi habere nefas*. Hoc ut Cicero autumat, reipub. cauſſa conſtitutum eſt, comitiorum enim non habendorum cauſſas eſſe voluerunt. Itaq; fulmen vitium ſolum eſt comitiorum: quod idem omnibus rebus optimum auſpicium habebatur, ſi ſiniſtrum fuiſſet. Quando igitur comitia Romæ habebatur, cauſſa magiſtratuum creandorum, ſolebant augures de cœlo ſervare, hoc eſt, diligenter inſpicere, ſi aut fulmen vidiſſent aut tonitrua audiviſſent; qua re per augures nunciata, illi magiſtratus vitio creati eſſe dicebantur, & ita ſe abdicare cogebantur, namq; vitium teſte Donato ſecundum augures eſt, ſi tonet tantum: vitium & calamitatis ſi tonet, & grandinet ſimul & fulminet. Inde vitioſi magiſtratus vitio creati dicuntur apud Hiſtoricos. Et hoc eſt quod ait Livius *expugnatum eſſe, ut vitioſus dictator per augures fieret*. Et alibi inquit, *Marcello conſulatum ineunte cum tonuiſſet, vocati augures vitio creatum videri pronunciaverunt*. Mendum eſt manifeſtarium in codicibus Livianis impreſſis, unius literæ immutatione, nam pro *tonuiſſet* impreſſum eſt paſſim *tenuiſſet*. Cicero in Antonianis *vitioſum conſulem* appellat, hoc eſt, vitio creatum, ex augurum diſciplina, qui nunciationem habebant, qua comitia auſpiciis vel impedire vel vitiare poſſent. Et proprie hæc *obnuntiatio* dicebatur. Et *obnuntiare* dicuntur augures, qui aliquid mali ominis ſævumq; viderint: *Obnuntiatio* enim quaſi mali ominis nuntiatio eſt, id quod etymologia verbi ſignificat. Inde apud ſcriptores idoneos identidem reperies mentionem fieri *obnuntiationis*, & hoc eſt, quod ſæpiſſime legimus apud Ciceronem: *Clodium tuliſſe legem, ne quis de cælo ſervaret, ne quis obnuntiaret*, propter quam rogationem *obnuntiatio* (ut inquit Aſconius) *quæ pernicioſis legibus reſiſtebatur, erat oblata*. Et de hac *obnuntiatione* apud Tranquillum docuimus eſſe intelligendum in eo loco, lege Agraria promulgata, *obnuntiantem collegam armis foro expulit*. Senſus Lucani hic eſt, non licet Cæſare dominante & conſulatum per vim occupante, comitiaq;

con-

---

pellect. legat. Supellectilis menſas eſſe cujuſcumque materiæ, ſcilicet, vel argenteas, vel argento incluſas placet. Hanc conſuetudinem apte, venuſteq; irridet, ſive Martial. ſeu, quod P. Severio animadverſ. lib. iv. probatur, Incertus auctor iv. 78.

Ad cœnam nuper Varus me forte vocavit,
Ornatus dives, parvula cœna fuit:
Auro non dapibus ornatur menſa: miniſtri
Apponunt oculis plurima, parva gulæ.
Tunc ego non oculos, ſed ventrem paſcere veni,
Aut appone dapes, Vare, vel aufer opes.

eumq; morem auctori Heliogabalo tribuendum cenſet Lamprid.

(m) Haud extra propoſitum fortaſſis Salpitius Verulanus in hunc locum:

Nec cælum ſervare licet, tonat augure ſurdo.

non

conſularis ex animi libidine habente, ſervare de cœlo, nec *obnuntiare* per augurem, ſi vitium & calamitas interveniſſent, hoc eſt, *ſi fulminaſſet aut tonuiſſet*, imo augures ſurdos ſe eſſe ſimulant, ſi tonitrua in comitiis adjuverint, nec Cæſari *obnuntiare* audent. Ex quo docet, nullis auſpiciis Cæſarem creaſſe ſe conſulem, calcata pollutaq; omni augurum diſciplina. Illud ad *deſpectionem* in auguralibus poni antiquitus pro *inſpectione*. Quia jus ſacrorum auctore Feſto, augures habuerunt *inſpectione*, ut videlicet auſpicio rerum, quas vidiſſent rem gererent. Olim augurib. *ſpectio* data fuit ſine *nuntiatione*, qui mox nuntiationem habuerunt, de qua dudum dictum eſt.

Legimus in codice Feſti Pompeji vetuſto: ex quo epitoma, quod paſſim legitur, circumſcriptum fuit: *Manium confecraſſe Dianæ Aricinæ lucum Aricinum*, quem Tranquillus appellat *nemorenſem* in Julio Cæſare. A quo *Mania* multi & clari viri orti ſunt, & per multos annos fuerunt. Unde proverbium invulgatum eſt, *multi Manii Ariciæ*. Ad hoc proverbium alludens clanculum Perſius in noviſſima ſatyra dixit:

Accedo Bovillas,
Clivumq; ad Virbi, præſto eſt mihi Manius hæres.

Nam cum de *clivo Arcino* loqueretur, *Manium* potius, quam *alium* non temere dixit, ſibi heredem præſto futurum. Sed memor proverbii, quod eſt: *Multi Manii Ariciæ*, ut jam docuimus, eleganter & erudite *Manium* nominavit tanquam nomen apud Aricinos vulgatiſſimum, qui locus a grege trivialium doctorum incurioſe ac negligenter magis contaminari ſolet, quam explicari. Illud addamus, quod antiquitus is *Manius* appellabatur, qui auctore Varrone *mane natus* diceretur, ſicuti qui *luce*, *Lucius*.

Quæri ſolet inter eruditos quid ſignificet illud apud Plin. lib. 1. epiſt. *Omnino Marci noſtri lecythus fugimus*. Ego exiſtimo illis verbis ſignificari nitores & floſculos amœnaſq; egreſſiones. Quib. Cic. in orationibus ſæpe uſus eſt, cum laude, *Namq; lecythus* Græce vas olearium nuncupatur, quam dictionem Latini quoq; ſcriptores uſurpant. Unde Hieronymus Teſtamenti veteris luculentus interpres hoc verbo uſus eſt in lib. Regum 3. cujus hoc eſt interpretamentum: *Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur, uſq; in diem, in quam dominus daturus eſt pluviam ſuper faciem terræ*. Idem alibi ait: *Paulum olei eſt in lecytho*. D. Cyprianus, qui inter ſcriptores Eccleſiaſticos latiniſſimus eſt, pro *lecytho*, capſacen, eſt interpretatus. Ita enim ſcribit lib. Epiſtol. 2. *Fidelia farris non deficiet, & capſacer non minuetur*. Itidem Hieron. in Epiſt. ad Euſtachium *Capſacen pro lecytho appellatur*. Cur autem per *lecythus* apud Plinium intelligi exiſtimem *floſculos & nitores* Tullianæ facundiæ, Ratio hæc eſt: Romani veteres balnea petentes oleo ungebantur, cujus liquor foris gratiſſimus eſt humanis corporibus ſicut intus vini, ideoq; Græci vitiorum omnis genitores (ut utar verbis Plinianis) olei uſum ad luxuriam verterunt in Gymnaſiis publicando. *Ampullam oleaream* appellat Apulejus in 1. floridorum, quam Græce dicimus *lecython* vocitari, camq; numerat inter balnei utenſilia. Cum ergo in balneis oleo ungerentur, & *lecythus*, hoc eſt, *ampullas olearias* uſurparent, ad corpus emaculandum nitidumq; efficiendum, eleganter & perquam ſcite Plinius appellat *Lecythus* illos nitores & amœnitates, quibus oratio nitida & ornata fieri ſolet, queadmodum corpus in balneis oleo ex Capſace infuſo perunctum fit nitidius atq; ſplendidius

non licet obſervare cœlum in aeris tempeſtate, augure ſurdo, ideſt fingente ſe non audire; Jovem autem *Tonantis* nomine fuiſſe primum ab auguribus appellatum ex Cicer. de nat. Deor. 11. 25. docent Gyrald. Synt. Deor. p. 81. Roſin. antiquit. Roman. 11.5.

dlua, videturq; Plinius imitatus eſſe ipſum Marcum Ciceronem, apud quem uno tamen in loco hoc eloquutionis genus obſervavi, Sic enim ſcriptum reliquit in libro ſexto Epiſt. ad Atticum: *Quid multa? totum hunc locum, quem in Ariſtrocatia ego varie meis Orationibus, quarum tu Ariſtarchus es, ſoleo pingere, de flamma, de ferra, noſti illas lecythus valde graviter pertexuit*. Ubi haud dubie Cicero per *lecythus* intellexit pigmenta exornationeſq; oratorias, ſicut alibi ſe *Myrothecium* Iſocratis totum conſumſiſſe in commentario conſulatus ſui ſcribeudo ſignificat. Nam per *Myrothecium*, quod ſignificat unguentorum repoſitorium, intelligi vult metaphorice *pigmenta oratoria, & id genus ornamenta dicendi*. (n) Plinius ergo librum ſe ſcripſiſſe dicit, qui prope totus in contentione dicendi verſabatur, *non tamen*, inquit, *ex omni parte fugi lecythus Marci Tullii Ciceronis*, hoc eſt, illas exornationes nitoreſq; & amœna diverticula inſerui, quibus Marcus Tullius orationes ſuas quibuſdam quaſi pigmentis condecorat atq; venuſtat.

Idem Plinius in epiſtola ad Calviſium ſic ſcriptum reliquit: *Habet climatericum tempus, ſed evadet*. Quæ verba ſunt legibus ſimillima, quarum ſcriptum (ut inquit Seneca) anguſtum eſt, interpretatio diffuſa. Etenim quid ſignificet *climatoricum tempus*, interpretatione latiſſima eſt explicaudum. Chaldæi appellant *climateras* pericula vitæ fortunarumq; hominum, ut memorat Gellius in 3. quæ fieri graviſſima dicuntur in ſeptenariis, Et ut eruditiſſime tradit Cenſorinus in libro de die natali, apparet per omnem vitam ſeptimum quemq; annum pericoloſum & veluti *criſmen eſſe* hoc eſt, judicialem & *climatericon* vocari. Sed genethliaci ex his alios aliis difficiliores eſſe dixerunt, & nonnulli eos potiſſimum, quos ternæ hebdomades conficiunt putant obſervandos, hoc eſt, unum & vigeſimum, & quadrageſimum ſecundum, & ſexageſimum tertium. Poſtremum octogeſimum quartum, in quo Staſeas terminum vitæ fixit. Alii autem non pauci unum omnium difficilimum *climatera* prodidere anno, ſcil. uno de quinquageſimo, quem complent anni ſepties ſepteni, & quadrati numeri qualis hic eſt, potentiſſimi dicuntur. Quidam *climatera* periculoſum eſſe dicunt annum ſexageſimum tertium, qui ex ſeptenario ac novenario permixtus eſt. Namq; eum hebdomades novem & enneades ſeptem conficiunt. Et Gellius auctor eſt lib. 14. obſervatum eſſe ſexageſimum tertium vitæ noſtræ annum, cum periculo & clade aliqua evenire ſenioribus fere omnibus. (o) Id quod divus Auguſtus in epiſtola ad Cajum nepotem optime expreſſit, his verbis: *Nam tu vides climatera communem ſeniorum omnium tertium & ſexageſimum annum evaſimus*. Si *climatericon* Latino vocabulo enuntiare velimus, commodiſſime interpretabimur *ſcalarium*, *climax* enim Græce *ſcala*, *ſive gradatio* nominatur, & Quintilianus figuram, quæ dicitur *climax* Græce *gradationem* appellat. Plinius quoq; *Climateras* elegantiſſime nuncupavit legem *ſcanſilem* libr. VII. naturalis hiſtoriæ. Cujus hæc verba ſunt: *ſcan-*

(n) Lecythus, ac Myrothecium verba utraq; eodem jure Græca ampullam oleariam, atq; unguentorum repoſitorium ſignificantia, expolitam, numeriſq; omnibus abſolutam orationem denotandam a Cicerone procul dubio uſurpata.

(o) Erroris, ſi ingenue loqui fas eſt, redarguendus in hoc loco A. Gell., qui *Climatericum* annum ſexageſimum tertium dumtaxat vocavit, quum pleriſq; ſinguli anni *Climacterici* contingant; non quod vitæ interitus ſequatur, verum quod ægritudo animi, vel triſtior quandoq; calamitas inſtet; quamobrem priſci mathematici, ut exempla proponerent *Climacterum*, eas afferebant Geneſas, non quæ in *Climactericis* annis vitæ terminum accepiſſent, ſed quæ aliquid notabile, magnumq; periculum paſſæ eſſent, quod

ſcanſili annarum lege occidaa qaam climateras appellaat. Et his omnibus (ut arbitror) abunde declaratum eſt, quid ſignificet illud Plinianum, *habet climatericum tempas*. Hoc eſt, periculoſiſſimum & maxime pernicioſum, ſive annus ille fuerit ſexageſimus tertius, ſive quadrageſimus nonus, ſive quadrageſimus ſecundus, ſive quicunq; alius *clamatericus*, qui ex ſeptenariis (ut dixit) maxime conficitur.

Idem in lib. v. ſcribens ad Flaccum ait, *Recipies epiſtolas ſteriles, ſimpliciter ingratas, ac ne illam quidem ſolertiam Diomedis in permutando munere imitantis*. Ne diu & maxime quæras, quæ fuerit Diomedis illa ſolertia in muneris permutatione, ſcito exemplum hoc ſumtum eſſe ex Poemate Homerico. Namq; in vi. Iliados ſcribit Homerus Glaucum ac Diomedem in medium proceſſiſſe, ut ſingulari certamine confligerent. Glaucum deinde poſt enarratos ſuos natales invitatum a Diomede, ut ex hoſtibus hoſpites fierent, & hoſpitii neceſſitudine invicem copularentur, *quod ut ceteri*, inquit, *intelligant, armatuaram permutemus*, & ita inter ſe arma permutarunt, Glaucus aurea quæ centum boum pretio taxabantur Diomedi dedit, *a* quo accepit ærea, quæ novem boum tantum æſtimabantur, unde ex hac tam impari armorum permutatione Glaucus ſtupidus & demens judicatus, Diomedes vero ſolers & aſtutus, quum ille jacturam fecerit, hic lucrum. Hoc exemplum quotieſcunq; de muneris, aut alterius rei comparatione diſſimili ſit diſputatio, commodiſſime uſurpant Latini ſcriptores, adeo ut Juriſconſulti in proœmio digeſtorum, concinniter & eleganter hoc uſi ſint ſic ſcribentes: *Noſtris temporibus talis legum inventa eſt permutatio, qualem apud Homerum patrem omnis virtutis Glaucus & Diomedes inter ſe faciunt diſſimilia permutantes*. In cujus loci interpretatione meras nugas blacterat Accurſius. Plinius quoq; in xxxiii. quum de commerciis loqueretur, meminit hujuſce permutationis armorum Glauci cum Diomedis armis, Aulus Gellius in 2. cum de Menandri atq; Cecilii diſpari comparatione caput conſcriberet, dixit: *Diomedes hercle arma & Glauci non diſpari magis pretia æſtimata ſunt*: Ariſtoteles in quinto Ethicorum. *Qui ſua* (inquit) *donat ut Homerus de Glauco ſcripſit, dediſſe eam arma aurea pro ferreis, centeni pretii pro novenis, huic injuria non fit, nam in ipſo eſt dapare*. De hoc intellexit Martial. illis verſibus:

Tam ſtupidus nunquam nec tu puta Glauce fuiſti,
Chalcea donanti chryſea qui dederas.

Senſus Plinii eſt Flaccum, *a* quo acceperat optimos turdos, recepturum epiſtolas ſuas penitus ſteriles, & ſine ulla remuneratione, ex quo nec quidem imitaturum ſe dicit ſolertiam Diomedis, quod pro armis pretioſis dedit vilia, nam quum ille aliquid ſaltem pro remuneratione tradiderit, ſe nihil penitus remiſſurum eſſe feſtiviter jocatur.

Livius libro ab origine urbis primo ita ſcriptum reliquit: *Ad Martiæ datæ ſedes*. Quibus verbis non ſolum ſubobſcurus, ſed etiam ſolœciſmus videri poteſt apud grammatiſtas, idcirco explicanda ſunt luculentiſſimi ſcriptoris verba, quibus *Martia nomine Dea Venus* ſignificatur, quam priſci *Myrteam* nuncuparunt, *a myrta* arbuſcula, quæ Veneri dicata eſt, ut auctor eſt Plinius in xv. *Ara fuit Romæ vetus Veneris Myrteæ, quam nunc Murtiam vocant*: De qua dea cum loqueretur Plutarchus in Problematis ita ſcripſit. *Quam nunc Venerem, Martiam vocant antiquitus, ut videtur, Myrteam nominare conſueverunt*. Unum genus Myrti *conjugalem* appellat Cato, *a con-*

---

quod Κλιμακτῆρος nomine appellabant. Conſulant, queis ſententia hæc non arridet, Claud. Salm., qui de anno *Climacterico* integrum volumen conſcripſit, ſingula enim ut Rethores, non tamquam Aſtrologi recenſemus.

Mur-

a *conjugiis* videlicer, ut Interpretatur Plinius, quia conjunctioni, & arbori præeſt Venus, *Murtiæ* deæ ſacellum erat ſub monte Aventino, qui antea *Murcbas* vocabatur, ut dicit Feſtus. Hujus ſacelli meminit Varro, a quo Venus *Myrtea* nuncupatur. Ad hoc alludens Apulejus dixit eleganter in ſexto de Aſino aureo. *Conveniat retro ad metas Murtias Mercurium prædicatarem*. Declaranda ſunt igitur verba Livii hoc pacto, ut exponamus datas eſſe ſedes, Latinis in civitatem acceptis, ab Anco rege habitandas juxta ædem ſive ſacellum *Deæ Murtiæ*, ut jungeretur palatio Aventinus. Et hic honeſtiſſimus loquendi modus eſt apud antiquos ut abſolute dicatur, *ad Dianæ*, *ad Veſtæ*, *ad Apollinis*: ut extrinſecus ſubintelligamus, templum. Ita Huratius libro primo ſermonum;

Ventum erat ad Veſtæ:

id eſt, templum vel ædem. Tarentius in Adelphis: *ubi ad Dianæ veneris, ito ad dextram*, id eſt, ad Dianæ templum. Et hunc antiquitus fuiſſe loquendi morem, optime declarant Porphyrio, & Donatus. Quo etiam decenter uſus eſt Cicero in epiſtolis ad Atticum his verbis: *Senatus ad Apollinis datus eſt*. Eſt præterea altera dea nomine *Murcea*, (*p*) quam ita priſci nominarunt, ut ait Pomponius quod præter modum faceret hominem murcidum, id eſt, nimis deſidiolum. Cui contraria erat Dea *Strenua*, cui ſacra faciebant, ut homines faceret ſtrenuos, cujus rei meminit Auguſtinus libro quarto de civitate Dei.

Apud eundem libro octavo, in omnibus codicibus hæc verba leguntur: *Tela ſaper quod ſtans conſul precatus eſt boſtem potiri fas non poteſt, ſi poteſt, ſi potiatur Marti ſua lue, & aribus piaculum fieri*. Mendoſa eſt noviſſima clauſula, & verbis ſemihiulcis male coagmentata, adeo ut nullus verus ſenſus percipi queat. Nos vero ita emendavimus, *ſi potiatur Marti Solitaurilibus piaculum fieri*. Sunt autem *Solitaurilia* ſacrificia, quæ (ut docet Aſconius Pedianus) cenſores urbem completo quinquennio luſtrantes, *de ſue*, *ove*, *taura*, faciebant, a quibus tribus particulis nomen ipſum compoſitum eſſe exiſtimant Quintilianus in primo, ita tamen ut non tam ex tribus quam ex particulis trium Solitaurilia coagmententur. Et hoc eſt illud ſacrificii genus, quod circumſcripſit Livius his verbis. *Ibi inſtructum exercitum omnem Servius ſue, ove, taurisq; luſtravit, idque conditum luſtrum appellatum*. *Solitaurilia* ad agrum luſtrandum circum agi docet M. Cato in libro de re ruſtica. Senſus itaq; Livii hic erit: Conſulem Romanum Marti *Solitaurilibus* hoc eſt, *ſue*, *ove*, *tauro* immortalis, ſacrificaturum pro piaculo, ſin hoſtis telo potitus fuerit, quo cum potiri nefas eſt. Quod autem Marti Solitaurilibus ſacra facerent, docet M. Cato, qui ſic ait: *Mars pater ſi quid tibi illiſce Solitaurilibus lactentibus neq; ſatis factum eſt hit Solitaurilibus piaculo*. De *Solitaurilibus* item ait Feſtus. *Solitaurilia* hoſtiarum trium diverſi generis immolationem ſignant, tauri, arietis, verris, quod omnes integri ſolidiq; corporis ſunt, *ſolum* enim lingua Oſcorum ſignificat *totum & ſolidum*. Unde apud Livium *tali ſoli ferrea* vocantur *tota ferrea*.

Apud eundem ſcriptum eſt lib. 4. ab urbe condita: *Poſthumiam virginem veſtalem, ampliatam, deinde abſolutam pro collegii pontificum ſuiſſe ſententia*: Ubi ampliatam intelligimus dictum eſſe ex conſuetudine Romanorum judiciorum, quæ hoc modo peragebantur. Namq; aut ſtatim ſententia dicebantur

(p) Murciæ amoris non tantum deæ, verum & ſegnium Patronæ præter Auguſt. lib. 4. de Civit. Dei, meminit Arnolius lib. 4., ipſique templum ſub Aventino ſacrum nonnulli quoq; antiquitatis ſtudioſi viri adſciverunt.

Cu-

batut a judicibus, ſi abſolvendus eſſet reus, aut amplius pronuntiabatur, ſi videretur eſſe damnandus, & tunc judices dicebant, *non liquet*, hoc eſt, obſcura cauſſa eſt. Et ut eleganter docet Aſconius Pedianus ampliandi ſignum erat. *N. L.* quod ſignificabat *non liquere*: Unde *ampliatio* naſcebatur, quæ appellata ab eo videtur, quaſi amplius dicendi pronuntiatio, quia qui ampliabatur, interpoſita dilatione, rurſus ad agendam cauſſam redibat. De hac *ampliatione*, intelligendum eſt apud Plinium ita ſcribentem in libro, cujus titulus eſt de viris illuſtribus: *Manlius reus factus, & ob conſpectum Capitolii ampliatur*: ſenſus Livii eſt, virginem veſtalem, quum de inceſtu accuſaretur, fuiſſe *ampliatam*, hoc eſt, per ampliationem in ſecundam actionem, interpoſita dilatione, protractam, ut ſcilicet bis cauſſam dicere poſſet, ex ritu Romanorum judiciorum. De hac *ampliatione* intelligit Cicero in tertia in Verrem his verbis: *Et ſi lex ampliandi faciat poteſtatem*, tamen iſti ſibi turpe exiſtiment non primo judicare. Idem in oratione pro Cinna, inquit, *cum ampliandi poteſtas eſſet, dixiſſe ſibi liquere*. Idem ſcribit libro vigeſimo ſexto: *Inter majorum rerum curas comitia magni Curionis vetus concitaverunt certamen, ubi maximus Curio ſignificat ſacerdotem, cujus ſacerdotii petitionem antiquitus nemo niſi ex prioribus habebat*. Sunt autem *Curiones* dicti a *Curiis*, in quibus ſacerdotes ita res divinas curant, ſicuti ſenatu res humanas in Curia hoſtilia curare ſolebat, ut ſcribit Varro. Inde ſacra quæ in Curiis fiebant *Curionia* priſci nuncupaverunt, & *Curionum æs* dicebatur, quod dabatur Curioni ob ſacerdotium *Curionatur*. Dionyſius Halicarnaſſeus hos *Curiones* ſignare videtur, dum ſcribit in II. (q) *Ducis Curiarum factos eſſe ſacrificulos a Romulo imitato Græcorum conſuetudinem*, apud quos inſtituta fuerunt *Prytanea*, in quibus ſacra fiebant ab his, qui maxima prædiri eſſent majeſtate, qui græce *Prytanes* nuncupantur, quem magiſtratum ſignificat Seneca ſic ſcribens in Epiſtolis ad Lucilium, *Non vis niſi Cerix, aut Prytanis, aut Suffes adminiſtrare Reipublicam*. Princeps Romanorum Curionum *maximus* cognominabatur, quemadmodum in collegio *Pontificum*, is *maximus* dicitur, qui præeſt. De *Curione maximo* locutus eſt Ovidius, qui ſic ait in ſecundo Faſtorum:

Curio legitimis tunc Fornacalia verbis
Maximus indicit, nec ſtata ſacra facit.

Itaq; de hoc ſacerdotio *Curionis maximi*, qui per ſuffragia creabatur, quum loqueretur Titus Livius, dicit comitia *Curionis maximi* creandi cauſſa concitaviſſe vetus certam e, videlicet competitorum. In alia ſignificatione *Curiones* pro *præconibus* accpiuntur apud opinatiſſimos ſcriptores, apud quos identidem reperies *Curionem* pro *miniſtro atq; præcone* uſurpari. In hoc ſignificatu occipe apud Plinium ita ſcribentem libro ſeptimo: *Poſt aliquos annos adjectus eſt & meridies accenſo Conſulum id pronuntiante cum Curio inter roſtra & Argeorum theſin proſpexiſſet, talem ſolem a columna ænea ad carcerem*

(q) Curiones Dionyſ. II. p. 124. memorat, ipſorumq; originem Romulo adſcribit; *Primam ſacrorum munerum inſtitutionem Romulus tradidit triginta Curionibus, qui publica pro ſuis Curialibus ſacra facerent*; Curatores enim ſacrorum, cuilibet *Curiæ*, quiſq; *Curio* ſacra miniſtrabat, quod videre eſt penes Gyrald. Synt. Deor. XVII., ac quamplures alios. De *Curionibus* qui ſpectaculis, tamquam præcones adhibebantur, ediſſerit Plin. Epiſt. IV. 7. 2. *Scripſit publice, ut e Curionibus eligeretur vocaliſſimus aliquis ex ipſis, qui legeret eum populo*. Singula colliges fuſius ex Urſat. de not. Rom., Græv. antiq. Rom. Tom. XI. p. 6. 54. C. permultisq; conſcripta.

rem inclinato ſidere ſupremam pronunciavit. Julius quoq; Capitolinus in Galienis inquit. *Ille per Curionem dici juſſit, impoſturam fecit, & paſſus eſt*. Idem alibi *per Curionem*, inquir, *dici juſſit taurum totiens non ferire difficile eſt*. Apud Apulejum ſcriptum eſt in primo de Aſino aureo *non quidem Curio ſum ſed qui velim ſcire vel cuncta, vel certe plurima*: ubi *Curio* accipitur in hoc ſignificatu. Quamvis incurioſi patum curioſe verba Apuleji penſitantes, junctim legant *Curioſum*, ut ita duas dictiones in unam indocte compingant. In hoc ſenſu *Curio* accipirur a Martiale ita ſcribenie: *Epigrammata Curione non egent*. Et interpres Euſebii in 4. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ita interpretatus eſt: *Miſſo igitur Curione ad populum jubet voce maximo proteſtari Polycarpum tertio confeſſum Chriſtianum ſe eſſet*. Plautus yero in Aulularia feſtiviſſime *agnum*, *Curionem* appellat *macilentum*, tamquam ob curam ſit emaciatus. Unde a contrario Apulejus in floridis, *agnum opimum, & pinguem* dicere volens, appellavit perquam diligenter *incurioſum*.

Apud eundem *lautitia* pro *lautia* in omnibus codicibus impreſſum eſt, ita enim libro vigeſimo octavo ſcriptum eſt, *Locus inde lautitiaq; legatis præberi juſſa*, nos correximus *Lautia*, ſequuti auctoritatem ſententiamq; Plutarchi, qui tradit in problematis, quod Romani Quæſtores legatis exterarum nationum munera mittebant, quæ *Lautia* dicebantur. Iidem ægrotos curabant, qui ſi morbo Romæ interiiſſent, impenſa publica funerabant. Præterea (ut auctor eſt Feſtus) *Lautia* epularum magnificentia nuncupatur, quod nomen a *lavatione* dictum autumant, quia apud antiquos elegantiæ, quæ nunc ſunt, non erant, & raro aliquis lavabat. Ob hæc *Lautia* apud Livium legere malim: quam *lautitia*, quamvis non neſciam quid *Lautus & lautitia* paſſim ſignificet, & quod farina ex tritico aqua conſperſo antiquitus *lautitia* appellabatur, ſed nil iſta conveniunt cum Livii ſententia, qui *Lautia* accepit in eo ſignificatu, quo Plutarchus & Feſtus acceperunt, unde & ab eodem alibi dictum eſt *Lautia* Attalo fuiſſe decreta.

Ille quoq; verſus apud eundem mendoſus eſt in libro vigeſimo ſecundo. Cujus hæc verba ſunt: *Teſtibus datis Tribuni populum ſummoverunt, ſuper re illa, qua lata eſt ut ſortirentur, ubi latini ſuffragium ferrent*. Nos illud *ſuper re illa, quæ lata eſt* ita emendavimus, *ſitellaq;* allata eſt, eſt autem *ſitella* (r) ciſtula qua ſuffragia populi creandis magiſtratibus legibuſq; ferendis, colligebantur, de qua ita ſcribit Cicero in oratione pro Cornelio de majeſtate. *Neq; majus eſt legere codicem, quum intercedatur, quam ſitellam ipſam cum ipſo interceſſore deferre*. Idem alibi pro *ſitella*, *ciſtellam* appellat. Unde in primo rhetoricorum ita ſcriptum legimus: *Saturninus legem ferre cœpit, collegæ intercedere, ille nihilominus ciſtellam detulit*. Idem in libro primo de natura Deorum *ſitellæ* meminit his verbis: *Aut igitur Tiberium Gracchum quum video concionantem in Capitolium de Marco Octavio deferentem ſitellam, tum eum motum animi dico eſſe inanem*. Plautus quoq; in Caſſina *Situlam* atq; *ſitellam* crebro nominavit accepitq; pro vaſculo, in quod ſortes conjiciuntur. Senſus Livii eſt, ſitelam, hoc eſt, ciſtellam fuiſſe, ut in eam ſortes conjicerent, & inde ſortirentur, in qua tribu Latini ſuffragia ferre deberent. Hactenus de Livio. Jam prout inſtituimus ad alios ſcriptores tranſeamus, ſa-
tis

(r) *Sitellam* a *Ciſta* diverſam apud Rom. fuiſſe monemus, quod *Sitella* Tribuum, ſive Centuriarum nomina educerentur, ut ſuum quæq; locum in ſuffragio ferendo ſervaret; *Ciſta* vero tabellæ continerentur, quæ ſine ſorte viritim Tribubus, aut Centuriis ſuffragiorum cauſſa miniſtrabantur; Hinc Tabellis capiendis, quæ viritim populo divi-
des

tis eſt enim in præſentia pauca quædam deguſtare, & hinc inde centena annotamenta colligere.

---

debantur, plures *Ciſtæ* adhibitæ ſunt; quum ſortibus, ſive Tribuum, ſeu Centuriarum una *Sitella* dumtaxat ſufficeret ex Manut. de Comit. Roman. c. 15.

Aſta-

IN

Philippi Beroaldi IN AULUM GELLIUM ANNOTATIONES.

AUlus Gellius libro ſecundo Noctium Atticarum, in eo capite, quod de vocabulis regionibuſq; ventorum iucuſentiſſime ſcribit, ita tradit: *Præter hos quos dixi, ſunt alii pluriſariam venti commentitii ſuæ quiſque regionis indigenæ, ut Oranus quoque ille ad Apulos.* Quid ſignificet *Oronus ille ad Apulos*, hominem ſcire arbitror neminem, nec ipſum Gellium, ſi reviviſceret hæc verba ſatis percepturum, quo circa nus ſenſum & ipſos litterarum apices curioſe ſpeculati, ita emendavimus, & ita perſcriptum fuiſſe a luculento ſcriptore aſſeveramus: *Horatianuſque ille Atabulus*. Eſt enim *Atabulus* ventus ita peculiaris Apuliæ, ut Athenienſibus Sciron, ut Eubœæ Olympias, ut Narbonenſi Galliæ Circius, ſicuti docet Plinius in XXVII. Quem totum locum tranſtuliſſe videtur a Seneca ita ſcribente libro quarto quæſtionum naturalium: *Atabulus Apuliam infeſtat, Calabriam Japix, Athenas Stiron, Galliam Circius.* Hunc *Atabulum* Horatius Apulus tanquam Apulum & indigenam celebrat, quum ait libro primo ſermonum:

Incipit ex illo montes Apulia notos
Oſtentare mihi quos torret Atabulus:

Ob hoc ergo Aulus Gellius ſcienter & eleganter inter commentitios ventos *Atabulum* cognominavit *Horatianum*, quoniam ab Horatio peculiariter celebratur, utpote *Apulus* ventus ab Apulo poeta. (f) Exiſtimo hanc noſtram emendationem etiam iniquo judici non diſplicituram, quum nil poſſit eſſe accommodatius, quum hoc ſolum dicere voluerit Gellius, ſi quis diligenter attenderit. Scribit Porphyrio Atabulum ventum eſſe in Apulia ferventiſſimum, græca appellatione dictum quaſi τὴν ἄτην ἤτοι τὸν λοιμὸν, hoc eſt, nocumentum peſtilentiamq; inferentem. Nam Atabuli flatus nimio calore Apuliæ peſtifer eſt & gravis.

Apud eundem locus eſt depravatus unius literæ inverſione, quæ quamvis ſit parva corruptio, totam tamen obſcurat eloquutionem. Ita enim libro decimoquarto ſcriptum eſt: *Quum deinde ſubeuntes montem Caſpium conſpicimus inſulam quandam occupatam igni*: Quid abſurdius dici poteſt, quam quod illi, qui Romæ ſunt ſubeant *montem Caſpium*, quem ab Italia tot regiones, tot ma-

(f) *Atabulum* Græce ἄτην βάλλων, videlicer immittentem calamitatem vocavit Plin. lib. 2. cap. 22.; de illo mutato nomine Horat. Od. III. I.

Sic te Diva potens Cypri,
Sic fratres Helenæ, lucida ſydera,
Ventorumq; regat Pater
Obſtrictis aliis, præter Japyga.

Japix enim idem propemodum cum *Atabulo* ex Apuliæ finibus proficitur, adverſus *Eurum* flans, alioque vocabulo *Caurus* eſt, vel *Atabulus*; ipſum ex Italia in Græciam ſolventibus plane utile dixit Ludov, Deſprez. annot. in hunc locum.

Ci-

maria diſpeſcunt atq; diſterminant? Nos vero pro *Caſpium Ciſpium* (t) emendavimus. Eſt autem *Ciſpius* mons in Urbe Roma in regione Exquilina, de nomine Ciſpi hominis dictus, ut autumat Feſtus. De hoc *Ciſpio* ita ſcribit Varro in libro primo latinæ linguæ: *Ciſpius mons ſuo antiquo nomine, etiam nunc in ſacris appellatur*. Idem in eodem: *Exquilinus eſt Ciſpius mons ſexticeps, apud ædem Junonis Lucinæ, ubi æditimus habere ſolet*. Dicit itaque Gellius, ſe quum ſubiret hunc montem Romanum nomine *Ciſpium*: conſpexiſſe inſulam flagrantem, hoc eſt, domum ab aliis domibus ſequeſtratam, tales enim domus inſulæ appellantur, quia inſtar inſularum ſunt. Inde crebro leges apud hiſtoricos, inſulas Romæ fuiſſe incendio conſumtas. Et olim (ut inquit Julius Capitolinus) *imperante Antonio Pio, incendium trecentum quadraginta inſulas abſumſit*. *Germani*, auctore Tacito, *ſuam quiſque domum ſpatio circundant nullis cohærentibus ædificiis more inſularum, quæ nuſquam continenti cohærent, ſed mari undiq; ambiuntur*.

Apud eundem lib. XIX. menda pertinax inveteravit. Ita enim in omnibus codicibus ſcriptum legitur: *Elivorum quoq; oculi ad eaſdem vices Lunæ majores fiunt, aut minores*. Ex quo genere animalium *Elivi* ſint, ignorare me non inficior, & cum diu anxieque quæſiviſſem apud idoneos ſcriptores, nullam *Elivorum* mentionem factam eſſe cognovi, nec uſquam *Elivos* reperiri arbitror, quorum oculos minui & augeri, prout luna ſeneſcit & adoleſcit Gellius opinatur, quapropter ex literarum ſimilitudine, locum mendoſum ita emendandum cenſeo, ut pro *Elivorum* legas, *Ælurorum*. *Æluros* autem a Græcis appellari, quos latini feles nominant, nemo vel mediocriter doctus ignorat, de quibus ſcribens Plinius ita ait lib. X. naturalis hiſtoriæ: *Feles autem quo ſilentio, quam lenibus veſtigiis obrepunt, quam occulta ſpeculatu in muſculos ſubſiliunt, excrementa ſua effoſſo obruunt terra, intelligentes odorem illum indicem ſui eſſe*. Varro & Columella *felem* accipere videntur, pro eo genere animalis, quod vulgus *fovinum* appellat. Plinius vero pro domeſtico animali, quod mures capit, quod Albertus Magnus modo *catum* modo *murilegum* nuncupat, indocti *muſcipulam* appellant, cum muſcipulas eruditi nominent ipſa *decipula*, quibus mures capiuntur. Ut Varronis & Senecæ lectione facile cognoſcimus. *Æluram*, hoc eſt, *Felem* Ægyptii venerabantur.

Apud eundem lib. 15. nomen Dei Romani depravatum legitur, nam pro *Ajus*: (u) *Arius* ab impreſſoribus ſcriptum eſt, corrupto nomine vetuſto & ſenſu. Antiqui enim, *Ajum* Deum appellaverunt ab eo, quod ajebat & loquebatur, namq; olim Romæ audita vox eſt ſilentio noctis, clarior humana voce,

---

(t) Ciſpium montem in Urbe Eſquilinæ regionis a nomine *Ciſpii Anagnini* ducit Feſt. ex Varron. in Septimon. *Ciſpius a Lævo Ciſpio Anagnino, qui ejuſdem rei cauſſa eam partem Eſquiliarum, quæ jacet ad vicum Patritium verſus, in qua regione eſt ædes mephitis tuitus eſt*. Donat. de Urb. Rom. III. 9. Nardin. Rom. Vet. II. 2., aliiq; complures.

(u) Vides hinc erraſſe nonnullos ex peritis commentatoribus, qui non *Ajum*, ſed *Arium* ſcripſerunt, quum auctores *Ajum* inter numina a Romanis relatum frequentiſſime memorent. Var. apud Gell. XVI. 17. *Sicut Ajus Deus appellatus, araq; ei ſtatuta, quæ eſt infima novæ viæ, quod in eo loco divina vox edita erat*. Liv. V. 50. *Expiandæ vocis nocturnæ, quæ nuntia cladis ante bellum Gallicum, audita, neglectaq; eſſet, mentio illata, juſſumq; templum in nova via Aja Locutio fieri*. Roſin. Antiq. Rom. II. 27.

Me-

Digitized by Google

ce, quam juberet & magiſtratibus nuntiari Gallos adventare, ut providerent ne Roma a Gallis caperetur, ex eo dictus eſt Deus *Ajus loquens*, ut docet Cicero in ſecundo de divinatione. Livius huic Deo templum ſactum fuiſſe in nova via, auctorem, eumq; appellat *Allocutium*, quaſi ab alloquendo nuncupatum. Mihi videtur legendum eſſe apud Livium, pro *Allocutione*, *Ajo loquenti*, ut cum Varrone, Gellio, & Cicerone concordet, a quibus hic Deus uno conſenſu *Ajus* loquens nuncupatur. Quidam codices Liviani habent *Allocutianem*: tanquam nomen Dei fœminino genere in caſu recto ſit pronuntiandum *Allocutio*. Qui apud Gellium legunt *Arrius*, hi profecto trioboli ſunt, a Theologia Ethnicorum abhorrentes.

Apud eundem menda eſt manifeſtaria unius tantum literæ inverſione, namque ubi nominat carmen *Meliti Poetæ* emendandum eſt *Melici Poetæ*. Dicimus enim *Melicos* Lyricos Poetas, & ita a Plinio Simonides, qui ſcriptor fuit *Lyrici* carminis *Melicus* nuncupatur in ſeptimo naturalis hiſtoriæ, quamvis in pervulgatis codicibus non *Melicum* legerimus, ſed *Medicum*: Auſonius

Tu Medicos lyricoſq; modos.

Ita apud Gellium nomen *Melici* Poetæ non pro nomine proprio accipiendum eſt, ſicuti ſemidoctum vulgus exiſtimat, ſed pro nomine generali unuſcujuſq; Poetæ, qui *Melicus* ſit, hoc eſt, Muſicus, & Lyricus, nam antiquitus teſte Fabio muſici, idem vates & ſapientes judicabantur, unde ait Martianus in libro de nuptiis Philologiæ.

Tu vatum Mela dulcibus camœnis

Et teſte eodem: *Tertia ſymphonia diapaſſon in melis probibetur*, quaſi tu dicas *in Muſicis* idem *in Muſica* inquit, *quæ ad melos pertinent*, *harmonica dicantur*. Ariſtoxenus Muſicus vocis rationem dividit in *Rhythmon & Melos*, quorum alterum modulatione alterum canore ac ſono conſtat. Cenſorinus in li. de die natali Poeticam cognominat *Melicam*, quum Poetica veluti legitima Muſica licentior, magiſq; modulata invaluerit, unde omnes Poetas accommodato generaliq; epitheto *Melicos* appellare poſſumus. Igitur quando dixit Gellius, apud menſam legi ſolitum fuiſſe vetus carmen *Meliti* Poetæ, tu emenda *Melici*, & expone generaliter pro quolibet Poeta modulato & abſoluto, vel pro Lyrico. (x) Non me præterit *Melitum* nomen eſſe viri proprium, qui fuit unus ex accuſatoribus Socratis, & Socrati ob Poetas infeſtus, ut oſtendit Plato in Apologia, ſed in hoc loco Gelliano nequaquam de iſto *Melito* intelligere debemus, ſcilicet corrigere & exponere prout nos & correximus & expoſuimus. Marcus Cicero in epiſtolis ad Atticum uſurpat vetus proverbium, quod minime invulgatum eſt, ſic enim ſcribit: *Omnes enim Corycæi ſub auſcultare videntur*, *quod loquor*: Ubi *Corycei* pro *curioſis* accipiuntur ex vetuſtiſſima hiſtoria. Nam tradunt hiſtorici totam Cotici montis Aſiatici oram propter navigationem latronibus plenam fuiſſe, qui *Corycæi* dicuntur, qui novo genere inſidiarum utentes, diſperſi per potus ad mercatores, qui applicuiſſent furtim accedebant, & ſubauſcultabant, quid rerum ferrent, & quo navigarent, poſtea illis oram ſolventibus congregati eos adoriebantur, ac diripiebant. Ex quo omnes curioſos, & occulta ac ſecreta auſcultantes *Corycæos* appellamus & in proverbio dicimus *Corycæus auſcultobit*, cum quis facere vel dicere ſecreto vi-

(x) Melos Græcanica vox omnino quandoq; *armoniam* cujuſque generis, quandoq; inflexionem quamdam vocis denotat; quo ſenſu a *ritbmo melos* diverſus eſſe cenſetur, producta enim voce *ritbmus*, *melos* elata voce ſignatur; inde liquet Ariſtotelis ſenſus, qui ex Philopono nonnunquam melos cum armonia confundit, ſejungitq; nonnunquam ex Vincentio Gravina lib. italice inſcripto *Della Tragedia* Cap. XXVIII., ac ſeq.

videatur, quod minime lateat propter eos qui ſpeculantur, & ſcire ſtudent, quod non conveniat. Hujus hiſtoriæ & proverbii meminit Strabo in decimo quarto.

Apud eundem pertinax menda irroboravit libro Epiſtolarum ad Cælium Ædilem: in omnibus enim codicibus hæc verba paſſim leguntur: *Erat enim epiſtola veteranus civitatis*. Cujus clauſulæ quum nulla ſit ſententia, nulla ſit conſtructio, nos obſervatis curioſiſſime his epiſtolis, quas Cælius ad ipſum Ciceronem ſcribit ita emendavimus, ut pro *veteranus* legas *veternus*. Nam Cælius in quadam epiſtola quum Ciceroni ſignificare vellet, omnia Romæ frigeſcere, & pene ſopita quieſcere, ſic ſcripſit: *Niſi ergo cum taberuit & aquarit pugnarem, veternus civitatem occupaſſet*. Ad hanc epiſtolam reſpondens Cicero dixit: *Erat in eadem epiſtola veternus civitatis*, hoc eſt, hanc clauſulam epiſtola tua continebat, quod civitas Romana veterno occupabatur, hoc eſt, marcore & ſomno. Nemo enim vel mediocriter eruditus ignorat *veternum* morbum eſſe, in quo inexpugnabilis eſt pene dormiendi neceſſitas (quem lethargum Græci nominant) quod genus morbi acutum eſt (& ut inquit, Celius) niſi ſuccurratur celeriter jugulat. Reperies identidem fieri mentionem *veterni* apud veteres ſcriptores. Avicenna & medici recentiores hanc ægritudinem *ſubetum* appellitant, *a veterno veternoſus* derivatur. Cato *veternoſum hydropicum* intelligi voluit, quum ait: *Veternoſus quam maxime bibit*, tam maxime ſitit. Igitur legendum eſt apud Ciceronem: *veternus civitatis*, non autem *veteranus*: ut epiſtola epiſtolæ, res rei, verbum verbo Cæliano, reſpondeat.

Scribit Cicero in principio Antonianarum, ſe uſurpaſſe verbum græcum, quod in ſedandis diſcordiis uſurpaverat civitas Athenienſium. Quæri ſolet quodnam fuerit hoc verbum, & ad quas diſcordias ſedandas id uſurpaverint Athenienſes? Ego reperio hoc verbum a Græcis dici *amneſtiam*, quo oblivio injuriarum ſignificatur, de quo luculente hæc ſcripta eſt hiſtoria apud ſcriptores idoneos. Thraſybulum civitatem Athenarum oppreſſam a triginta Tyrannis in libertatem vindicaſſe, quum Atticos palabundos atq; diſperſos, quos ſæviſſimi Tyranni ex genitali ſolo expulerant, in patriam reduxiſſet, qui non minus prudentia ac moderatione uſus eſt, quam fortitudine ad cuncta pacificanda, pacemq; reconciliandam. Namq; is legem tulit, ne quis ante actarum rerum accuſaretur, ne qua præteritarum injuriarum mentio fieret, ne quis mulctaretur. Et hanc Athenienſes *Amneſtiam* vocaverunt, hoc eſt, legem oblivionis, qua concuſſus & labens Athenienſium Reipub. ſtatus in priſtinum habitum eſt revocatus. Cicero igitur quum poſt interfectum Julium Cæſarem jacere conaretur pacis fundamenta inter Romanos tumultuantes, dicit, ſe uſurpaſſe vetus verbum, hoc eſt, *Amneſtiam*, (y) ut ita oblivione ſempiterna memoria diſcordiarum deleretur, quemadmodum apud Athenienſes Thraſybuli conſilio factitatum fuerat, & ſe vetus exemplum Athenienſium renovaſſe commemorat, videlicet illud, quod jam de Thraſybulo retulimus. Scribit Flavius Vopiſcus in Aureliano: *Amneſtiam fuiſſe decretam exemplo Athenienſium*. Deinde ſubjungit: *Cujus rei & Tullius in Philippicis meminit*: haud dubie locum illum ſignans de quo jam diximus: nunquam enim alibi Tullius in totis Philippicis ullam mentionem facit de *Amneſtia*. Præte-

(y) Nimis fortaſſe acute natis Murerus ab hac opinione diſſentit Var. lect. l. 2. c. 15., Orationem autem Ciceronis habitam liquet in æde Telluris, ac de pace cum Antonio facienda, a Tullio diſputatum intelligimus Philip. 1. c. 1.; *In quo templo jeci fundamenta pacis*. Ea nunc eſt, ſicuti alia permulta, vetuſtate deperdita.

De

terea auctor eſt Paulus Oroſius Claudium Imperatorem Romanum in principio ſui ſtatus ultiones clementia oblivionem omnium dictorum ſactorumq; ſanxiſſe, & præclaram illam Athenienſium *Amneſtiam* confirmaſſe, quam Romæ inducere Julio Cæſare interfecto ſenatus Cicerone ſuadente tentaverat. Meminit illius quoq; oblivionis Tranquillus a Claudio ſancitæ omiſſo *Amneſtiæ nomine*.

Cicero in quadam ad Atticum epiſtola ſic ait: *Habes Scytalam Laconicam*, quo proverbialiter dicto ſignificare voluit, epiſtolam breviſſime concinnatam, & occulto ſignificatu obſcuratam, ſicut Lacedæmonii veteres facere conſueverunt, qui occultare volentes litteras publice ad Imperatores ſuos miſſas, ne ab hoſtibus exceptæ, conſilia ſua revelarent, epiſtolas mirando commento ſcriptas mittebant, namq; lorum tenuiſſimum ſurculo tereti, atq; oblongo complicabant, in eoq; loro litteras per tranſverſas junctarum oras inſcribebant: id lorum deinde ex ſurculo revolutum Imperatori ſuo mittebant. Qui hujuſce commenti conſcius, ſurculo compari, quem habebat lorum, conſimiliter circumplicabat, atq; ita literæ per ambitum eundem ſurculi coaleſcentes rurſum coibant, & ita integram & incorruptam epiſtolam, & facilem legi præſtabant. Hoc genus epiſtolæ Græce *Scytalæ Laconicæ*, *hoc eſt*, *Scytala Laconica* nuncupatur. (z) Auctores Gellius & Plutarchus in Lyſandro. Præterea in ſcribendo Lacedæmonii ſtylo breviſſimo uſi ſunt, qui *Laconiſmus* nuncupatur, quo in primis delectatus eſt Brutus. Unde ait Cicero in epiſtola ad Brutum: *ſed quia ago, non imitor Laconiſmum tuum*. Igitur Cicero cum exemplum epiſtolæ Marci Ant. ad ſe miſſæ inſeruiſſet epiſtolæ ad Atticum, dixit, habes *Scytalam Laconicam*, hoc eſt, epiſtolam brevitate Laconica perſcriptam, & ſuper rebus arcanis compoſitam, ſicut Lacones componere conſueverant. Poſſumus & ita commodiſſime exponere, ut dicit, Atticum poſſe facillime intelligere, atq; percipere ſententiam illius epiſtolæ Antonianæ, quam ad eum miſerat, tanquam habeat ſurculum illum Laconicum, in quo circumplicantes epiſtolas illo loro perſcriptas, ut ſupra dictum eſt, facile percipiebant, quicquid in epiſtola arcani abſconditiq; contineretur. Namq; *Scytala* utrumq; ſignificat, & epiſtolam & baculum illum teretem, cui epiſtola circumplicatur. Subnectamus huic loco illud, cujus adeo nuper in mentem venit, quod depravatum eſt apud eundem Ciceronem in ſecundo de Oratore, in quo hæc Craſſi verba referuntur: *Sed dices te cum ædes venderet, ne in ruptis quidem & cæcis ſolum tibi paternum reliquiſſe*. Ubi non *ruptis* & *cæcis* legendum eſt, ſed *ruptis* & *cæſis* quæ verba cum non ab omnibus perciperentur, errorem pepererunt, mendamq; fecerunt frequentiſſimam, in codicibus Ciceronianis. Antiqui enim *rupta cæſa* dixerunt, quæ venditor poſſeſſionis ſui uſus gratia concidit, tuendoq; contraxit. Illud quoq; apud eundem in tertio de Oratore emendandum eſt, ut pro *ceram emendes terram*: Ita enim ſcriptum legitur: *Magis laudari unguentum quod ceram, quam quod crocum olere videatur*, nos docente Plinio non *ceram* ſed *terram* didicimus eſſe legendum, qui libro trigeſimo ſeptimo loquens de generibus terrarum hujus loci Ciceroniani meminit, eumq; elegantiſſime declaravit, docens, qualis ſit terræ odor ille, qui in unguentis a Cicerone probatur. Ait enim terram tunc emit-

(z) De Scytala laconum Corn. Nep. in Pauſan. t. t. t. *Id poſtquam Lacedæmonii reſciverunt, legatos ad eum cum Scytala miſerunt: in qua more illorum erat ſcriptum, niſi domum reverteretur, ſe capitis eum damnaturos*: Scytalam autem Græco vocabulo ortam ΣΚΥΤΟΣ, idem pene ac ξύω, quod olim ſcribebant σκύω, quia radendo expolitur ait Cornel. Schrevel.

Ca-

emittere illum ſuum halitum divinum ex ſole conceptum, cui odori comparari nulla ſuavitas poſſit, quum arcus cœleſtis capita ſua dejecerit quieſcente terra ſub occaſu ſolis, & quum a ſiccitate continua immaduerit imbre.

Idem Cicero in ſexto Verrinarum, cui titulus eſt de ſignis ita ſcriptum reliquit. *Habe Canephoras deorum ſimulacra reſtitue*. Ubi verbo Græco *virgines Canephoras* appellat, quæ more Attico ſacra in ciſtulis repoſita capitibus ſuſtinebant. *Cana* enim græci dicunt quæ nos *Caniſtra* & per diminutionem *Caniſtella*, unde *Canephoræ* appellantur, quæ ſacra hujuſcemodi vaſculis recondita capite ferebant, de quibus ſenſiſſe Horatium autumat Porphyrio, enarrans illud in primo ſermonum:

Perſæpe velut qui Junonis ſacra ferret.

Nam Canephorarum lentiſſimus erat gradus portantium ſacra Junonis. De Canephoris, ſcribit Dionyſius Halicarnaſſeus in primo, cujus interpres pro *Canephora* interpretatus eſt *Caniſtrifera*. Idem in 11. ait, ſic: *Quæcunq; hæ, quæ Canephoræ, & Arephoræ dicuntur, miniſtrant in ſacris græcis*. Hæ quoque apud Romanos ſic appellatæ; (*a*) Scribit Plinius libro trigeſimo ſexto ſcopam feciſſe Apollinem Palatinum, Veſtam ſedentem laudatam in Serviliania hortis, duaſque Chameteras circa eam, quarum partes in Aſinj monumentis ſunt: Ubi & *Canephorus* ejuſdem Plinius *Canephorum* (*b*) accipit pro eo, qui capite geſtat ſacra, ut jam docuimus. *Chameteræ* autem ſi id quoq; ſcire deſideras, dicuntur humiles depreſſæq; imagines, *Chame* enim græcorum adverbium *humi* ſignat latine, unde *Chameteræ* derivantur. Senſus igitur Ciceronis hic eſt: Verrem admonet, qui ex ſacrario Heii Mamertini abſtulerat imagines Deorum, cum duobus aliis ſimulacris ſacra in capite ſuſtinentibus, ut reſtituar ſimulacra Deorum, quæ religionis cauſſa comparaverat, & ſibi habeat *Canephoras*, hoc eſt, illa duo ſigna, quam eximia venuſtate habituq; virginali Polyctetus fabrefecerat quæ Hejus Mamertinus in ſacrario ornamenti cauſſa collocaverat.

Apud eundem in Oratione pro Roſcio Amerino mendoſum verbum, quo tota ſententia obſcuratur, emendavimus: Verba Ciceronis hæc ſunt: *Decem horis nocturnis, ſex & L. millia paſſuum ciſtis pervolavit*: Nos pro *Ciſtis* correximus *Ciſiis*. Eſt autem *Ciſium* genus vehiculi biroti ut inquit, Nonius, a quo *Ciſiarius* dictus, ipſe *Carrucarius* ſive *Rhedarius*: hoc eſt, ipſius *Ciſii auriga*: quo verbo uſus eſt Juriſconſultus, qui ſic ſcribit libro digeſtorum, xx. in titulo locati & conductis: *Si Ciſiarius, dum ceteros tranſire contendit, ciſium evertit, & ſervum quaſſavit vel occidit, puto ex locati eſſe in eum actionem*. *Ciſii* meminit Auſonius illo verſiculo:

Vel Ciſio trijugi ſi places inſilias:

quamvis impreſſores non *Ciſio* impreſſerunt, ſed *Ciſo* corrupto vocabulo & ſenſu. Hanc dictionem uſurpat ipſe Cicero in ſecunda Philippica ſic

---

(a) Canephoras Ovid. 11. 711. memorat:

Illa forte die caſtæ de more puellæ
Vertice ſuppoſita feſtas in Palladis arces
Pura coronatis portabant ſacra caniſtris.

Duas autem ciſtas capite ſuſtinentes ferre dicebantur, in quarum altera flores, ſpicas in altera partabant. De his meminit Cicer. in Verr. IV. 3. *Erant aneo præterea duo ſigna, non maxima, verum eximia venuſtate, virginali habitu, atque veſtitu, quæ manibus ſublatis ſacra quædam more Athenienſium virginum repoſita in capitibus ſuſtinebant. Canephoræ ipſæ vocabantur.*

(b) *Canephoros* nonnulli Græca terminatione κανηφόρος legunt; malim ego accuratius cum Plinio lib. 36. c. v. circa med. *canephorum* reddi latina ſignificatione,

ſic ſcribens: *Delituit in quadam cauponula, atq; ſe ibi occultans perpotavit ad veſperum, inde ciſio ad urbem celeriter advectus domum venit capite involuto.* Hic quoq; impreſſores peccaverunt, nam ubi ſcribendum erat *ciſio* impreſſerunt *caſſia*, qui tamen error non tam impreſſoribus eſt aſcribendus quam correctoribus, qui per *viam Caſſiam* exiſtimarunt ad urbem Antonium pervolaſſe. Non me præterit *Caſſiæ viæ* mentionem fieri apud luculentos ſcriptores quam ſtravit Caſſius, ſed in eo Ciceronis loco, *Ciſio* legendum eſt, quod etiam Nonii auctoritate corroboratur. Jam clarum eſt, ut opinor, quid ſignificare voluerit Cicero dicens: *Nuncium velocem ciſii pervolaſſe*, qui ſcilicet in curru vehebatur expeditiſſimo. Quod autem vehiculo nuntius ille tantum itineris una nocte confecerit, idem paulo poſt apertius ſignificat his verbis: *Non adeſt iſte Titus Roſcius, non ſuis manibus, in curru collocat Automedontem illum, ſui ſceleris, acerbiſſimæ neſariæq; victoriæ nuntium.*

Aulus Gellius libro noctium Atticarum 9. deſcribens ceremonias Flaminicæ Dialis, ita inquit: *Cum it ad Argæos, neq; comit caput, neq; capillos depectit.* Quæri ſolet a ſtudioſis Gellianæ doctrinæ quid ſignificet *Argæos*, quæ dictio quum nodum habeat, enodanda eſt a nobis, prout ex mutis (ut ajunt) magiſtris accepimus. Apud Romanos antiquitus Pontifices ac virgines Veſtales cum Flamminica Diali aliiſq; religione initiatis, ſimulacra ad imaginem hominum fabricata præcipitabant in Tyberim ex ponte ſublicio, idque fiebat Idibus Majis, appellabantq; talia ſimulacra *Argæos*, ut Dionyſius Halicarnaſſeus docet in primo, & auctor eſt Plutarchus in problematis, qui quærit quare ejuſmodi imagines *Argæi* nuncuparentur, traditq; antiquis temporibus barbaros ea loca incolentes, Græcos quos cœperant, in Tyberim præcipitare conſueviſſe. Hercules deinde, quod etiam memorat Dionyſius illos edocuit, ut pro hominibus ſimulacra in flumen abjicerent, qui *Argæi* nominabantur, quoniam veteres Græcos omnes, Argivos communiter appellaverunt. Hiſtoriam Macrobius paulo immutare videtur in primo Saturnalium, his verbis: *Epicadus refert Herculem occiſo Gerione cum victor boves per Italiam duxiſſet, ponte (qui nunc ſublicius dicitur) ad tempus inſtructo, hominum ſimulacra pro numero ſociorum quos caſu peregrinationis amiſerat, in fluvium demiſiſſe, ut aqua in mare devecta pro corporibus defunctorum, veluti patriis ſedibus redderentur.* Hactenus Macrobius. De *Argæis* ita ſcriptum eſt apud Feſtum: *Argæos vocabant ſcirpeas effigies, quæ per virgines Veſtales jaciebantur in Tyberim.* De his intellexit Livius ſic ſcribens libro de urbe condita primo: *Multa alia ſacrificia locaq; ſacris faciendis, quæ Argæos Pontifices vocant dedicavit.* *Argæorum* meminit Marcus Varro, cujus hæc ſunt verba ex Latinæ linguæ libris ſcripta: *Argæi fiunt ex ſcirpeis virgultis, ſimulacra ſunt hominum 30., ea quotannis ponte ſublicio a ſacerdotibus publice dejici ſolent in Tyberim.* De *Argæis* intellexit Ovidius in Faſtis, quamvis *Argæos* non nominaverit: his verſibus:

Tunc quoq; priſcorum virgo ſimulacra virorum
Mittere roboreo, ſcirpea ponte ſolet.

Ubi *ſimulacra ſcirpea* haud dubie pro *Argæis* (c) accipiuntur, & pro *ponte* ro-

(c) Argæi ducto ab Argivis nomine & loca quædam Romæ appellabantur, quod in iis ſepulti eſſent Argivorum illuſtres quidam viri, qui cum Hercule Argivo Romam venerant, & in Saturnia ſubſederant ex Feſt. Liv. i. ſ. c. 21. Argæorum genus memorat Horat. carm. II. VI.
Tibur Argæo poſitum Colono,
Sit meæ ſedes utinam ſenectæ,
Sit modus laſſo, maris, & viarum
Militiæq;.

roboreo pons ſublicius ſignificatur, hoc eſt, *ligneus*, quoniam ſine ferro, clavo conſtructus fuerat, ut meminit Plinius libro 36.

Apud Plinium libro ſecundo naturalis hiſtoriæ verbum vetus eſt, neque protritum, neq; invulgatum, ita ſcribentem: *Niſi terra in medio eſſet, æquales dies noctesq; habere non poſſe deprehenderunt & dioptræ*. Ut autem intelligas, quid *dioptræ* ſignificent ſcio *dioptras* eſſe regulas, quibus antiqui utebantur ad aquas librandas, ut docet Vitruvius architectus, qui ſic ſcribit lib. 8. de architectura, *libratur aqua dioptris, aut chorobate*. Ideo alibi ab eodem *dioptræ librativæ* cognominantur. *Chorobates* autem, ſi id ſcire deſideras, eſt regula longa circiter pedes 20. quæ habet tranſverſaria. Ait itaq; Plinius ex *dioptris*, hoc eſt, regulis illis librationis deprehenſum eſſe, terram habere non poſſe æquinoctia, niſi eſſet mundi media.

Idem in 7. ait: *Grammatica Apollodorus enituit, cui Amphyctiones Græciæ honorem habuerunt*. Si qui ſunt, qui neſciant quid ſignificent *Amphyctiones*, illi ex nobis diſcant *Amphictiones* eſſe publicum Græciæ concilium, ut ſcribit Cicero in Rhetoricis. Et meminit idem Plinius in 35. Unde *decreta Amphyctionum* citat Demoſthenes in Oratione pro Cteſiphonte. Conſtabat autem conventus *Amphyctionum* juriſdictiones daclaraſſe, & civitates decreviſſe, quæ ad id concilium communiter accederent. Quidam non 7. ſed 12. civitates conveniſſe tradunt ad *Amphyctionum* commune *concilium*, quæ bis in anno ſinguiæ legatum mittebant ad concilium, quem *pilagoram* vocabant. Poſtea etiam plures convenere civitates, ſynodus etiam ipſa *pylea* nuncupabatur, quoniam ad *pylas* congregabantur, hoc eſt, ad portas, quæ nunc *thermopylæ* dicuntur. *Pylagoræ* autem, hoc eſt, ipſi legati, Deæ Cereri ſacrificabant. Unde autem *Amphyctionum* nomen ductum ſit, docet Dionyſius, qui ſic ait in 14. *Amphyctionem Heleni filium commentum eſſe Amphyctionicum concilium, cui ab ipſius nomine nomen indiderunt*. Idem leges conſtituit, quas *Amphyctionicas* vocant, quibus ad concordiam amicitiamq; inter ipſos colendam invitabantur. Deniq; quotieſcunq; *Amphyctionum* mentionem fieri reperies apud veteres ſcriptores, reperies autem ſæpiſſime, in hoc ſignificatu ſemper accipito.

Apud eundem hæc verba paſſim leguntur libro 7. *magnum propter venatum eorum in terris gratia eſt*. Nos dictionem vulgariam, & in hoc loco Pliniano nihil ſignificantem expunximus, & in ejus locum latiniſſimam vetuſtiſſimamq; ſubſtituimus, Nam pro *in terris* emendavimus *Viverris*. Sunt autem *Viverræ* (*d*) ruſticæ muſtelæ, quas Græci *Ictidas* vocant, quibus oſſea ſunt genitalia, ſicut docet Ariſtot. 2. de animalibus: Et repetitum eſt a Plinio in 11. qui in 29. muſtelas ſylveſtres a Græcis vocari *Ictides* tradit *Ictida* autem Theodorus Gaza interpres Ariſtotelis doctiſſimus *Viverram* interpretatur. Senſus itaq; Plinianus hic erit: *Viverras* eſſe in magna exiſtimatione apud Balearicos propter venatum cuniculorum. Namq; , ut ſubdidit idem Plinius injiciunt *Viverras* in ſpecus, qui ſunt multifores, atq; ejectos ſuperne capiunt. Legatur ergo *Viverris*, quæ ſententia eſt luculenta & Plinio accommodata, & illud *in terris* deleatur, quo & eloquutio & ſenſus dehoneſtantur.

Apud eundem lib. 15. Locus eſt reconditus, nec a quo intellectus fuerit hac tempeſtate, ſatis animadverto. Verba Plinii hæc ſunt de ficis ſcribentis:

Ex

(d) Ex genere Muſtelarum Viverra latine, græce γαλῆ, ſive ΙΚΤΙΣ exiguum animalculum, quo ad cuniculos ex antris expellendos venatores uti conſuevere; muſtela Ruſtica, quæ candidior eſt; nam eam, quæ ſub ventre ruſeſcit, marem appellant. Plin. l. 8. c. 55. de cuniculis.

De

Ex hoc genere ſunt, ut diximus, cotona, & caricæ, quæq; conſcendenti navim adverſus Parthos omen fecere. M. Craſſo venales prædicantis voce Canneæ. Hiſturia quam ſignat Plinius a nullo hiſtoricorum, quod equidem ſciam, tradita eſt, nec ex ipſo Plinio percipere poſſumus, quomodo *fici Canneæ* omen fecerint M. Craſſo proficiſcenti ad Parthicam expeditionem. Ego ab uno Cicerone hunc locum declararum eſſe perſpexi his pauciſſimis verbis, quæ ſunt ab eo ſcripta, lib. 1. de divinatione. *Quum M. Craſſus exercitum Brunduſii imponeret, quidam in portica caricas Cauno advectas vendens Canneas clamitabat. Dicamus, ſi placet, monitum ab eo Craſſum caveret ne iret, non fuiſſe periturum.* Hæc Marci Tullii verba, ſiquis diligenter penſitaverit, & judicio præſentiſſimo perſpexerit, profecto Plinianam ſententiam alioquin ſubobſcuram perſpiciet, cujus hic eſt ſenſus: E genere ficorum ſunt *Conneæ* ex Inſula *Canno* advectæ, quas venditor *Canneas* clamabat, quando Craſſus ex portu Brunduſino navem conſcendere cum exercitu moliebatur. Hoc nomine *Conneas*, venditor intelligebat ſe habere ficos venales ex *Canno* deportatas: Qui vero omina obſervant, id verbum, *Canneas*, malum nomen portendere Craſſo dixerunt, quaſi ſignificare vellet, *Canneas, Cave ne eas*, & ita interpretabantur ob hanc vocem, *Canneas*, monitum eſſe Craſſum ab eo venditore ficorum, caveret ne iret ſcilicet ad Parthicum bellum. Hoc eſt ergo, quod ait Plinius, *Canneos* venales voce proclamantis feciſſe omen Craſſo, quia *Canneos* ſignificare videtur *Cave ne eos*. *Caunus* autem, unde fici *Canneæ* nuncupantur, civitas eſt & æſtate & autumno peſtilens, propter æſtus ac pomorum copiam, unde Cauni coloni admudum virides pallenteſque exſiſtunt, in quos olim Stratonicus cytharœdus verſu Homerico ita jocatus eſt:

Tale quidem genus eſt hominum, quale eſt foliorum.

Fuerunt *Caunii* Rhodiis ſubjecti, a quibus aliquando defciverunt. Molo Orationem ſcripſit adverſus *Caunos*. Scribit Plinius in *Cauno* gigni homines lienoſos.

In 25. ubi de Helleboro loquitur menda eſt his verbis, *Aliqui paſtores eodem nomine inveniſſe tradunt capras purgari, paſtore illo animadvertente, dataq; lacte earum ſanaſſe parotidas furentes.* In hoc enim loco dictio illa *paratidas* adulterina eſt, & ab incurioſis ſuppoſita pro *Prætidas*. Namq; Plinius eo in loco intelligi vult, *Prætidas* illas, hoc eſt, *Præti filias* carminibus Poetarum celebratas, quum furore agitarentur fuiſſe ſanatas Helleboro a Melampode divinationis arte clariſſimo, a cujus nomine unum Hellebori genus appellatur *Melampodion*. De hac Melampodis curatione meminit Vitruvius in 8. de architectura ſic ſcribens: *Apud fontem Clitorium Melampus purgavit, Præti filias, reſtituitq; eorum mentes in priſtinam ſanitatem*: Et Ovidius in 15. metamorphoſeos, cum de *fonte Clitorio* loqueretur, cujus aqua epota facit abſtemios ita ſubjunxit:

Sive quod indigenæ memorant Amythaone natus
Prætidas attonitas poſtquam per carmen & herbas,
Eripuit furiis purgamina mentis, in illas
Miſit aquas, odiumq; meri permanſit in undis.

Servius quoq; enarrans illud. Virgilianum:

Prætides implerunt falſis mugitibus agros:

fabuloſe ſcripſit illas Junonis iracundia ac inſania fuiſſe vexatas, ut ſe vaccas putarent, adeo ut plerumq; gemerent, & aratra formidarent, quas Melampus poſtea purgaſſe perhibetur. Addit Probus *Prætidas* ob hanc dementiam patriam Argos reliquiſſe. His itaq; argumentis ſubnixi aſſeveramus, legendum eſſe *Prætidas* non *Parotidas* apud Plinium tradentem qua medicina ſanaverit *Melampus Prætidas furentes*; Cujus rei etiam meminimus in Propertii commentariis. Non inficior *Parotidas* identidem ab eodem memorari pro

ſo-

tuberculis, quæ ut auctor eſt Celſus in ſexto, ſub auribus oriri ſolent. Sicut & nomen ipſum declarat. *Para* enim Græce *apud* ſignat, & *Ota*, *aures* dicuntur, unde *Parotides* nuncupantur, ſed haud quaquam in hoc loco apud Plinium *Parotidas* legere debemus, ſed ut jam docuimus *Prætidas*. (*e*) Solent etiam juxta dentes in gingivis oriri *dolentia*, quas Græci *Parotidas* appellant, quarum remedia diligentiſſime ſcribit Celſus.

In eodem 25. eodemq; capite mendoſa dictio eſt his verbis: *Plurimum Helleborum naſcitur in Oeta monte optimum uno ejus loco circa Epirum.* Nuſquam legimus locum eſſe in *Octa monte Epirum nuncupatum*, nec *Epiritica regio Oetæ* propinqua eſt, quo circa Theophraſti auctoritate confiſi *Pyram* pro *Epirum* emendavimus, a quo Plinium hunc locum tranſtuliſſe facile cognoſcas, ſi Theophraſti librum nonum de plantis cum hoc Pliniano contuleris, in quo cuncta ferme leguntur de helleboro, quæ memorat Plin. & hæc inprimis: *Plurimus helleborus optimuſq; eo proveait loco, non tamen ubiq; ſed parte una tantummodo Oetæ quam Pyram vocant*. Ex his liquido apparet *Pyram* legendum eſſe, non *Epirum*. Cur autem locus ille in *Oeta monte Pyra* nuncupetur, docet Livius libro 6. Cujus hæc ſunt verba: *M. Attilius Oetam aſcendit, Herculiq; ſacrificium fecit in eo loco, quem Pyram (quod ibi mortale Dei corpus crematum ſit) appellant*: Fabula eſt *Olyram* fluvium Herculis rogum extinguere conatum eſſe, una cum altero fluvio nomine *Mella*: Cujus rei meminit Strabo in nono Geographiæ. Sed hactenus de Plinianis mendis & obſcuritatibus, quæ omnia ferme peculiari volumine privatim annutamus, quod (ut ſperamus) neq; inutile neq; injucundum erit ſectatoribus Plinianæ eruditionis: Sed jam ad alios tranſeamus.

Apulejus Madaurenſis plurimis ſcatet mendis, propterea quod plurimi ejus lectionis ſunt infrequentes, quæ res ſcriptorem lucilentum atq; eruditum nun ſulum reddit ſcrupuloſum, ſed etiam in dies magis mendoſum facit. Etenim ut in præſentiarum pauca ex plurimis depravata attingam, quæ ſuccurrunt: Nonne in primo de *Aſino aureo* mendum eſt, quod correctoras diſſimulantes prætesierunt? Verba Apulei hæc ſunt de Theſeo ſcribentis: *Non eſt aſpernatus ales anus hoſpitium tenue*. Truncatum verbum eſt *oles*, cujus nullus eſt ſenſus, nulla exſtat hiſtoria. Nos *pro ales Hecales* emendavimus, ſequuti ſcriptores idoneos, qui tradunt vetulam ruſticam nomine *Hecalea* hoſpitiolo Theſeum ſuſcepiſſe quæ illo ad bellum proficiſcente vovit, ſe Jovi immolaturam ſi incolumis rediiſſet in patriam, verum ante reditum illius exſtincta eſt. Cujus cadaveri dum in rogo ſemiuſtulatum eſſet, Theſeus ſuperveniſſe fertur, unde a Poeta in Priapeis, *Hacalen* hanc ſignificante dictum eſt:

Æqualis tibi quam domum revertens
Theſeus repperit in rogo jacentem.

De Hecale ſcribit Plutarchus in Theſeo. *Hecales* hoſpitium apud Græcos celebrat Callimacus, qui ſcripſit *Hecaleſta* cujus teſtimonium citat Plinius in 12. In quo loco Impreſſores, nequid acerbius dicam incorrectores, pro *Hecale*, *Hecate* impreſſerunt. Plinii verba ſubjeci, quæ hæc ſunt: *Eſtur*, *& fonceor*, *ut quem Theſeo apud Callimachum ponat Hecale*, *cante uterq; albus & niger*. Idem Plin. 26. cum *de Cresbmo* herba loqueretur quæ inter eas eſt quæ edantur ſylveſtrium herbarum, ita ſubjunxit: *Hanc certe apud Challimachum apponit ruſtico illa Hecale*. Quum de hac igitur intelligat Apulejus, legendum eſt *Hecales* anus, & illud *ales* obelo confodiendum.

Apud

(*e*) Plinianum hunc locum eadem ratione emendat Politianus, non *Parotidas*, verum *Prætidas* accuratius legens, earumq; genus, inſaniam, purgationemq; fuſius proſequitur. Illum conſule, ſi iubet Miſcellan. Cap. L.

Digitized by Google

Apud eundem, pro *laniena lanien* paſſim legitur, nullo ſenſu nulla conſtructione, nulla latinitate ſervata, ita n. impreſſerunt: *Ne neſarius homicida totam ædium lanien, quam cruenter exercuit, impune commiſerit*. Quis non videt dictionem eſſe inverſam? & *lanien* pro *lanienam* fuiſſe perſcriptum? quæ dictio peculiaris eſt ipſius Apulei, & ſignat quandam quaſi *laniationem*. Auctor eſt M. Varro libro primo de Analogia *Lanienam* locum eſſe ubi caro venditur, quod vulgo *macellum* appellatur. Sicut *Pelleſuinam* antiqui vocirarunt, ubi pelles veneunt, videturq; dicta eſſe *laniena* a *laniando*, unde & *lanii* dicti qui laniant pecora, & *laniſtæ*, qui laniandis præſunt gladiatoribus.

Idem libro floridorum primo ita ſcribit: *Si mimus eſt riſeris, funere plus timueris, ſi comœdia eſt faveris, ſi philoſophus didiceris*. Fateor me ignorare quid ſignificet funere *plus timueris*. Quod ſi ita legatur, Apulejus ipſe talia ſe ſcripſiſſe inficiabitur, & iovenuſtam inſulſamq; eloquutionem aſpernabitur, nos pro *funere plus* emendavimus *Funepeus*. Significat a. *Funepeus* eum, qui graditur per funes, quem Latini vocat *Funambulum*, Græci *Schœnobaten*, quæ vox jam pro Latina recepra eſt. Primus Meſſala (ut autumat Porphyrio) pro *Schœnobate* dixit *Funambulum*, qua dictiooe uſus eſt & Terentius in Hecyra. Senſus eſt Apuleji: Spectatores ridere ſi mioimum in Theatro ſpectaverint Hiſtrioniam exercentem, timere vero ſi *Funepeum* animadverterint per funes cum periculo ambulantem, tanquam jam jam lapſurus ſit. Alibi idem Apulejus uſus eſt hac dictione ſic ſcribens: *Comœdus ſermocinatur, Tragœdus vociferatur, Funepeus periclitatur*.

Illud quoq; indiget interpretationis, quod ab eodem in Epilogia ſcriptum eſt ex Homero translatum: *Nec Ulyſſes ſcrobem, nec Æolus follem, nec crateram aliquo piſculenta medicavit*. Ad horum verborum enarrationem inſpicienda ſunt illa, quæ de *Ulyſſe*, quæ de *Æolo*, quæ de *Helena* tradit Homerus, apud quem legimus in 11. Odyſſeæ *Ulyſſem*, Circes conſilio ad inferos demeaſſe, & ſcrobem effodiſſe menſura quoquoverſum cubitali atque in ea manibus defunctorum ſacrificaſſe mulſo, vino dulci, aqua, pulentaque commixtis, quæ ovium mactatarum cruore repleverit, atq; ita facta eſt manium evocatio per ſcrobem. Et hunc Homeri verſum æmulatus Sylius luculente ſcribit libro 13. Scipionem ad evocandos manes juſſu Sibyllæ Cumanæ feciſſe ſcrobem, & humo refoſſa deſuper mella, vinum & lac fudiſſe cum immolatione bidentum: (*f*) Hactenus de Ulyſſis ſcrobe. *Æolus* vero quem non ſolum poetæ, ſed & hiſtorici ventorum regem eſſe dixerunt, utrem *Ulyſſi* dedit ventoſiſſimum, quo ſcilicet ventos omnes incluſerat præter Zephyrum, ut illo flante domum claſſe ſociiſq; ſuperſtitibus deportaretur. Hunc autem follem catena argentea arctiſſime alligatum Ulyſſis ſocii reſolverunt, theſaurum incluſum arbitrantes, ut cecinit in 10. Odyſſeæ, & ab Ovidio repetitum eſt in 13. metamorphoſeos. Quod vero ad *Helenæ* crateram pertinet, propter quem locum ad hæc acceſſimus enarranda, ſcire debes, quemadmodum apud Homerum in 4. Odiſſeæ, *Helena* Telemacho Ulyſſis filio deſiderio patris comploranti cra-

(f) Similitudinem fortaſſe quamdam ejuſmodi *Hoſtiæ* gerunt *furvarum*, quas *Parcis* immolatas liquet veterum ſcriptorum teſtimoniis, quibus præcipue bidentes, capraſq; oblatas novimus ex præcepto ludorum ſæcularium, quo tempore Parcis, faciebant priſci:

Deinde tu affere
Sacrificia omnigeneribus Parcis oves, & capras
Furvas.

Plurima alia lege apud Euſtath. in Homerum, ac Taſſin. de lud. ſæcul. c. 10, §. 3.

crateram propinavit, in qua nobile illud Pharmacum vino commiſcuit, quod *nepenthes* appellant quaſi ſine luctu: *ne* enim privationem ſignificat, & *penthos* luctum. Hujus enim efficaciſſima vis eſt ad triſtitiam animi auferendam, & oblivionem mœrorum omnium conciliandam. Hoc autem luctus medicamentum Helenæ dono dederat Polydamia Thonis Regis Ægypti conjux, qui Menelaum & Helenam hoſpitio ſuſcepit. Hujus pharmaci ab Homerica Helena Telemacho propinati, meminit Plinius lib. 25. his verbis: *Herbas certe Ægyptias ab regis uxore traditas ſuæ Helenæ plurimas narrat Homerus, ac nobile illud nepenthes oblivionem triſtitiæ veniamq; afferens, & ab Helena utiq; omnibus mortalibus propinandum*. Idem in 23. *nepenthes hoc mellitum nil aliud fuiſſe, quam vinum ſentire videtur, quod curas diſſipat, & ſecuritatibus eſt accommodatum. Unde de vino ita ſcripſit, jamq; dudum hoc fuit, quod Homerica Helena illa ante cibum adminiſtravit*. Macrobius vero hoc remedium mœroris, quod Helena vino miſcuerit, interpretatur eſſe *dulcedinem ſermocinationis*, quæ non minus hilarare ſolet convivium, quam vini ſuavitas. Verba Macrobii ex libro Saturnaliium noviſſimo hæc ſunt tranſcripta: *Si Homeri latentem prudentiam inſcruteris altius, delinimentum illud quod Helena miſcuit, non herba fuit, non ex India ſuccus, ſed narrandi opportunitas, quæ hoſpitem mœroris oblitum flexit ad gaudium*. Meminerunt hujus quoque *nepenthis Homerici Herodotus in Euterpe*, Diodorus in ſecundo, & Strabo libro ultimo Geographiæ. Igitur Apulejus, ut jam illius eruditiſſimi ſcriptoris verba explicemus, ad refutanda argumenta accuſatorum, qui piſces eum quæſiſſe ad magiam exercendam objiciebant, oſtendit auctoritate Homeri piſces magiæ celebrandæ adhiberi non ſolere, quum Homerus ſcribat nihil piſculentum adhibitum fuiſſe ab *Ulyſſe* ad ſcrobem illam, qua manes evocavit, nec ab *Æolo*, ad follem illum, quo ventos incluſit, nec ab *Helenæ* ad crateram illam, qua Telemacho *nepenthes*, hoc eſt, luctus delinimentum propinavit, & ita docet falſam fuiſſe accuſatorum criminationem, quum nihil negotii ſit mago cum piſcibus.

Idem in nominum ſimilitudinem jocabundus ita ſcripſit: *Poteſt cancer ad ulcera alga ad Quercerum*. (g) Quod primo loco poſuit ſatis apertum eſt, quod poſtremo non ſatis, quocirca ſcito *Quercerum* dici frigidum cum tremore, qua dictione rarenter uſi ſunt recentiores ſcriptores, frequenter vero vetuſtiſſimi, ut Lucilius & Plautus. Præterea ita ſcripſit Aulus Gellius libro ultimo noctium Atticarum: *An tu forſe morbum appellari hic putas ægrotationem gravem, cum febri rabida & Quercera*: Quibus verbis febrem ſignificat frigidam cum horrore, quando totum corpus intremiſcit, quæ gravis eſt ægrotatio. Præterea antiqui auctore Feſto *Quercerum* dixerunt gravem & magnam. Alga vero res notiſſima eſt, cujus meminit Plinius in 15. Senſus Apuleji hic eſt, ſi ex vocabulo ſuſpiciones ducuntur, poterit ſimiliter propter nominum ſi-

(g) *Querquerum* pro *Quercero* in Lex. Etym. Voſſ. conſcripſit; lubet hic Feſti verba apponere, qui ejuſmodi feriem morbi ſedulo enarrat. *Querqueram febrem, gravem, & magnam, nam quidam quercum dictam volunt, quod id genus arboris, quum grave ſit ac durum, tum etiam in ingentem evadat altitudinem. Aurelius autem Opilius frigidam ait dici, & cum horrore tremorem. Santra eam ex Græco deducit, qui tremorem hujuſmodi* Κάρκαρον *dicunt. Unde dici etiam carcerem. Plautus in Frivolaria:*

Is mihi erat bilis, aqua intercus, tuſſis, febris querquera.

Hæc Feſtus. Lucilius ſubinde.

Jactans me ut Febris querquera terret:

Voſſ. conſulat, qui plura quærit, id mali genus fuſius ibi deſcribit loc. cit.

Se-

ſimilitudinem *cancer marinus* accommodari ad ulcus, qui *cancer* nuncupatur, & *alga* quæ ab algore, hoc eſt, frigore derivari videtur, accommodabitur ad *Quercerum*, hoc eſt, febrem frigidam, & gravem, quemadmodum & *calculus* hac ratione poſſet videri idoneus ad veſicam hominis calculoſi. Si in manum ſumſeris ipſum Apulejum, facilius percipies, in quem ſenſum iſta dicantur. Nobis ſatis ſit declaraſſe quomodo *alga ad Quercerum* accommodari poſſit. Sed antequam ad alios tranſeamus illud quoq; quod eſt in primo de aſino declaremus: *ſaccariam faciens metebam*. Lego apud Juriſconſultos libro Digeſtorum 16. *Saccariam negotiatione* nuncuparia nomine *ſagorum*, quando ſcilicet *ſaga & id* genus veſtimenta mercamur, ut in diſtrahendo lucrum faciamus, ille itaq; eleganter dicitur *facere ſagariam* qui exercet hoc genus mercimonii, unde exiſtimo apud Apulejum legendum eſſe *ſagariam* ab hujuſmodi negotiatione. Quod *ſi ſaccariam* legis ſignificabit mercaturam *saccarum*, & ita accipitur pro negatione viliori, *ſive ſaccariam* legas ut impreſſi codices habent, ſive *ſagariam*, ut mihi legendum eſſe videtur, & ita *ſagaria* abſolute dicetur. Sicut *argentariam & pyraticam*, & *fabricam* dicimus, quamvis an *pyratica* ita dici poſſit, ut *fabrica*, dubitaverint Quintiliani præceptores.

Apud Pedianum Aſconium doctiſſimum Ciceronis interpretem, multa mendoſa & mutilata repetiuntur: Sed interim illius loci venit in mentem, qui legitur in oratione contra Piſonem: *Minimeq; in Sicilia cum equitatu tranſierat ad nos, civitatem Romæ datam, ædeſq; & pecuniam ex ærario*. Hiſtoria haud dubie hoc in loco ſignificatur, ſed illa dictio *minime*, valde lectorem perturbat, ſententiamq; corrumpit, quis enim quæſo unquam legit civitatem Romanam donatam homini nomine *minime*, quum adverbia nuſquam pro nominibus propriis mortalibus imponantur, nos autem re diligenter penſitata pro *minime* correximus *Mutinæ*. Sicut ab Auſonio traditum eſſe proculdubio exiſtimamus. Fuit autem *Mutines* vir impiger, & ſub magiſtro Hannibale omnem belli artem edoctus, cujus virtus quum in Sicilia contra Romanos enituiſſet, formidoloſa eſſe cœpit Duci Pœnorum Annoni, cujus famæ Mutinis gloria officiebat, unde quum injuriis afficeretur præfectura ſpoliatus tranſivit ad Romanos tradito prius *Agrigento*, quæ cauſſa fuit, ut omnis repente Sicilia ad Romanos inclinaret; ob hæc merita *Mutinæ* in ſenatum Romanum introducto, honores habiti ſunt, & ipſe civis Romanus factus eſt. hæc traduntur a Livio diſperſim libro 25. 26. 27. ab origine urbis: Et de hoc *Mutine* hoc in loco intellexit Aſconius illum quoq; locum qui eſt in oratione pro Scauro: *Capiſtra ſub toga cinctus* emendavimus *campeſtri* ſuper quo affatim ſcripſimus in Propertii commentariis. Idem in interpretatione orationis cui titulus eſt *toga candida* mendoſus eſt his plane verbis: *Quod in Ædilitate, quum annuam non geſſerat, Vertias non habuerat dedit gladiatoris. Vertias* verbum eſt abſonum, & abſordum citra aliquem ſignificatum, nos penſitato ſenſu, & litteris non multum immutatis, correximus *varias*. *Varias* autem *Pantheras* appellant, a macularum (ut arbitror) varietate, quibus ſunt ſpectabiles. Unde ita ſcribit Plinius in octavo in capite *de Pantheris*, *nunc varias & Pardos, qui mares ſunt appellant, in ea omni genere crebriſſimo in Africa Syriaq;, quidam ab his Pantheras ſolo candore diſcernunt, nec adhuc aliam differentiam inveni*. Hæc Plinius, cujus auctoritate ſubnixus, *Varias* pro *Vertias* apud Aſconium emendavi, qui ſignificat ædilem dediſſe ſpectaculum gladiatorium cum *Varias* hoc eſt *Pantheras* non habuiſſet, quas ædiles in ludis ædilitiis dabant. Sicut olim Scaurus in ædilitate ſua centum. L. *Varias* exhibuit.

Deinde POMPEJUS MAGNUS quadringentas decem, Divus Auguſtus quadringentas 40. Alio nomine *Pantheræ Africanæ nominantur*, in quo ſignificatu accipiendum eſt illud apud Suetonium in Caligula: *Edidit & Circen-*

ces-

cenſes plurimos a mane uſq; ad veſperam, interjecta modo Africanarum venatione, modo Trojæ decurſione. Male literati ſequuti libros impreſſos *Africanorum* legunt, cum legendum ſit *Africanarum* & de *Pantheris* intelligendum, quarum venationem inter Circenſes interpoſuiſſe Caligulam, ſignat Tranquillus. Senatuſconſultum fuit vetus ne liceret *Africanas* advehere. Idem Tranquillus auctor eſt: Claudium exhibuiſſe Africanas conficiente turma equitum prætorianorum. In interpretatione ejuſdem orationis, apud eundem ex litterarum tranſmutatione dictio vetuſta corrupte legitur, impreſſores enim pro *ſeplaſia* impreſſere *ſilapſia*. Fuit autem *Seplaſia* forum Capuæ in quo unguentarii negotiabantur. *Seplaſiæ* delitiis contuſam fractamq; fuiſſe Punicam ferociam teſtatur Valerius libro nono dictorum factorumq; memorabilium. *Seplaſiæ* (*h*) meminit Cicero in Oratione legis Agrariæ contra Rullum his verbis: *Jam vero qui metus erat tunicatorum illorum in Alba, & Seplaſia*, ubi *Albanam* intellige pro altero foro Campano, cujus ſit mentio quoq; apud Valerium. Hæc eſt illa *Seplaſia* de qua ita ſcribit Plinius in 34. *Credunt Seplaſiæ ea omnibus quidem modis corrumpensi*. Idem in 16. loquens de *reſina* arboris piceæ: *Hinc* ait, *eſt fraus Seplaſiæ*, ubi impreſſores non *Seplaſiæ* impreſſerunt, ſed ſæpiſſimo *Aſiæ*. *A Seplaſiæ Seplaſiarius* derivatur, accipiturq; pro effœminato unguentario. Lampridius in Heliogabalo, pinxit ſe ut cupedinarium, *ut Seplaſiarium*, ut popinarium, propter unguenta, quæ *Seplaſiæ* conficiebantur. Dictum eſt ab Auſonio:

Ære Seplaſiæ decipiare cave:

Quo verſiculo pro *Ære Seplaſiæ* odorem unguentorum atque fragrantiam intelligi voluit.

Apud Quintilianum in decimo inſtitutionum oratoriarum turpe mendum deprehendimus inter legendum, & etiam emendavimus, ita enim ſcriptum eſt: *Sed non quicquid ad aliquam partem ſcientiæ pertinet, protinus ad faciendam etiam Aphæreſim, de qua loquimur accommodatum*. Ex librariorum impreſſorumq; incuria menda facta eſt in eo verbo *aphæreſim*, quum legendum ſit *phraſin*, ſicut & nos correximus, qua dictione tanquam latinitate donata uſi ſunt Latini, unde alibi idem dixit Quintilianus: *Macer & Lucretius, legendi quidem, ſed non ut faciant phraſin, hoc eſt, corpus eloquentiæ* Hieronymus in prologo Galeato: *Secundus Machabæorum liber Græcus eſt, quod ex ipſa phraſi probari poteſt*. De hac itaq; loquens Fabius, inquit, non omnia eſſe accommodata ad faciendam *hanc phraſin*, hoc eſt, eloquutionem abſolvendam, quæ ex aliqua parte ſunt erudita.

Apud eundem in tertio pro *Tyberius Cæſar*, impreſſum legitur in omnibus codicibus *Titus Cæſar*: Quæ nominis depravatio hiſtoriam pervertit, & tempora. Verba Quintiliani hæc ſunt: *Theodorus Gadareus qui ſe dici maluit Rhodium, quem ſtudioſe audiſſe, quum in eam Inſulam receſſiſſet, dicitur Tyberius Cæſar*. Senſus verborum iſtorum manifeſtarius eſt, ſed ab hiſtoriæ fide diſſentiens, ſi legatur *Titus* Cæſar. Namq; Theodorus, de quo loquitur Quintilianus, docuit præcepta Rhetorices Rhodii per id tempus, quo *Tyberius* in eam Inſulam receſſit, ubi circa ſcholas & auditoria profeſſorum aſſiduus fuit, & imprimis audivit Theodorum, manſitq; illic annos octo, de quo *Tyberii* receſſu multa ſcribit luculente Tranquillus. Dictus eſt autem *Gadareus Theodorus a Gadaribus* civitate *Syriæ*, quam Judæi ſibi vendicarunt.

Un-

(h) *Seplaſia*, ſive ut legunt alii *ſeplaſii* a voce Græca in Cyrilli Gloſſis Παντοπωλεῖον, præter Tullium meminere Valer. Max. lib. ix. cap. 1., atq; apud Voſſ. in Lex. Etymol. Marcellus:

Quodq; ab Idumæis rectum ſeplaſia vendunt,
Et quidquid confert medicis lagæa cataplus.

Unde ait Strabo lib. 17. cum de *Gadaribus* loqueretur, *hinc fuit Theodorus orator, qui ætate noſtra viguit*. Strabonem autem ætate *Tyberii* ſcripſiſſe, clarum eſt ipſius teſtimonio, qui in ſexto memorat, ſe *Tyberii* tempore floruiſſe. Qui legit apud Fabium *Titus Cæſar*, is prorſus & hiſtoriæ, & temporum, ignarus eſt. De hoc *Theodoro Gadareo* intellexit Juvenalis illo verſu:

Artem ſcindens Theodori.

Illud quoq; in eodem ſcriptore, quod adeo nuper legimus, indiget emendationis unius litteræ immutatione. Nam in primo: *Marcipoteſq; Publipoteſq;* ſcriptum eſt, pro *Marcipores Publiporeſq;* Majores enim noſtri a prænominib. dominorum ſervos in familia nominabant, unde a *Marco* & *Publio* dicti ſunt *Marcipores* & *Publipores* quaſi pueri, hoc eſt, ſervi Marci & Publii: Sicut *Quintipor* nomen ſervile frequens fuit apud antiquos a prænomine domini, ita *Marcipor* & *Publipor* a *Marco* & *Publio* nominantur, unde & emendandus eſt locus apud Plinium depravatus: Namq; libro 33. naturalis hiſtoriæ incurioſi ſcripſerunt, *Marſifores Lociferesve*, ubi ſcribendum erat, *Marcipores Luciporesve*, pro ſervis Marcii & Lucii. Et hoc eſt, quod ait Plinius, id genus ſervos dominorum fuiſſe gentiles, id eſt, eodem nomine appellatos, quo domini appellabantur. *Gentilis* enim præter notam ſignificationem dicitur is, qui ſimili nomine appellatur, id quod Cicero in Topicis, & Feſtus tradiderunt. Verba Priſciani ex libro ſexto tranſcripta ſubjecimus, quibus aperte ſignificatur quod dicimus. *Ut a puero compoſita, Publipor Publiporis, Marcipor Marciporis*. Sic Probus. Ita enim antiqui pro *Publipuer* & *Marcipuer* dicebant. Quidam apud Plinium *Marſifores* & *Lucifores* dici exiſtimant, tanquam *bajulos marſupiorum* & *loculorum*, ſed male.

Æmilius Probus, qui vitas Græcorum Imperatorum luculento ſermone conſcripſit, *Ariſtidem* tradit a *Themiſtocle collabefactum eſſe teſtula*: Quæ ſententia cum non ſolum tyronibus, ſed etiam veteranis ſubobſcura videri ſoleat, hoc in loco a nobis copioſiſſime explicabitur, qui ſtudia juvenum, & inprimis tui, fovere ac juvare pro virili parte contendimus. Civitates antiquitus quæ populari ſtatu regebantur, eos qui ſuperexcellere videbantur, vel propter amicos, vel propter aliquam aliam potentiam extra civitatem relegare ſolebant ad tempus, ſicuti docet Ariſtot. libro 3. Politicorum. Athenienſes vero exilio decennali mulctare conſueverant potentes nimis ac excellentes gloria viros, & hoc exilii genus *Oſtraciſmon* appellaverunt, (*i*) qui repertus eſt, non ad caſtigandam improbitatem ſed ad potentiam moderandam: *Oſtraciſmus* autem ab *Oſtraca*, id eſt, *calculo*, ſive *teſtula* nomen ſortitus eſt,

(i) *Oſtraciſmi*, ac *exilii* penes ſapientes viros diverſa omnino ſignificatio: norunt enim, qui Græcæ eruditionis non ſunt ignari *exilio* mulctatos viliſſimos homines, omniumque ſceleſtiſſimos, *Oſtraciſmo* vero nobiliſſimos cives, quorum auctoritas ſuſpicioni cæteris foret: Svidam audiamus: Ὀστρακισμὸς φυγῆς διαφέρει· ὅτι τῶν μὲν φυγῇ ἁλόντων αἱ οὐσίαι ἐδημεύοντο. τῶν δὲ ὀστρακισμῷ ἀποστάντων, οὐκ ἀφῄρει τὰ χρήματα ὁ δῆμος. καὶ τοῖς μὲν χρόνος ἐσδήκνυται καὶ τόπος· οἱ δὲ φεύγοντες, οὐδέτερον τούτων ἔχουσιν; hoc eſt: *Oſtraciſmus ab exilio differt, quod eorum quidem, qui exilio damnati erant bona publicabantur; iis vero, qui per teſtulam e civitate erant ſummoti, pecuniam populus non adimeret: his quidem tempus ac locus præfinita; ii autem qui exulant neutrum horum habent*. *Oſtraciſmo* affinis *Petaliſmus* Syracuſanorum, a Græca voce πέταλον, quod *oleagino folio illius* nomen inſcriberetur, cujus potentiam Magiſtratus formidarent, foliiſq; numeratis, cui folia plurima obtigiſſent, is *quinquennium exulare juberetur*, ex Diod. lib. 11.

eſt, qui in hunc maxime modum Athenis peragebatur. *Oſtraci*, id eſt calculi viritim in conſilio dabantur, in quibus quiſq; nomen illius perſcribebat, quem urbe cedere voluiſſet. Magiſtratus vero qui huic negorio præerant univerſos ſimul calculos recenſebant, qui niſi ſex millium numerum exceſſiſſent, nihil confectum eſſe judicabatur, ubi vero legitimus numerus repertus fuiſſet, eum 10. annorum exilio afficiebant, quem pluribus calculorum ſententiis damnatum eſſe cognoſcerent. Hoc *Oſtraciſma* multi proceres Athenienſium in exilium a civitate ejecti ſunt, ut Ariſtides, Themiſtocles, Cimon, aliique complures. Nemo autem ſordidus, nemo ignobilis, nemo famoſus, ut Plato Comicus inquit, conſuevit *Oſtraciſmo* mulctari, unde id genus exilii apud Athenienſes ceſſavit poſtquam Hyperbolus homo ſordidus *Oſtraciſmo* mulctatus eſt, qui nobiliſſimorum & potentiſſimorum hominum, non autem ſordidorum & humilium cauſſa fuerat inſtitutus. *De Oſtraciſmo* multa ſcribit Plin. in Ariſtide, & Alcibiade: Hoc Latini *teſtularum exilium vocant*; Unde etiam dixit Plutarchi interpres in Pericle, quod Pericles quum juvenis eſſet veritus *teſtæ* exilium nulla ex patre rempub. attigit. Senſus itaq; Probi Æmilii eſt Ariſtidem a Themiſtocle ejectum fuiſſe civitate collabefactum *teſtula*, hoc eſt decennali exilio *Oſtraciſmi* mulctatum: Quam hiſtoriam copioſe ſcribit Plutarchus in Ariſtide, qui in Themiſtocle ſic ait, *teſtarum exilio* Ariſtidem civitate ejecit. Quotieſcumq; leges *teſtaram* ſuffragiis ejectum fuiſſe aliquem ex principibus Athenienſium, ſcito *Oſtraciſmon*, de quo diximus, hoc eſt exilium decennale ſignificari.

In quarto apud Gellium locus eſt partim mendoſus, partim præpoſterus, ita enim ſcriptum eſt. *De Mupope perinodu quoq;, qui luſtirioſut Latine appellatur diſſenſum eſt*. In his paucis verbis multiplex error eſt, quem nos ita emendavimus, & ita Gellium ſcripſiſſe opinamur: *de Myope qui luſcioſus Latine appellatur perinodu quoq; diſſenſum eſt*. Et antequam ſenſum ſcriptoris explicemus prius verba ipſa quid ſignificent declaremus. *Myopas* Græci vocant in die parum videntes, quæ dictio compoſita eſt a verbo Græco *myo*, quod ſignat *claudo*, & *ops* quod dicitur *oculus*, quaſi *myopes* propter viſus hebetationem clauſis oculis intueri videantur, Latini id genus homines *luſcioſos* appellitant, a *luſcatione* quadam, ut opinor, quod ſcilicet *luſcos* imitentur. (*k*) Alio nomine Græci *luſcioſos nyctilopas* vocant a nocturno videlicet aſpectu. Plinius libro 27. ita ſcribit: *ſanguine hirci ſanari luſcioſos, nyctilopas appellant Græci*. Idem in octavo, ſcriptum reliquit: *Tradunt capras non minus videre nocta, quum interdiu, & ideo caprinum jecur, ſi veſcatur, reſtituit priſtinam aciem his quos nyctilopas vocant*. Scribunt Juriſconſulti Digeſtis de ædilitio edicto: *Eum hominem morboſam eſſe qui neque matu-*

(k) Mirum profecto egregium virum Beroaldum *Myopem*, ac *luſcioſum* eodem ſenſu uſurpaſſe; Tantum interpretem decipi etſi non dixerimus, tamen, quod ingenui animi eſt, accuratique, monemus, a *myope*, *luſcioſum* differre, quod alter ob purum quidem, ſed paucum humorem cryſtallinum acute videat, ſed tantum propinqua, ac veſperi eo fere acutius, qui *myops* non eſt; Auctor Iſagoges: Μύωπας δὲ λέγουσι τοὺς τὰ μὲν ἐγγὺς βλέποντας τὰ δ᾽ πόῤῥωθεν μὴ ὁρῶντας; alter vero, nempe *luſcioſus*, ſeu *luſcitioſus*, quum utrumque dicatur; interdiu quidem videat, non veſperi, aut noctu, quod & Nonius e Varrone probat, & Plinius ſcripſit lib. VIII. cap. IX., ac imprimis lib. XXVIII. cap. XI. ſingula ex Lex. mytol. Voſſ. hauſimus, quæ quanti ſint facienda viderint eruditi lectores; quorum ſaniori judicio libenter ſententiam noſtram permittimus.

Quam-

tutina videt, neq; veſpertino, quod genus morbi Græci vocant myopa. Auctor eſt Nonius *Myopes*, qui Latine *luſcioſi* vocantur, ad lucernam non videre. De luſcioſo facete, ut ſemper Plautus dixit in milite:

Ædepol tu quidem cæcus, non luſcioſus es.

Et eodem loco, inquit:

Mirum eſt lolio victitare te & tam vili tritico,
Quid jam? quia luſcioſus.

Ubi impreſſores pro *lolio* impreſſerunt *oleo*, & ita Plautinam eruditionem depravarunt. Dicunt enim (ut inquit Planciades) quod lolium comedentibus, oculi obſcurantur, Cujus rei etiam teſtis eſt Ovidius illo verſiculo;

Et careant loliis oculos vitiantibus agri.

Feſtus pro *luſcioſo*, *nuſcioſum* ſcribit, tanquam a nyctilopa hoc eſt a nocturno aſpectu derivatum ſit, niſi forte a librariis confuſa ſunt, quæ Feſtus ipſe ex ordine litterarum optime digeſſerat. *Nodos* vero Græce Latine dicitur *edentulus*, hoc eſt ille *qui dentibus caret*. Erit itaq; ſenſus Auli Gellii, talis: Diſſenſiſſe eruditos de *Myope*, hoc eſt eo, qui parum videt, qui Latine luſcioſus appellatus, an redhiberi debeat tanquam morboſus. Similiter de *edentulo* quod ipſe Græce dixit *perinodu*, quæſitum eſt an ſit *morboſus*. De quo ſcribens Paulus Juriſconſultus: *cui dens abeſt*, inquit, *non eſt morboſus, maxima enim pars hominum dente caret, neque idea morboſi ſunt, præſertim cum ſine dentibus naſcamur, nec ideo minus ſani ſimus donec dentes habeamus, alioquin nullus ſenex ſanus eſſet*. Sed jam ad Divum Hieronymum tranſeamus, apud quem non minus eruditionis reperio atq; facundiæ, quam apud Ethnicos ſcriptores.

Divus Hieronymus in epiſtola ad Paulinum, quæ in liminari eſt paginæ teſtamenti veteris, ſcribit *Apollonium philoſophum perrexiſſe ad Æthiopiam, ut Gymnoſophiſtas & famoſiſſimam ſolis menſam videret in ſabulo*. Quæri ſolet a curioſis Hieronymi lectatoribus, quæ nam fuerit *ſolis menſa*, quam ut videret Apollonius ad Æthiopas acceſſit. De qua quid tradiderint luculenti ſcriptores eloquamur. Auctor eſt Herodotus in tertio hiſtoriarum fuiſſe in Æthiopia *pratum omnium quadrupedum carne refertum*, quam per noctem magiſtratus illic ponere feſtinabant, & ubi illuxiſſet, cuilibet licebat illuc accedere epulatum, indigenæ exiſtimabant copiam epularum divinitus ſuppeditari, & hanc ſolis menſam nuncupaverunt, ad quam inſpiciendam olim *Cambyſes* miſit legatos in Æthiopiam. Solinus Græco vocabulo nuncupat *Heliotrapezam* hoc eſt ſolis menſam ἥλιος enim Græce *ſol*, & *trapeza* menſa nominatur. De hac menſa ſolis ita ſcriptum reliquit Pomponius Mela: *Eſt locus in Æthiopia paratus, ſemper epulis refertus, & quo ut libet veſci, veſcentibus licet, Heliotrapezam appellant, & paſſim adpoſita ſunt, quia affirmant innaſci ſubinde divinitus*. Interpretamenta quæ ſuper hoc loco ſcribuntur a Nicolao de Lyra alioquin erudito, ſunt mera deliramenta, neq; ſententiæ Hieronymi, neq; hiſtoriæ accommodata.

Apud eundem libro ſecundo contra Jovinianum in pervulgatis impreſſiſq; codicibus hæc verba leguntur: *Nunc reſtat ut Epicurum noſtrum ſudantem in hortulis ſuis inter adoleſcentulas & mulierculas alloquamur*. Ego vero illud *ſudantem* emendandum eſſe cenſeo, (*l*) & unius tantummodo litteræ immuta-

(l) Quamquam multum clariſſimo Beroaldo deferamus tamen *ſudantem* adverſum illius ſententiam, non *ſubantem* legendum eſſe cenſemus, quod non impudicitiæ, verum audiendæ doctrinæ cauſſa fortaſſe ad Epicuri hortos fœminæ convenerint, quarum conſuetudo ferebat nonnumquam Ethnicis doctrinis erudiri; ſic mulieres Pythagoricas Pytha-

ratione legendum *ſubantem*, Namq; *ſubare* vocabulo antiquiſſimo dicuntur ſues quum libidinantur, unde tranſlatio quoq; facta eſt in cætera animalia, ut docet Porphyrio enarrans illud Horatianum:

Jamq; ſubanda
Tenta cubilia tectaq; rumpit:

Et ut auctor eſt Ariſtoteles libro ſexto de animalibus, ita *ſubare* dicitur in *ſuibus*, quemadmodum *equæ* libidine ſtimulatæ dicuntur *equire*. Unde & Columella: *mulam* appellat *equientem*, hoc eſt deſiderio libidinis equum appetentem. Et hinc maledictum trahitur in mulieres libidinoſas. In hanc ſententiam loquitur Plin. cujus verba ſubjeci ex lib. 10. *Verrem ſubantis audita voce niſi admittatur, cibum non capere uſq; in maciem. Ubi ſubantis* accipitur pro *libidinantis & Veneri inhiantis*. Ita Hieron. taxare volens Jovinianum, eum appellat *Epicurum ſubantem*, hoc eſt in coitum ruentem, & in coitus voluptate ſummum bonum collocantem. Et hæc erudita & proinde venuſta ſententia. Quod ſi *ſudantem* legerimus, ut paſſim legitur, ſenſus erit plane frigidior atq; vulgarior. Hac dictione uſus eſt idem alibi in epiſtola contra Diaconum Sabinianum, ita ſcribens: *ſic ſubantem te & laſciviantem, huc atq; illuc, rapiebat voluptas*. Et apud eundem plurimis locis hoc tanquam peculiare verbum deprehendes, ſed fere ſemper librariorum impreſſorumq; incuria, pro *ſubantem ſudantem* leges.

Apud eundem contra Joannem Hieroſolymitanum dictio depravata eſt in his verbis: *Ergo quæ tanta eſt cæcitas Cinericiis, ſicut ajunt, tenebris involuta*. Ego vero pro *Cinericiis* tenebris correxi *Cimmeriis*, quod ex hiſtoria priſca veteriq; proverbio depromtum eſt. Nam *Cimmerii* populi fuerunt Scythici, a quibus Boſphorus *Cimmerius* nominatus eſt. In cujus oſtio fuit oppidum *Cimmericon*, quod alio nomine *Cerberion* vocabitur, ut auctor eſt Plinius in quinto. Exiſtimat Strabo in ſeptimo dictum eſſe *Boſphorum Cimmerium, quaſi Cymbricum a Cymbis, qui incertis errabundi ſedibus uſq; ad Mæotim paludem militiam agitarunt*. Cimmeriorum clima obſcurum eſt ac tenebroſum, ut idem memorat in primo, cujus rei etiam meminit Homerus ſic loquens de Cimmeriis.

Illis ſol nunquam Phaethonthia lumina ſpargit,
Perniciosa ſuper nox ſemper tenditur iſtis.

Tibullus Homerici carminis æmulator, ita cecinit in heroico poemate:

Cimmerion etiam obſcuras acceſſit ad arces.
Queis nunquam candente dies apparuit ortu?
Sive ſuper terras Phœbus ſeu curreret infra.

Cum itaq; Cimmeriorum regio eſſet tenebricoſa & aer caliginoſus, deductum eſt inde proverbium: *Tenebræ Cimmeriæ*, quod uſurpat Lactantius ſic ſcribens in quarto divinarum inſtitutionum: *O cæcum pectus, o mentem Cimmeriis (ut ajunt) tenebris atriorem*, Lactantium (ut opinor) imitatus eſt Hieronymus, cujus verba ita emendanda ſunt, prout emendavimus, & ſic le-

---

thagoram Præceptorem audiſſe, nec non Plotino fœminas edoctas teſtatur Porphyr. hortoſq; ejuſmodi vocat S. Ambroſ. lib. Offic. *honeſtiſſimos*; ſi alicui vero apponere *ſubantem* libeat, quum S. Hieronymum Epicurum inſimulare exiſtimet, fatebimur præſtantiſſimo Epicuro hoc indignum eſſe; qui, apud Gaſſendum de vita, ac Doctrina Epicuri ex Laertio S. Gregorio Nazianzeno, in Jambl., Cic. Tuſcul. quæſt. III., Senec. Epiſt. 33. venerearum voluptatum hoſtis, Stoico tantum judicio reus habitus fuit, quod Philoſophorum humaniſſimus a Stoicorum ſeveriori diſciplina receſſerit.

Digitized by Google

legenda: *Rogo quæ tanta eſt cæcitas Cimmeriis, ſicut ajunt, tenebris involata*. Qui *Cinericiis* legunt, ſicut ſemidoctum vulgus lectitare conſuevit, hi judicio ſunt plane *cinericia*, & omni penitus ſcintilla viduato. Ephorus auctor eſt, *Cimmerios* in Italia quoq; fuiſſe juxta lacum Avernum, eoq; in ſubterraneis habitaſſe domiciliis, quorum morem patrium eſſe, ut nemo ſolem aſpiciat, noctu vero egrediantur. De *Cimmeriis* ita ſcribit Feſtus: *Cimmerii dicuntur homines qui frigoribus habitatas terras incolunt, quales fuerunt inter Bajas & Cumas in ea regione, in qua convallis ſatis imminenti jugo circumdata eſt, quæ neq; matutino, neq; veſpertino tempore ſole contegitur*.

In Cæſaris ſecundo commentario ita ſcriptum eſt: *Sectionem ejus oppidi univerſam Cæſar vendidit*. Ubi *ſectio* dictio eſt vetus ſicut & *ſector*. Dicuntur autem *ſectores* qui ſpem ſui lucri ſequuti (ut docet Auſconius) bona damnatorum emebant in auctionibus, ac poſtea pro compendio venditabant. Inde a Cicerone M. Antonius ſector Pompeji appellatur, quantum ſcilicet in ſubhaſtatione bona Cnei Pompeji redemerat, ideoq; ab eodem dictum eſt: *Inflammonter expectantibus omnibus, quiſnam eſſet tam impius, tam demens, tam diis hominibuſq; hoſtis, qui ad illud ſcelus ſectionis auderet accedere? inventus eſt nemo præter Anton*. Ubi *ſectionem* in eo ſignificatu accipit, quo Cæſar, pro illa ſcilicet juris perſequutione, qua ſectores utuntur in auctionibus. Alibi a Cicerone eleganter dictum eſt in Oratione pro Roſcio Amerino: *Neſcis per iſta tempora eoſdem fere ſectores fuiſſe bonorum, & collorum*. Cornelius Tacitus: *Ubiq; haſta & ſector & inquieta urbs auctionibus*. Deniq; crebra mentio eſt *ſectorum* apud eruditos, qui pro emptoribus his accipiuntur, qui auctionantur bona haſtæ ſubjecta. A Lucano dictum eſt:

Sectorq; favoris
Ipſe ſui populus.

Ubi *ſector* ſcienter & eleganter dicitur populus Romanus, quia favorem ſuum vendebat candidatis ſpem lucri ſequutus. Senſus eſt Cæſaris venditam fuiſſe oppidi ſectionem, id eſt, Cæſarem bona civitatis vendidiſſe ſub haſta, his qui ſectionem facere dicuntur. Et in hoc ſignificatu *ſectiones* accipiendæ ſunt apud Tranquillum ita ſcribentem in Vitellio: *Cujus filius ſectionibus & futuris uberius compendium nactus*. Scribit Feſtus *ſectionem* ſignificare juris perſequutionem, (*m*) quæ interpretatio non multum abeſt ab ea quam tradidimus ſignificatione, *ſectores* enim facta in auctionibus *ſectione*, jus ſuum perſequuntur.

Hieremias Propheta ita inquit: *Cum pinxeris ſtibio oculos tuos fruſtra componeris*. In Ezechiele quoq; legimus: *Circumliniſti ſibi oculos tuos ſtibio, & ornata es modo muliebri*. Et libro quarto Regum ſcriptum eſt: *Depinxit oculos ſuos ſtibio, & ornavit caput ſuum*. Deniq; hæc dictio *ſtibium* ſcatu-

riens

(m) De Sectoribus loquentis verba Feſti apponimus: *Sectores* (rarius nonnulli *ſectatores* legunt) *& qui ſecant, dicuntur, & qui empta ſua perſequuntur*, a ſecando *ſector* eſt qui ſecat, videlicet *Sicarius*, a ſequendo vero *accuſator*, qui delationibus id agit, ut homines, quandoq; inſontes ſuis evertantur fortunis; qui dimidium bonorum ex damnatione accuſati expectat *ſector* etiam vocatur; Juſtinus lib. XVIII. *Rapacitas Proconſulum, ſectio Publicanorum, calumniæ litium*. *Zonarium ſectorem* commemorat Trinum IV. II. apud Plautum Charmides ſenex:

Quum magis ſpecto minus placet mihi
hominis facies mira ſunt,
Ni illic homo eſt aut dormitator, aut
Sector Zonarius.

hoc eſt, marſupium ſecans, aut zonam.

rſens eſt apud Eccleſiaſticos ſcriptores, & imprimis apud Hieronymum. Quid autem ſit *ſtibium* tam neſcit Nicolaus de Lyra, quam neſcire curavit. Ut autem ſtudioſi ſacrarum ſcripturarum intelligant, quid proprie *ſtibium* ſignificet, quo ad venuſtandos oculos peculieriter utebantur, ſciant in argenti metallis inveniri lapidem ſpumæ candidæ atq; nitentis, quem alii *ſtibium*, alii *alabaſtrum*, aliqui *turbaſim* appellant, Cujus vis principalis eſt circa oculos, quos dilatat, quorumq; fluitiones inhibet exulcerationeſq;. Ideo id *Græci Platyophthalmon* appellavere, ab oculorum ſcilicet dilatatione, auctor Plinius libro trigeſimotertio. *Stibio* ergo oculos fœminæ pingebant, ut ita formoſiores viderentur, quod viris, & maxime religioſis turpiſſimum eſt, & maximo olim probro dabatur. Unde ait Apollonius: *Dic mihi crinem fucat Prophetes, ſtibio oculos linit?* (n)

Idem Hieremias ita inquit: *Facit laquearia cedrina pingitq; ſinopide*. Cum interpretes quid ſit *ſinopis* non explicent, a nobis explicandum eſt. *Sinopis* color eſt unus ex coloribus nativis, cui nomen inditum eſt ab urbe Ponti *Sinope*, ubi primum inventa eſt. Naſcitur teſte Plinio in Ægypto, Balearibus, Africa, ſed optima in Lemno & in Cappadocia. *Sinopide* uſi ſunt veteres pictores ad ſplendorem. Rubricæ genus in ea voluere intelligunt quidam, unde a Vitruvio libro ſeptimo, rubrica *ſinopica* nuncupatur, de qua ita ſcribit Strabo libro duodecimo Geographiæ: *In Cappadocia naſcitur ea, quæ Sinopica* rubrica dicitur, omnium optima, quæ cum Iberica decertat, iccirco *ſinopica* appellatur, quod eam mercatores eo deferebant, priuſquam Epheſiorum emporium tam celebre eſſet.

In Daniele dicit Suſanna ad puellas: Afferte mihi *oleum & ſmigmata*: Interpretes ſcribunt: *Smigma* eſſe aquam hordeaceam ad faciem abluendam, ego quemadmodum neſcio an *Smigma* ſit ex hordeo & aqua, ita hoc ſcio *Smigma* appellari omne quod purgat, emaculat, abſtergit, a *Smicho* verbo Græco derivatum, inde ita ſcribit Plinius: *In ærariis officinis, & Smigma fit jam liquato ære atq; percocto*. Idem alibi: *Smigmata mulieris faciunt ex bit*. Idem in vigeſimoſecundo: *fucent lupini ſmigma fit, quo ſolent fovere gangrænas*. Et frequens eſt hæc dictio apud eundem, accipiturq; pro vocabulo generali, quo medicamentum omne ſignificatur, quod valet ad emaculandam faciem, & abſtergenda corporum dehoneſtamenta. A *ſmigma* derivatur *ſmicticus*, unde a Plinio identidem *vit ſmictica* uſurpatur accipiturque pro efficacia tali, qualem habet *ſmigma* ad purgandum ſcilicet & emaculandum.

Apud Tranquillum in Galba dictionem depravatam correximus & pro adulterina veram venuſtamq; ſubſtituimus, verba Tranquilli hæc ſunt: *Ut ſi quid ſcænici, aut biſtrici donatum olim vendidiſſent, auferretur emptoribus*, Nos pro *biſtrici* emendavimus *xyſtici*, Dicuntur autem *xyſtici* athletæ, qui per hyberna tempora antiquitus exercebantur in porticu quæ *xyſtos* apud Græcos appellatur. Auctor Vitruvius in libro quinto de architectura, qui docet quem-

(n) Quemadmodum ex *Stibio* pro colore ſumpto plurimum fœminis venuſtatis accedit, ita magnum augetur ex Stibio medicinæ præſidium: Illud ſalubre adeo medicamentum duxit Franciſc. Hoffm., ut ſingula ex eo remedia manare affirmarit, licet Pariſienſis Collegii decreto anno 1566. nulla ratione emendari poſſe ſancitum fuerit: utcumque ſe res habeat perhonorificis nominibus ſtibium idem ac antimonium deprædicant ſpargyrici *metallorum radicem*, *Proteum*, *ſaturnum Philoſophorum*, *magneſiamq; ſaturni* apud Caſtell. præſtantiſſimum Meſſanenſem medicum lex. medic.

Xy-

quemadmodum facienda ſunt *xyſta*. *(o)* Uſus eſt hac dictione idem Tranquillus in Auguſto ſic ſcribens; *Nec tamen eo minus aut xyſticorum certationes, aut gladiatorum pugnas ſeveriſſime ſemper exegit*, Ubi *xyſticorum* nomine athletas intelligit. Apud juriſconſultos, digeſtis de his qui notantur infamia duæ dictiones junctim locatæ pariter mendoſæ leguntur, ubi ita ſcriptum eſt: *Neq; theomelici neq; xeſuſtici ignominioſi habeantur*, Nam pro *Theomelici Thymelici*, pro *xeſuſtici*, *xyſtici* corrigendum eſt. Et in eo ſignificatu *xyſtici* accipiuntur, quem jam declaravimus. *Thymelici* vero ut hoc quoq; Juriſconſultorum verbum explicemus, ſignificant hiſtriones, & Græci *thymalen* pulpitum & hiſtrioniam appellant. Unde a Vitruvio dictum eſt *ſcænici* & thymelici. Græce ſeparatim nominantur. Et Auſonius feſtive ſcripſit,

Nos Thymelen ſequimur.

In decretis quoque diſtinct. ultima. de con. ſacerdotes admonentur de convivio ſurgere debere antequam *Thymelici* ingrediantur. Sed ut ad Tranquilli ſententiam explicandam revertamur, dicit ille liberalitates Neronis a Galba fuiſſe revocatas, ut id quod olim *ſcænicis* aut *xyſticis*, id eſt, athletis donaviſſet id exigeretur. Hanc hiſtoriam Plutarchus apertioribus verbis explicat, quibus plane ſententia Tranquilli fit manifeſtior, ita enim ſcribit in Galba: *Quas largitiones in Galba dederat ſcænam palæſtramq; agitantibus, eas vehementius repeti juſſit præter decimam partem*. Eadem hiſtoria traditur a Cornelio Tacito omiſſis *ſcænicorum xyſticorumq;* nominibus. Præterea *xyſtici* dicuntur, qui *xyſto* ludunt. Significat autem *xyſtos*, *haſtile vel ſpiculum*, unde *xyſtophoros* Græce nominatur, Latine *ſpiculator*. *Xyſtos* quoq; præter jam dictas ſignificationes accipitur pro ambulatione, in qua arbuſculæ ſunt in plurimas ſpecies effigiatæ, & talis ſignificatur a Plinio libro quinto Epiſtol. ita ſcribente: *Ante porticum xyſtus conciſus in plurimas ſpecies diſtinctusq; buxo*. Et ut auctor eſt Virtuvius Latini *xyſta* ambulationes appellant, quas Græci *Peradromidas* dicunt. De *xyſto* ait Cicero in Bruto: *Nam cum ambularem in xyſto & eſſem otioſus domi*. Legatur igitur apud Tranquillum *xyſtici* potius quam *hiſtrici*, & pro athletis accipiantur. Non ignoro *hiſtricos* dici poſſe *hiſtriones*, cum a Plauto in Penulo Imperator *hiſtricus hiſtrio* nominetur, & ab eodem alibi dictum ſit: Hæc imperata ſunt pro *imperio hiſtrico*, pro eo qui *imperio hiſtronico* videaturq; alludere Plautus *ad Hiſtriam*, regionem, ex qua primum hiſtriones veniſſe, & inde nomen ſortitos eſſe autumat

(o) *Xyſtici* non *Sexuſtici* a voce *Xiſtus* vel *Xiſtum* Athletæ dicebantur quod in Xiſtis pugnantes ſe per hyemem ſub tecto exercerent; exemplum habes in veteri inſcriptione:

L. THENODORUS.
XISTICUS.
PARIDI. THIMELICO.
BENE. MERENTI.
FECIT.

Monendum interea arbitramur idem eſſe penes Græcos, at apud Latinos non parum diſcriminis obtinere *Xiſtus* & *Xiſtum*; *Xiſtos* enim Porticus tectas appellarunt veteres, ubi athletæ per hyemem & æſtate tempore luctationibus alieno exercebantur, *Xiſta* autem ſubdiales ambulationes ubi hyeme tempeſtate leni e porticu prodeuntes, & æſtate fere ſemper exercebantur & ambulabant. Vitruvius v. II. *Hæc autem Porticus* ξυστὸς *apud Græcos vocatur, quod athletæ per hyberna tempora in tectis Stadiis exerceantur; proxime Xiſtum, & duplicem Portum deſignentur hypæthræ ambulationes, quas Græci* περιδρομίδας *noſtri Xiſta appellant, in quas per hyemes, ex Xiſto ſereno cælo athletæ prodeuntes exercentur*; Panvin. de Lud. Circenſ. II. I. Philand. in Vitruv. aliiq; complures.

Ca

mat Feſtus, cujus auctoritati Livius Valeriuſq; refragantur, ſcribentes nomen hiſtrionibus fuiſſe inditum, quia *Iſter* Tuſco verbo *ludio* vocabatur. Verior eſt prior ſignificatus, & hiſtoriæ accommodatior.

Idem in Veſpaſiano inquit: *Publicum quadrogeſimæ in Aſia egit*. Ego exiſtimo *Publicanum* potius quam *publicum* legendum eſſe, ut ſit ſenſus, Sabinum de quo loquitur, fuiſſe Publicanum in Aſia ad quadrageſmas exigendas, hæc eſt enim eloquutio & luculenta & erudita, ut ita dicamus: *abit Publicanum, agit ſenatorem, agit amicum imperatoris*, pro eo quod eſt facit officium publicani, ſenatoris, & amici imperatoris. Et hic mos dicendi apud eruditos eſt frequentiſſimus. *Quadrageſima* vero eſt tributum & ex actio ſicut vigeſima, & quinquageſima, centeſima, & ducenteſima, & id genus alia publicanorum fraudibus excogitata. Unde ita ſcribit Cornelius Tacitus: *Manet tamen abolitio quadrageſimæ quinquageſimæq;, & quæ alia ex auctionibus illicitis nomina Publicani invenerant*. Ita Cicero *Decumanos* in Verrinis appellat principes publicanorum, a quibus decimæ exigebantur: Et a Livio *vigeſimarium aurum* dici videtur, quod ex vigeſimis exigebatur, quamvis in mendoſis Livianis codicibus non *vigeſimorium aurum*, ſed *incenſmarium* legatur. De *vigeſima* ſcribit Plinius in Panegyrico luculentiſſime. A Seneca *ſanguinolentæ centeſimæ* eleganti epitheto appellantur. *Ducenteſimas auctionum* Italiæ olim Caligula remiſit.

Idem in Auguſto ſcribit: *Octavium Auguſti patrem inter diviſores operaſq; campeſtres proditum*. Quæ verba cum a multis perperam intelligantur, a nobis in hoc loco explicabuntur. *Diviſor* criminis nomen eſt, hique antiquitus *diviſores* vocabantur, qui pecuniam inter tribus viritim diu dabant nomine candidatorum hoc eſt magiſtratus petitorum, quos Plautus magiſtros curiarum in Aulularia vocat his verbis:

Nam noſter noſtræ qui eſt magiſter Curiæ,
Dividere argenti dixit nummos, in viros.

Quærit Aſconius utrum legitimos habeant tribus omnes *diviſores* ſuos. *Diviſoris* autem nomen crimino ſum fuiſſe, utpote tribulium corruptoris in ferendo ſuffragio, docet Cicero in Orat. pro Plancio his verbis: *Quam tibi commodum eſt unam tribum delige tu, doce id quod debes, per quem ſequeſtrum, quo diviſore corrupta ſit*. Idem alibi ait: *Qui fierat diviſor præſertim ejus, quem tu habebas reum, cur abs te reus non eſt factus?* Idem alibi: *Docet inquit diviſiſſe* pro eo quod eſt *diviſorem fuiſſe* pecuniæ, inter ſuffragatores, ut libentius candidato ſuffragarentur. *Operas* vero *campeſtres* appellat eos, qui in *campo Martio* ſervilem operam candidato impertiebantur, & pro eo laborabant, ut ſuffragatoribus ſuffragantibus magiſtratum conſequererur. Nam cum *opera* fœminino genere, ſignificet teſte Ulpiano *diurnum officium*, accipiaturq; pro operatione, ſignificat etiam ipſam perſonam quæ aliquid facit, ſicut docet Servius, & ita accipitur frequenter apud Ciceronem, qui pluribus in locis *operas* contumelioſe appellitat ſordidos & abjectos, viliſque conditionis homines, unde ait in Oratione pro Sextio: *Cum per Tribunum aliquem & ſexcentas operas ſe fortunis ſpoliari videant*. Et alibi: *Operarum inquit ſuarum gladiis & lapidibus objecerit*. Et in oratione pro Flacco: *Operæ faceſſant, ſervitia ſileant*. Horatius quoq; nomine *operæ* ſervum ſignificavit illo verſ.

Accedas opera agro nono Sabino.

Idem Tranquillus alibi *mancupem operarum* nuncupavit, quem intelligi voluit conductorem redemtoremq; ſervorum. *Manceps* enim ut hoc quoque declaremus, ſignificat eum quia populo aliquid emit conducitve. In hoc ſignificatu accipiendum eſt illud Plinianum: *Carium manceps proxime ſutrinæ exominavit*. Cicero *mancupes* appellat Romanos, publicanorum principes, qui queſtus ſui cauſſa decumas redimunt a populo Romano. *Mancipis* nomen a

ma-

manucapienda dictum eſt, unde & jus mancipii derivatur de quo ait Cicero in Orat. pro Aruſpicum reſponſis: *Jure auctoritatis, jure mancipii, jure nexi. Campeſtres operæ* dicuntur a Tranquillo ab eo, quod in campo Martio pro candidatis ſatagebant, & operabantur.

Legebamus nuper oblectamenti cauſſa Plautinam fabulam, cui titulus eſt: *Miles*. Inter legendum correximus locum mendoſum, & penitus depravatum, adeo ut nullus ſenſus percipi poſſet, ſed priuſquam emendationi noſtræ applaudamus, verba Plauti, quæ in omnibus codicibus mendoſe perſcripta ſunt, referamus:

Cauſſæ hanc habeas furugenet.

Quæ ſunt hæc portenta verborum, ipſe medius fidius Plautus talia non interpretaretur? Nos vero penſitatis curioſiſſime & verbis, & ſententiam paulatim demutantes, ita correximus:

Cauſiam habeas ferrugineam. (p)

Cauſia autem dictio eſt vetuſtiſſima, qua ſignificatur tegumentum capitis colori aptum, unde & nomen accepiſſe videtur. *Cauſis* enim Græce dicitur, Latine *combuſtio*, & *cauſon* æſtus: Inde ab Hippocrate & Avicenna *cauſus* febris æſtuans appellatur. Hac dictione utitur Valerius libro quinto ſcribens in capite de clementia: *Quemadmodum Antigonus caput Pyrrhi texit cauſia, qua velatum caput ſuum, more Macedonum habebat*. Scribit Plutarchus in Antonio: Ptolemæum Antonii & Cleopatræ filium ornatum fuiſſe chlamyde & *cauſia* cum diademate, qui erat habitus regum Macedonum ab Alexandro. Apud Martialem lemma eſt *cauſia*, accipiturq; in hoc eodem ſignificatu, quod declarat diſtichon ſubjectum:

In Pompejana tectus ſpectabo theatro.
Nam ventus populo vela negare ſolet.

Ferrugineam cauſiam optimo epitheto Plautus appellat, quam intelligi vult ſubnigram, cæruleiq; coloris, hoc enim ſignificare *ferrugineum* carminibus Virgilianis & Grammaticorum interpretationibus manifeſtiſſimum eſt. Igitur volens Plautus deſcribere ornatum hominis *naucleri*, vult, ut habeat pro capitis tegumento *cauſiam ferrugineam*, qui color eſt marinis fluctibus ſimilis. Unde ab eodem Plauto is color in eadem fabula *Thalaſſicus* nuncupatur, hoc eſt, *marinus*, quamvis impreſſores pro *Thalaſſico Theſſalinis* impreſſerint, corrupto verbo & ſententia, Græci enim *Thalaſſan* mare appellant, unde *Thalaſſicus* derivatur, idcirco dixit idem alibi:

Neſcio quis tecum inceditor natu quidem Thalaſſico.

Hunc colorem *Venetum* ſcienter appellat Vegetius libro quarto de re militari, ſcribens: nautas veſte *Veneta* eſſe induendos, & vela navium exploratoriarum colore *Veneto* eſſe tingenda. Eſt autem *Venetus* color cæruleus, & ut inquit idem Vegetius, ſimilis marinis fluctibus. Auctor eſt Lampridius Heliogabalum piſces comediſſe coctos conditura *Veneta*, quaſi in marina aqua eum colore ſuo. Hic eſt ille color, a quo Aurigarum factio *Veneta* nominatur, quæ factio apud ſcriptores memoratiſſima eſt, cui

(p) *Cauſiam ferrugineam* Plauti verbis appoſuerunt cum Beroaldo, Fridericus Taubmannus ſolertiſſimus Plautinæ lectionis indagator, Meurſ. ac Dyoniſ. Lambinus, plurimique poſt iſtos, *ferrugineum* colorem pro cœruleo comuniter exponentes Virgil. Georg. 4.

Et pinguem tiliam, & ferrugineos hyacinthos.

color hujuſmodi Thalaſſicus, naucleri veſtibus, ac fluctibus maris accommodatior Plautinum ſenſum dilucide explicat: Plautus idem in Perſa:

Cape tunicam, atq; zonam, & chlamydem afferto, & Cauſiam Ferrugineam.

ita ſuis addictus Vitellius, ſicut Praſinæ factioni deditus erat Caligula, ita nuncupatæ a *Praſino*, hoc eſt, viridi colore. Et olim Verus Antoninus auctore Julio Capitolino paſſus eſt injurias a Venetianis, quod Praſinæ factioni contra eos faveret: ubi Venetianos appellat *Aurigas Venetæ factionis*. Et hic eſt ille *Praſinus Venetusq; pannus*, de quo ita ſcribit Plin. lib. 8. Epiſt. *Nunc favent panno, pannum amant, etſi in ipſo curſu non mediocri certamine hic color illuc, ille huc transferatur, ſtudium favorq; tranſibit, & repente agitatores illos quos procul noſcitant, quorum clamitant nomina relinquet tanta gratia, tanta auctoritas in una viliſſima tunica.* Hæc Plinii verba quidam neoterici interpretes perperam allegaverunt, parum diligenter animadvertentes Plinium in hoc loco oſtendere voluiſſe inane ſtudium Romanorum inanemq; favorem, qui non hominibus ipſis favebant, ſed colori quo erant induti, unde ait: *ſi color panni ab una factione ad alteram factionem transferatur, ſimiliter ſpectatorum favorem tranſiturum, qui ſi perſonis ipſis faverent, non relictis illis pannum ſequerentur.*

Scribit D. Hieronymus in prologo Paralipomenon, quod ſæpe culpa ſcriptorum, unum nomen in duo vel tria vocabula dividitur, quod veriſſimum eſſe in compluribus aliis ſcriptoribus, tum in Plautino poemate deprehendi, ubi ſæpe duo vel etiam tria nomina ſubtractis e medio ſyllabis, in unum vocabulum coagmentata deprehendes, vel e regione unum nomen propter latitudinem ſuam in duo vel tria vocabula diviſum. Legebam adeo nuper Perſam Plautinam fabulam, in qua ſic loquitur *Taxillus* ſervus: (*q*)

Hunc ego hominem hodie intra ſemina doctis ducam dolis,

ubi illud *intra ſemina*, ita emendandum eſt, *in tranſenna*. Significat autem *tranſenna* extentum funem, Salluſtius *tranſenna demiſſum victoriæ ſimulacrum cum machinato ſtrepitu tonitruum coronam Metello imponebat*. Quum ergo ex fune laquei intendantur ab his qui inſidiantur feris capiendis, ſicere Plautinus ſervus (in comœdiis enim ſervi fallaces inducuntur) dicit ſe dolis circumventurum lenonem ducturumq; *in tranſennam*, tanquam laqueos ex fune fraudulenter intenderit; Alibi in eodem ſignificatu dixit Plautus in Bachidibus: (*r*)

Nunc a traſenna hic turdus lumbricum petit.

Impreſſi codices pro *turdus* habent *tardus*. Idem in Rudente ſententialiter loquens ait: (*ſ*)

O Grype Grype in ætate hominum plurimæ
Fiunt tranſennæ ubi decipiuntur dolis,
Atq; ædepol in eas plerumq; eſca imponitur,
Quam ſiquis avidus poſcit eſcam avariter
Decipitur in tranſenna avaritia ſua.

Ex his Plauti verbis aperte colligimus *tranſennam* ſignificare decipulum & laqueum ad decipiendum concinnatum. (*t*) In alio ſignificatu, ſi Nonio credimus, *Tranſenna* accipitur pro *feneſtra* apud Ciceronem libro primo de Oratore ita ſcribentem: *Quaſi per tranſennam prætereuntes ſtrictim aſpexi-*

(q) Perſ. Act. IV. Sc. III.
(r) Bacchid. Act. IV. Sc. VI.
(ſ) Rud. Act. IV. Sc. IV.
(t) *Tranſennam* poſt Auctorem noſtrum legunt Frid. Taubman., aliiq; non pauci; Promiſcue autem ejuſmodi vocabulum ſumi pro quacumque machinula, ſive laqueo avibus decipiendis concinnato liquet ex Turn. 24. II., Brodæo miſcel. l. 4. c. 19.; illam reticulato opere factam, quod [illegible] ab retis ſimilitudine dicatur, contendit Salmas.

Pœ-

ximus, *Verba Salluſtii*, cujus auctoritate paulio ante diximus *tranſennæ* nomine funem ſignificari, allegat Nonius & accipit pro feneſtra. Sed Servius enarrans illud Vergilianum,

Volucrem trajecta in fune columbam,

Trajecta expoſuit pro extento, & ſubjungens ait, *unde tranſenna dicitur extentus funis*, & citans Salluſtium teſtem illius verbis ſuam nititur de *tranſennæ* ſignificatione fulcire ſententiam: Idem exemplum Salluſtianum refertur a Macrobio in tertio ſaturnalium. Exempla Plautina, quæ jam recenſuimus, cum Servi opinione conveniunt.

Illud quoq; apud eundem in mentem venit, quod indiget modicæ caſtigationis, (*u*)

Vinceretis cervum curſu, vel Glabatorem gradu,

ubi *grallatorem* legendum eſſe Feſtus Varroq; notificant, qui ambo hæc Plautina verba allegantes *grallatorem* dici demonſtrant a gradu magno: Et hi proprie ſunt *grallatores*, qui perticis ſuperſtantes magnis paſſibus gradiuntur. Has vero Plautinas mendas aliaſq; compluſculas dubio procul impreſſoribus adſcribimus, non autem correctori Georgio Alexandrino, qui in memoria noſtra vir doctiſſimus eſt, in cujus ingenium eruditionemq; eruditiſſimam, tam turpia errata non cadunt.

In Pœnulo (*x*) introducitur ſervus lenonis nomine *Syncerastus*, qui ita loquitur;

Si herus meus me eſſe loquutum cuiquam mortali ſciat,
Continuo is me exſucera fecerit.

Jampridem didici Varrone docente *Syncerastum* eſſe omnem medullam antiquo vocabulo Græco. Ex qua Varroniana doctrina ita hunc Plautinum locum interpretor, ut dicat ſervus *Syncerastum* ſe futurum *exſyncero*, hoc eſt, *ſine ſyncerasto*, id eſt medulla & pinguedine, propter verbera quæ ſibi irrogitabit herus leno, ſi reſciverit eum eſſe cum aliquo colloquutum, & ita faceti ſſime in nomen ſuum jocatus eſt, qui dicebatur *Syncerastus*, quaſi medulloſus. Quod ſi ita legas me *exſyncerastum fecerit*, non abſurde leges, *ut exſyncerastus* dicatur nomen contrarium *Sincerasto*, quemadmodum ab eodem Plauto *expeculiati* dicuntur ſervi *ſine peculio*. (*y*) Et hæc erit ſententia urbaniſſima Plautini ſervi, tanquam dicat, *ego qui nunc Syncerastus quaſi medulloſus & pinguis vocor*, male mulctatus ab hero perdam priſtinum nomen, & fiam *exſyncerastus*, quia factus macer & emaciatus flagris domini, melius nominabor & verius *exſyncerastus* quam *Syncerastus*. Et ita ſales Plautini ex nominis ſignificatione ducuntur, ſicut in Perſa paraſitus Saturio cum eſuriret, ait

Eſuria venio, non advenio Saturio,

tanquam qui eſurit & famelicus ſit, non vero nomine vocetur *Saturio*, quod a *Saturitate* derivatur, meliuſque *eſuria* tanquam ab eſuritione ſit nominandus. Sed hæc hactenus. Interdum unius tantummodo literæ immutatio atque inverſio totam immutat invertitque ſententiam, ſicuti licet intueri in his verbis, quæ apud Curtium dicit Alexander militibus ad con-

---

(u) Pœnul. Act. III. Sc. I.

(x) Pœnul. Act. IV. Sc. II.

(y) Sua ſit auctori noſtro ſententia, illam tametſi improbandam non cenſeamus, cum Gronov. tamen, Cam. in M. S. legendum non abs re ducimus: *Continuo is me ex ſyncerasto crurifragium fecerit*. ac reddetur ſenſus: *mihi in crucem acto herus iniquiſſimus crura fragenda decernet*, ut cruci affixis penes Romanos perfringere moris erat. Cic. in orat. pro Roſc. Amer. *Opinor iis crura ſuffringantur*. Lipſ. conſule de cruce lib. 2. 14.

concionem vocatis. *Veſtram virtutem rerum quos geſturus ſum, vadem prædamq; habeo*, ſane immutatio eſt unius litteræ in ea dictione *prædam* quum *prædem* legendum eſſe & ab ipſo Curtio ita ſcriptum fuiſſe proculdubio credamus. *Præs* autem ſignificat ſponſorem, qui obligat ſe quiq; a magiſtratu interrogatus, ut præſtet, quod promittit, reſpondet ſe *prædem eſſe*. *Prædes* vero differunt *vadibus*, quoniam vas appellatus eſt, qui pro alio vadimonium promittebat, ut docet Marcus Varro, quamvis de *vade* aliter tradiderit Laurentius Vallenſis. Quantum ex Auſonii lectione intelligi datur, hæc eſt, differentia inter *vadem* & *prædem*, quod *vades* dantur in re capitali, *Prædes* vero in lite numaria. Verſus Auſonii, quibus hæc differentia tradita eſt mox monoſyllabis hi ſunt:

Qui ſubit in pœnam capitali judicio? vas.
Quod cum lis fuerit nummaria quis dabitur? præs. (z)

De *præde* idem ſcribit Feſtus quod Varro. *Prædes* popoſcit Tribunus Plebis a Scipione Aſiatico, cui mulctam irrogaverat, *ut auctor eſt Gellius*. De prædibus in hoc ſignificatu crebra mentio eſt apud ſcriptores opinatiſſimos. De prædibus ita ſcribit Aſconius. *Prædes dici fidejuſſores*, quorum bona prædia dicuntur. igitur Alexander magnus dicit apud Curtium, ſe habere virtutem militarem pro *vade & præde*, tanquam militum virtus ſatiſdederit & fidejuſſerit pro rebus, quas Alexander geſturus erat, quemadmodum *prædes & vades* promittunt pro alieno, hi in re capitali, illi in lite nummaria.

Corrige illum, cujus quoq; locum nunc in mentem venit. Namq; apud eundem ſcriptorem *petram*, *dorinin* nominati leges, *In aornin* emendato. Fuit n. apud veteres *Petra idos* princeps & in via monumentis hiſtoricorum celebrata: *quæ Aornos* nominatur, quaſi avibus inacceſſa.

Unde locum Graii dixerunt nomine Aornon.

A enim privationem ſignificat, & ὄρνις avem. Hanc olim fruſtra ab Hercule obſeſſam fuiſſe fama vulgavit. Hanc Alexander maximo cum periculo occupavit, a quo aræ in petra locatæ ſunt Minervæ, Victoriæq;. De hac petra ita ſcribit Strabo lib. xv. *quum Alexander petram quandam nomine Aornin primo adortu cepiſſet, glorìabundi dixerunt, Herculem petram adortum perinde repulſum eſſe*. Scribit Plutarchus Alexandrum, quum intellexiſſet hanc petram teneri ab homine meticuloſo, dixiſſe: *nunc locus iſte facillimus eſt captu*.

Apud Auſonium Poetam Burdegalenſem ex minutulis literarum immutationibus maximæ difficultates emergunt, ſicut in illo, quod quia præ manibus eſt referemus:

Dum cicton coctonq; putas communis odoris,

ubi pro *cicton cyſton*, pro *cocton coſton*, legendum eſt κύστιν enim Græce di-

---

(z) *Prædem*, ac *vadem* in ſapientum ludo conjungit idem Auſon., hac Thaletis ſententia:
Prædes, vadeſq; pœnitudinis reos.
Præs fortaſſe a *præſtando* etiam vocatus, quaſi *Præſtes*, ut ab *anteſtando Antiſtes*; ea ratione, quod altero pactum non implente, *Præs* alienam cogatur præſtare culpam, *præs* autem, non *præſtes* diſcriminis cauſſa, nam alias ex Feſto, *Præſtitem in eadem ſignificatione antiqui dicebant, quem nunc antiſtitem dicimus*. Hæc Varroni etymologia Feſti etſi probetur; Joſeph tamen Scalig. ad Feſt. legendum monet, *Præs* idem ac *præſeſt*, innuens vocabulum *Præs præſens ſum* denotare; A quo diſſentimus, ſenſum omnium ſimpliciſſimum ſequuti, *Præs* explicantes pro *Præſto ſum* tamquam *fidejuſſor*.

Digitized by Google

dicitur Latine *veſica*. *Coſtos* autem frutex eſt odoratus. Igitur quum inter *cyſtin* & *coſton* nulla ſit differentia ſyllabarum, quum parva literarum ſit immutatio, jocatur Poeta in Eunum cunilingum, quam *cyſton*, j. veſicam locoſq; fœmineos & *coſton* putabat eſſe communis odoris, quia utroq; pariter delectabatur, nam *cyſton* lingua lambebat, & *coſton* naribus olfaciebat. Quamvis ergo ſit magna nominis ſimilitudo inter *cyſton* & *coſton*, tamen maxima eſt odoris differentia, quum alterum exhalet mephites fœtoreſq;, alterum odorem ſpiret olfactu jucundum. Et quoniam incidimus in hoc Auſanii epigramma, ille quoq; verſus, qui indiget emendationis, corrigatur, dicens:

Hanc mediam lambere, non videre.

Expungas illud *videre*, quod neque ſententiæ convenit, neq; metricæ rationi quadrat, & in ejus locum ſubſtituas *molere*. Eſt autem *molere* verbum vetus, & ſignificat ſubagitara, quo uſus eſt Horatius in ſermonibus ſic ſcribens:

Huic juvenes æquum eſt deſcendere, non alienas
Permolere uxores.

In paſſivo ſignificatu alibi Auſonius, inquit.

Deglubit, fellat, molitur per utramque cavernam.

Unde molitores ſubactores dicuntur, in qua ſignificatione accipitur apud eundem alibi ſic ſcribentem:

Cum dabit uxori molitor tuus & tibi adulter.

Igitur Poeta mordax, & perinde facetus ſignificare volens Euoum fuiſſe cunilingum, & non ſubactorem mulierum dixit, illum *fæminam mediam*, hoc eſt, cunnum *lambere*, quod lingua fit, non autem *molere*, quod fit mentula.

Ænigma eſt apud Auſonium in epiſtolio ad Theonem, quo litteras ſymbolice & obſcure *Cadmi filias* appellat papyrum Niloticam *melonis paginam*, apices atramento formatos *notas furvæ ſepiæ*, & pro verſiculis amatoriis *Caidius modulos* dicit. Ideoq; autem, ut ſigillatim ſingula explicemus, obſcuritatemq; hanc illuſtremus litteras *Cadmi filias* vocat, quoniam Cadmus litterarum inventor fuiſſe perhibetur, qui e Phœnice in græciam ſexdecim numero attuliſſe fertur a Plin. *lib. vii. de natu. hiſtor.* Unde antiqui græci litteras Phœniceas cognominaverunt, *ut auctor eſt Herodotus in Terpſichore*. Ait idem ſcriptor, ſe vidiſſe in templo Apullinis *litteras Cadmeas* in tripodibus quibuſdam inciſas magna ex parte Jonicis litteris conſimiles. Quin etiam Cornelius Tacitus Cadmum auctorem litterarum fuiſſe autumat, rudibus adhuc græcorum populis. Non me præterit alia ab aliis ſcriptoribus de origine litterarum commemorati, quibus in præſentia ſuperſedebimus, quum ad rem noſtram non pertineant. *Nigellas* optimo epitheto litteras cognuminat, propterea quod ex atramento ſcriptorio conficiuntur. *Melonis* vero *paginam* papyrum nuncupant, quæ peculiariter naſcitur in paluſtribus Ægypti, aut quieſcentibus Nili aquis, *ut docet Plin. lib. xiii.* Unde *Niliaca* & *Niliotica papyrus* appellatur ab idoneis ſcriptoribus. *Melo autem*, apud antiquos Latinos dictus eſt *Nilus*, ſicut Telamon Atlas, *ut tradit Servius & Feſtus*. Per notas *furvæ ſepiæ* ipſas litterarum formas atramento ſcriptas intellige. *Sepia* enim pro ſanguine habet atramentum, quod ubi apprehendi ſe ſenſit effundere conſuevit, & ita in fuſcata aqua abſconditur, *ut meminerunt Plin. & Ariſtot.* Inde *ſepiam* accipimus pro atramento, & ita accepit Perſius eo verſu:

Nigra quod infuſa vaneſcat ſepia lympha. (a)

Quod

(a) Tametſi pro atramento *ſepiam* uſurparint quamplurimi, Romanos tamen non ex *ſepia*, verum ex *fornacium*, *balinearumq; fuligine* atramentum confeciſſe exiſtimat Voſſ.

Quod autem ait *Cnidios modos* intelligit verſiculos amatorios propter Venerem reginam Cnidi Paphique, *ut ait Horatius*.

In Epiſtola ad Symmachum loquens de *grypo* ternarii numeri ita inquit: *Hanc quum velut gallinaceus Evedionis, ſitu cartei pulveris eruiſſem excuſſum relegi*. Mendum eſt in illo *Evedionis* pro quo nos emendavimus *Euclionis*, & ita emendandum eſſe judicabit, quicumq; legerit vel ſolam Plauti *Aululariam*, in qua inducitur ſenex ille nomine *Euclio* omnium mortalium avariſſimus, qui gallum gallinaceum domeſticum, & Staphilæ anus peculiarem fuiſſe obtruncavit, propterea quod eum viderat occipientem *ſcalpurire ungulis*, ut utar Plautinis verbis, ubi defoſſa erat aula illa auri plena. Itaq; ad hunc gallinaceum Euclionis alludens Auſonius ait ſe ita a ſitu pulvereo, qui cartas infeſtat, eruiſſe librum, velut gallinaceus Euclionis ſcalpebat ungulis terram, tanquam eruere vellet theſaurum ſenis, in aula defoſſum.

Ejuſdem in monoſyllabis eſt iſte verſiculus:

An Lybiæ ferale malum ſit Romula vox, ſes.

Menda eſt in nuviſſimo verbo, quam nos ita correximus ut pro *ſes* emendes *ſeps*. Eſt autem *ſeps* ſerpentis genus ex cujus ictu membra percuſſa putreſcunt. Unde & nomen mutuari videtur, *ſepo* enim verbum græcum ſignificat *putrefacio*, & *ſepſis* dicitur putrefactio. De id genus ſerpentibus ita ſcribit Solinus in Polihiſto: *Ictus ſepium putredo ſequitur*, Lucanus in nono Pharſaliæ hoc verſu naturam ſepis luculenter expreſſit:

Oſſaque diſſolvens cum corpore tabificus ſeps,

ubi epitheto elegantiſſimo & Etymologiæ accommodato uſus eſt. Idem decentiſſime narrat *ictu ſepis* exigui ſabellum militem Catonianum fluente cute fuiſſe conſumtum, ejuſq; cuncta viſcera in terram effluxiſſe. Auſonius *ſepem* vocat *ferale malum Libyæ*, quoniam Africa ſerpentibus adeo fœcunda eſt, ut mali hujus merito potiſſimum palma illi detur. Senſus eſt Auſonii per interrogationem quærentis, an *ſeps* ſit Romula vox, hoc eſt, latina dictio, nam Græca potius eſſe videtur vel Græcanica cum a verbo græco derivetur, de quo jam diximus. (*b*)

Apud juriſconſultos in titulo ad *legem Corneliam de ſiccariis*, (*c*) duæ ſunt jun-

(b) *Seps* alio nomine *chalcis* a Græca voce χαλκίς, χαλκός, quod *æs* ſignificat, quod *virgis quibuſdam ærei coloris diſtinguatur*. Plinium conſule, lib. IX. cap. V. *Lacerta, quam hi ſepa, alii chalcidicen* (melius cum Voſſ. *chalciden*) *vocant in vino pota morſus ſuos ſanat*. Germani eam dicunt *Kufferader*, quaſi *ærea lacerta*; Ejuſmodi ſerpentis genus commemorat cum Solino, Dioſcorides, ipſiuſque naturam alii fuſius proſequuntur. *Seps* inſuper notat *quidquid objectum introitum in agrum vel hortum prohibet*: Auſonius in Technopægnio:

Bucolico ſepes dixit Maro: cur Cicero ſeps?

ni malis accuratius legere *ſepes*, quum quo loco *ſeps* Tullius dixerit adhuc ignoretur, a *ſepienda* nonnulli *ſepes*, vel a *ſepibus ſepire* duxit Non.; *ſepire* autem ortum a Chaldæa ſignificatione idem eſt propemodum, ac circumdare.

(c) Lege Cornelia de ſicariis lata a L. Corn. Sulla Dictatore an. U.C. 673., cautum eſt exilio primum Patritios viros puniendos, peblejos morte mulctandos, qui vitam ſeu vi, ſeu veneficiis cuipiam ademerint; deinde Imperatorum ſenteotia pœna evaſit acerbior, capitali ſupplicio adverſus eos, ſive nobiles, ignobileſve fuerint, ſancita, qui aliquem interemerint, aut fœtum jam animatum abegerint; quæ dum exararemus monuit clar. Juriſconſ. Anton. Paniò in hoc Regali Nobilium Collegio egregius Juris Civilis, Cano-

junctim dictiones depravatæ, & ex Latinis per incuriam librariorum ad barbaras dictiones traductæ. Nam in omnibus codicibus *Pyſtuocarpas* aut *Bobuſtram legimus*, quum legere debeamus *Pythiocampas* aut *Cupreſtin*, Nam *pythiocampæ* ſunt erucæ venenatæ in pino naſcentes. Unde & nomen mutuantur: Græce enim *pytis* vocatur pinus. Unde & Pityuſæ Inſulæ a Græcis dictæ a *frutice pineo* monumentis ſcriptorum Inclytæ. Campe veto ſignificat *brucum ſive erucam* a flexura, quæ Grecæ dicitur καμπή: *Pytiocampe* quæ ſint docet Plin. luculentiſſime pauciſſimis verbis: quæ ſunt ex 23. tranſcripta. *Uſus ſæpe contra Cantharidas Bupreſtin pinorum erucat, quat Pytiocampos vocant ſalamandras & contra venenata mordentia*. Idem in 29. ſcribens de Cantharidibus inquit: *Vis earum adurere corpus: cruſtas abducere, eadem Pytiocampis picea naſcentibus*. Scribit Columella lib. 12. hæc verba: *Beſtiolæ quæ a nobis appellantur erucæ, græce campæ nominantur*: Idem docet in lib. de cultu hortorum: *Hat beſtiolas occidere omnes, & mori, ſi mulier qua in meſtruis eſt ſolutis crinibus: & nudo pede ter circum areolas horti ducatur*. Verſus Columellæ hic eſt:

Valuitur ad terram diſtorta corpore Campe.

Palladius quoq; de iiſdem vemiculis ita ſcripſit in primo de re ruſtica. *Campas nonnulli ficulneo cinere perſequuntur. Bupreſtis autem animal eſt ſimillimum ſcarabeo longipedi, rarum in Italia fallit inter herbas bovem maxime, unde & nomen invenit, devoratumq; tacto ſele ita inflammat, ut rumpot*. Plinius lib. xxx. a quo identidem *Bupreſtis* mentionem fieri reperies, multaq; ab eodem tradi remedia adverſus *Bupreſtis* venena. Igitur Juriſconſultus ſcribit pigmentarios, ſi cui temere dederint *Pytiocampos aut Bupreſtin*, quæ ambo venenata ſunt, teneri pœna legis *Corneliæ de ſicariis & veneficis*.

In titulo *de auro & argento legoto* vetus verbum & elegans depravatum eſt, unius litteræ adjectione, quæ menda quamvis levis eſſe videatur, tamen ſignificatum vocabuli corrumpit eloquutionemque dehoneſtat. Ita enim ſcriptum eſt: *Certe ſi cacabos argenteos habebat vel militarium argenteum, dubitari poterit, ob eſcario contineatur*. Illud *militarium* littera una detracta corrigito *miliarium*, ſignificat enim *Miliarium* vas ad coquendum accommodatum, de quo ait Cato in libro de re ruſtica. *Inter orbem & miliarium unum digitum intereſſe oportet*. Qua figura ſit *miliarium*, ſignificare videtur Palladius libro quinto ſic ſcribens: *Vas æneum miliario ſimile, id eſt, altum & anguſtum, veſpere inter alvearia collocemus, & in fundo ejus ponomus lumen accenſum*. In alio ſignificatu *miliarium* dicitur columna aurea in capite Romani fori ſtatuta, in qua inciſæ omnes viæ Italiæ terminabantur. Et hoc *miliarium* Plinii. Tranquil. Plutarch. atq; Taciti monumentis eſt celebratum, juxta hoc *meliarium* conſalutatus Otho fuit Imperator. In alio ſignificatu accipitur *Miliarenſis porticus* apud Flavium Vopiſcum in Aureliano, & apud Tranquillum in Nerone *Porticus Miliariæ*, (*d*) de qua dictione alibi plura dicemus.

Di-

nonici, & Gentium Præceptor de literaria Reipublica optime meritus, ſummi Ordinis virum Joſephum Scoma, dum Regias Siciliæ cauſſas ageret, more ſuo luculenter ſcripſiſſe contra improbum quemdam medicum ac veneficum, ipſumq; Cornelia lege ad mortem damnandum cenſuiſſe.

(d) *Milliaria* Porticus eadem ac *milliarenſis*, in hortis Salluſtianis cenſita, eam ab Aureliano, qui frequenter illuc ſecedebat, exornatam liquet ex Vopiſco c. 49. *Milliarenſem porticum in hortis Salluſtii ornavit, in qua quotidie & ſe & equos fatigabat, quamvis eſſet non bonæ valetudinis*.

Dixit Juriſconſultus digeſtis *de legatis*, *ſervos obſonatores non videri negotiationis appellatione contineri*, expoſuit Acurſius *obſonatores eſſe*, *qui cuſtodiunt dominum in lecto*, *vel qui reſonant & cantant domino in menſa*. O interpretationem ex pœnitentiſſimis doctrinarum ſacrariis depromtam, o miſeram & miſerandam conditionem mortalium, qui Acurſio ita addicti, ita mancipati ſunt, ut cum illo errare malint, quam cum aliis vera ſentire. Cujus interpretationem ſi quis auſus fuerit improbare, ille anathema ſit, ſed (quod cum bona venia dictum ſit Acurſii ſectatorum) ubi quæſo legit? ubi didicit Acurſius hanc obſonatoris ſignificationem? (e) profecto nuſquam, ſuum eſt inventum, ipſe peperit, ipſe excogitavit, ipſe cum ſuis hanc doctrinam tanquam filiolam exoſculetur, nos certe rivales non babebit, qui legimus *obſonotores* dici eos, qui *obſonant*, hoc eſt, *obſonia*, quibus veſcimur, ſcienter emunt, quod a verbo *obſono* derivatur. Unde ait Plaut. in Bacchidibus,

Obſonate pollucibiliter,

Et alibi: *Cœnæ obſovavi*, j. *obſonium emi*.

Et

(e) Mitius, ac pethumaniter admodum cum Accurſio agit noſter Beroaldus; proh Deum, hominumq; fidem, ecquis mendoſum ſcholæ Bartholinæ principem ferat in quo ex Latii ſermonis inſcitia irrepſerunt errores prope innumeri? mirabitur quiſpiam *Falcidiam legem* prave ab illo traductam, ac quæ a C. Falcidio Plebis Tribuno Auguſti ætate lata anno U. C. 712. nomen duxit, a *Falce* imperitum hominem deduxiſſe; plurima ſane adverſus illum collegerunt Albert. Gentil. in Dial. *Pomponius*, Everard. Otho in *Papiniano*, Breneman. in Hiſt. Pandect.; incredibile dictu, quod Menag. in Amenit. Jur. affert vel juratus, ſe Cauſſidicum magni cæteroquin nominis audiviſſe, qui Bartol. doctrinæ forte adhærens, *Conſtitut. D. Marci Imper.* in jure familiarem, pro *S. Marci Precibus* uſurpavit. Quid plura? Dolebat vehementer, ac invito animo ſingula patiebatur, dum vitam ageret clariſſimus Jur. Conſ. Auguſt. Pantò in hoc Regio bonarum artium Lyceo inſignis diſciplinarum Legalium Magiſter, cui ſpectatiſſimæ eruditionis viro, ſtrenuoque in ptimis Cujacianæ ſcholæ Patrono, immatura morte perempto hucuſq; illacrimantur optimi, ac literati homines, quem arctiſſima nobis neceſſitudine junctum honoris cauſſa nominamus, atq; in Oratione habita ad nobilium adoleſcentulorum animos ad legem inſtituendos omnia accurate recenſet; cujus verba libet apponere.

,, Hos ſanè antiquitatis æque ac latini
,, ſermonis incurioſos multa in jure
,, civili peccaſſe nemo eſt, qui infi-
,, cias ibit: nam ſæpe a recta, ac ger-
,, mana romani juris intelligentia, le-
,, gumque veſtigiis diſcedentes, ſuis
,, immodicis acuminibus ipſi ſe com-
,, pungunt, ac inani ſubtilitate inter
,, ſe digladiantur, non quidem ad
,, res dubias, obſcuraſve, ut opor-
,, tet, enodandas, ſed potius ad cer-
,, tas, planaſque magis, magiſque
,, tenebris involvendas; de quibus
,, apud Cujacium lib. v. reſponſorum
,, Papiniani ad l. 17. de injuſto ru-
,, pto. ſic ſcriptum habemus: Vim
,, hujus reſponſi, & poteſtatem non
,, bene percipiunt interpretes, inani
,, ſermone imprudentia utuntur, ſunt
,, verboſi, & prolixi, more ſuo, ut
,, ſolent in re facili eſſe multi, in
,, difficili muti, in anguſta diffuſi.
,, Cujus rei ego ſum optimus teſtis.
,, hæc ille. Mihi vero inter tot erro-
,, res, quorum manifeſto arguuntur,
,, hac ſaltem non mediocri laude mi-
,, nime deſtaudandi videntur, (pu-
,, rioris juriſprudentiæ cultoribus, vel
,, ipſomet Cujacio, ultrò fatentibus)
,, quod dubitandi, & decidendi ra-

tio-

Et hoe verbum frequentiſſimum eſt apud veteres. Seneca lib. epiſtolarum ad Lucilium ſexto inquit: *Adjice obſonatores, quibus domini palati notitia ſubtilis eſt*. Apud Mar. diſtichon eſt, cujus lemma eſt, *obſonator*, quo manifeſte declaratur, quis nomine obſonatoris intelligatur. Sie enim ait:

Dic quotus es, quanti cupias cœnare, nec unum
Addideris verbum, cœna parata tibi eſt.

Igitur juriſconſulti ſententia hæc erit: *obſonatores* j. eos qui præſunt emendo obſonio atq; cibariis, negotiatorum nomine non contineri. Sexcenta ſunt id genus apud Juriſconſultos ab Accurſio perperam enarrata. Sed quum ſcire leges ſit, non verba earum tenere, ſed vim ac poteſtatem (ut Juriſconſulti tradunt) ab Accurſio *medullas*, ut ajunt *ac ſanguinem legum* exigamus, interpretamenta verborum na petamus, ego de hujuſcemodi rebus pluribus non invitus dicerem, niſi jam me numerum centum annotationum exceſſiſſe conſpicerem. Quo circa receptui canendum eſt. Alibi alia plura & ubetiora ſcribemus.

„ tionibus ex ipſiſmet legibus inter ſe „ commiſſis ſubtiliter eductis, etſi minus verecunde, & eleganter expoſitis, multa pro dirimendis civilibus controverſiis, quæ in forenſi exercitatione quotidie emergunt, abunde ſuppeditaverint. Quam enim Bartolini dialecticam, etſi inquinatam ex Arabum doctrina acceperant, eam in novis, ac quotidianis forenſibus quæſtionibus magna ingenii contentione, ac ſolertia adhibuerunt. Quo factum eſt, ut, Hugonis Grotii judicio, de jure belli, & pacis in proleg. in bono, & æquo, juſto, & injuſto tradendo, & definiendo plurimum valuerint; quamvis temporum ſuorum infelicitas impedimento ſæpe fuerit, quominus leges recte intelligerent; ita ut ſæpe optimi ſint condendi juris auctores, etiam tunc quum conditi juris mali ſunt interpretes. Verum enim vero his teterrimis temporibus pleriq; opinionum huc illuc vagantium aucupes, relictis veſtigiis, quæ majores noſtri laudabiliter preſſerunt, ſine ullo rationum examine aliorum placitis ita ſe mancipaverunt, ut illis veluti quamdam legiſlatoris auctoritatem in perniciem, & oblivionam legum attribuere viderentur; imo vero non quidem legibus tanta honeſtate, ac ratione refertis, ſed hominum arbitrio quandoq; temere, & inconſiderate ſcribentium obtemperare non erubeſcerent. Itaq; hujuſmodi recentis ſori cauſidici, qui non alio vim ingenii tetendiſſe videtur, quam ad alienas vulgarium auctorum ſententias tranſcribendas, non modo a ſplendida, elegantiq; Cujaciana ſamilia, quam nondum ſatis cognitam per ſummam temeritatem, & impudentiam aperte contemnunt, ſed etiam ab Accurſiana, ac Bartolina, quibus adſcriptos ſe magnifice jactant, atque oſtentant, merito ſunt repellendi; ac potius cuidam hominum ſectæ accenſendi, qui non tam legum, quam eorum ductu reguntur, quibus leges, pene dixerim, deſpectui ſunt, quique, ut cetera omittam, ſolidas res audacter abjicientes, tum maxime ſibi perbeati videri ſolent, quum meras nugas, ineptiaſve pueriliter aucupantur. Satis id eorum ſcripta, quæ ſæpe ad manus habemus, demonſtrant.

Digitized by Google

PHILIPPI BEROALDI

CONTRA

SERVIUM

ANNOTATIONES

AD

FRANCISCUM CÆSATUM

MEDIOLANENSEM.

SErvius, qui doctiſſimus a Macrobio nuncupatur, commentarios ſcripſit in Vergi. maximæ elegantiæ, nec minoris eruditionis. Unde inter commentatores auctoritatem ſibi ſummam comparavit. Verum (ut inquit) Varro *nemo unus omnia poteſt ſcire*, & juxta illud Horatianum,

Quandoque bonus dormitat Homerus.

Nam cum plurima a Servio bene & erudite dicta ſint, nonnulla tamen reperiuntur parum curioſe penſiculata, & ab hiſtoriæ fide diſcrepantia, idque potiſſimum in his rebus, quæ ad Geographiam pertinent licet animadvertere, namq; ea ſcripſit Servius, quæ eruditorum aures ferre nec poſſint, nec debeant. Quapropter quum errores commentatoris non minus obſint ingentibus quam proſint bonæ interpretationes, inſtitui ſummatim breviterque annotare loca quamplurima, quæ apud Servium magis obeliſco aſterico digna eſſe exiſtimavi, quod negotium, dum Vergilianam Poeſim publico auditorio profiterer, ſuſcipere non recuſavi, ut auditorib id a me efflagitantib. gratificarer. Quibus iſta excipientib. dictavi non eruditionis oſtentandæ gratia, ſed ut pro virili parte juvarem Latinæ linguæ ſtudioſos, & potiſſimum Virgiliani poematis amatores. Non ego is ſim, qui obſtrigillandi gratia Servio vel tantilium derogare velim, aut hominis doctrinam vellicare, imo Servium utpote optimum commentatorem laudo & lectito. Sed quandoque deficientem ac minus recte enarrantem emendare contendi, ſtudio *ſucciſivo* & opera (ut ajunt) *tumultuaria*, exiſtimans me facturum eſſe operæ pretium, ſi ea, quæ partim manca, partim inerudita apud Servium legebantur, noſtra induſtria integra & erudita legerentur. Proinde lectores rogo, quæſoq; ut hæc qualiacunque ſint boni conſulant, nec prius improbare moliantur, quam improbatione ac cenſoria nota digna eſſe comperiant, & hoc potiſſimum peto, ne quiſpiam cupiditate mordendi exiſtimet, me ſolicitatum iſta ſcripſiſſe, qui profecto ſtylum in manes defuncti ſtringere ſuperſediſſem, niſi mihi perſuaſum foret commentarios Servii incuria temporum fuiſſe depravatos mutilatoſq; nec tales ab ipſo,

qua-

quales nunc paſſim leguntur fuiſſe publicatos. Hoc autem inprimis obſervavi, ut commodiſſime, quid mihi videretur, explicarem, idq; fulcirem ac roborarem auctoritate excellentiſſimorum ſcriptorum, quibus fides ab eruditis major adhiberi ſolet, quam Servio, & ne prolixior prologus faſtidium pariat, hinc ordiemur, præponentes verba Servii, deinde noſtra ſubjicientes:

Serv. *Latium duplex eſt, unum a Tyberi uſque fundos, aliud inde uſq; ad Vulturnum.*

Phil. A Servio diſſentit Plinius ſcribens in III. naturalis hiſtoriæ libro: *Latium antiqui a Tyberi uſque Circejos fuiſſe ſervatum, deinde uſq; ad Lirim fluvium proceſſiſſe*, quod etiam refert Solinus in collectaneis.

Serv. *Genus unde Latinum.*

Novimus quod victi victorum nomen accipiant. Potuit ergo victore Ænea perire nomen Latinum. Sed volens ſibi ſavorem Latii conciliare, nomen Latinum non ſolum illis non ſuſtulit, ſed etiam Troianis impoſuit.

Phil. Melius, & verius locum Vergilianum declarant verba' Livii ita ſcribentis: *Æneas adverſus tanti belli terrorem, ut animos Aboriginum ſibi conciliaret, ne ſuo eodem jure ſolum, ſed etiam nomine omnes eſſent, Latinos utramque gentem appellavit*. (*f*) Hoc idem a Strabone in V. refertur, & Juſtinus quoque in XXX. ſic inquit, *Quid Latinos populus qui ab Ænea conditi videntur*. Ex his manifeſtiſſime apparet cur Poeta dixerit,

Genus unde Latinum.

Non inficior tamen a Virgi. Latinos populos appellari tanquam ita nuncuparentur ante adventum Æneæ, cujus rei, vel ille verſus argumento ſit

Ne vetus indigenas nomen mutare Latinum.

Quod ſi verum id eſt, quod Livius, Juſtinus, ac Strabo memorant, apparet non Latinos ante Æneam fuiſſe nuncupatos, ſed *Aborigenes*, ac *Laurentes*, quos poſtea Æneas *Latinos* nuncupaverit. Præterea apud ſcriptores idoneos non memini legiſſe, quod victores victis nomina immutarent. Id quiſque ſecum poterit penſitare, & ſequi, quod probabilius judicabit.

Ser. *Unius ob noxam.*

Noxam pro *noxiam*. *Noxia* culpa eſt, id eſt, peccatum, *noxa* autem pœna.

Phil. Apud eruditos, & idoneos ſcriptores *Noxa* pro culpa reperitur frequentius, quam pro pœna, quod Juriſconſ. apertiſſime oſtendit de verb. ſing. *Noxa appellatione omne delictum contineri*. (*g*) Inde *noxales actiones* nominantur

---

(f) Poſt Servium pleriq; alii doctiſſimi viri erraverunt, dum *to Latinum* interpretarentur; profecto veriſimile videtur Æneam, dum novi Imperii fundamenta jaceret, ex ſuæ gentis origine potuiſſe incolas Trojanos appellare, verum eruditiſſime Auctor noſter dubium ſuſtulit, quod major gentis pars lociq; ratio deductis ad novam terram victoribus Trojanis, antiquum Trojanorum nomen mutare cogeret in Latium.

(g) *Noxam pro corpore quod nocuit* dixiſſe Juſtinian. ait Barn. Briſſon. de verb. ſignific., *noxiam*, *ipſum maleficium*, licet promiſcue *noxam* uſurpari, & *noxiam* deinceps affirmet: ex *noxa* ducta *noxalis actio* non ex actione, quæ numquam ex ſe ipſa *noxalis* eſt, verum ex maleficio ad actionem accedente, quod damnum inducit, promanans: *Noxalem actionem* ex animalibus noſtris ortam ad inopiam quandoque nos redigere contingit; hanc vetuſtiſſimam eſſe demonſtrat lex. 12. Tab.

Si Quadrupes Pauperiem Faxit, Dominus Noxi Æſtimiam oFerta; Si Nolet, Quod Noxit Dato.

confirmatamq; legem Prœtoris edicto docuit nos pridem clariſs. Juriſconſ. Ant. Pantò ante laud.; quum innumeris prope rationibus *noxales actiones* vocari ex probatiſſimis Juris peritis moneret.

tur a noxa, hoc eſt, maleficio, & peccato ſervorum. Quintil. in declamationibus inquit: *Manifeſtiſſima quaq; noxa*, ideſt, *delicta* Ovidius:

Invidiam noxæ detrabit illa meæ;

ideſt culpæ, Livius: *Ob quam meam noxam*, id eſt: *delictum*, & ita paſſim apud eruditos *noxa* accipitur. Unde Virgilius proprie loquutus eſt

Unius ob noxam,

id eſt, culpam, nec exponendum eſt, prout exponit Servius *noxam* pro *noxiam*. Quin etiam *noxa* ſignificat damnum, & periculum, ac detrimentum, in ſignificatione ſæpiſſima apud priſcos repetitur. Ovidius:

Nocte nocent pota, ſine noxa luce bibuntur.

Columella: *Nebulas, ac pruinam ſine noxa peſert.* Et alibi: *Omnem injuriam ſine noxa patitur.* Suetonius: *Sine ulla ſua noxa adeſſent Idus Martiæ*. Noxia vero ſæpius adjectivum eſt, quam ſubſtantivum, & ſignificat *nocentem*, cujus rei plena ſunt omnia, & *noxij ſontes* nuncupantur. Curioſus profecto Lector ex frequenti antiquorum lectione comperiet, id veriſſimum eſſe, quod a nobis traditur, & differentiam illam Servii, utpote futilem ac prærancidam eſſe repudiandam:

Ser. *Novem ſunt Inſulæ Eoliæ poſt fretum Siciliæ.*

Phil. Geographi omnes ſcribunt *inſulas Æolias* eſſe numaro ſeptem, non novem, quarum nomina hæ ſunt *Lipara*, *Hiera*, *Strapyle*, *Didyme*, *Eriphuſa*, *Phenicuſa*, & nuviſſima *Evanymos*. Strabo in ſexto. Plinius in tertio, Solinus, Mela de Æoliis quæ aliis nominibus *Vulcaniæ Liparæ*, *Ephestiades* nuncupantur, ſcribentes numero tantummodo ſeptem eſſe dixerunt, quibus utpote orbis ſitum deſcribentibus credere malim, quam Servio Grammatici partes uſurpanti.

Ser. *O terq; quaterq; beati*,

id eſt, ſæpius, finitus numerus pro infinito.

Phil. Eruditis auribus non ſatisfacit Servii interpretatio, perinde ac vulgaris, & frigidiuſcula. (*b*) Elegantius, & eruditius Vergilianum carmen interpretatus eſt Macrobius, qui in primo in ſomnium Scipionis, quum ſeptenarium numerum eſſe perfectiſſimum docuiſſet, deque ejus vi ac poteſtate multa diſſeruiſſet, ita ſubjunxit: *Unde Virgilius nullius diſciplinæ expers & per omnia beatos exprimere volens ait*:

O terq; quaterq; beati.

Hactenus Macrobius, cujus ſententiæ adſtipulatur Tibullus illo verſu:

O mihi felicem terque quaterq; diem.

Qui quidem verſiculus non ſecus a Tibullo pronuntiatus eſt, quam a Virgilio:

O terque quaterque beati,

quod æmulatus eſt (ut opinor) Syllius ſic ſcribens: *Fælix o terque quaterque frater*: Non me præterit Strabonem enarrantem illud Homericum,

Terque die revomit,

ſcribere, quod talis ſuperlatio ab omnibus uſurpatur. Unde Homerus ait:

Ter beati Danai exorabiles & terque quaterque beati.

Ser. *Maturate fugam*, cum *maturitate*, id eſt, cum *tranquillitate diſcedite.*

Phil.

(*b*) Cœl. Rhodig. Servii arridet interpretatio lib. 22. cap. 12. *Tamen non ſit piaculare, credo, affirmare poetam, & in hac ὑμνεῖζων, ut in aliis centum millibus, eſſeque numerum finitum pro infinito, ut & Servio placet*; Cæterum quid in hac tantorum virorum varietate magis probandum, videat eruditus lector, quem hujus controverſiæ æquiſſimum Judicem malumus, quam audaciæ noſtræ, ſi prave ſenſum detorqueamus, ſeverum accuſatorem.

Phil. Inſulſa medius fidius hæc eſt expoſitio, tanquam *maturitas* ſignificet *tranquillitatem*, & *maturare tranquillum facere*, magis itaque Macrobio credendum eſt, qui in ſexto Saturnalium illud Virgilianum declarans ſo ſcribit: *Maturum eſt quod neque citius, neque ſerius ſed medium quiddam & temperatum eſt*. Et paullo poſt. *Sic ergo, & Virgilius inducit Neptunum diſceſſum ventis imperantem, ut & tam cito diſcedant tamquam fugiant, & tamen ſtandi mediocritatem in regreſſu teneant, tamquam mature, id eſt, temperate abeuntes*. Apud Gellium caput eſt elegantiſſimum, quo quid *maturare*, & *maturare* ſignificet, abunde monſtratur. (*i*) Cujus verba mutuatus eſt Macrobius.

Ser. *Heros vir fortis dicitur plus ab homine habens.*

Phil. Nimis conciſus eſt Servius in explanatione Heroum, nec abſolutam exſpreſſit rem, non parva ſignificatione. Audiatur itaque Auguſtinus copioſiſſime docens qui ſint Heroes libr. x. de Civitate Dei his verbis. *Nomen Heroum a Junone dicitur tractum, quod Græca Juno Hera appellatur, & ideo neſcio quis filius ejus, ſecundum Græcorum fabulas, Heros fuit nuncupatus, hoc videlicet myſticum ſignificante fabula, quod aer Junoni deputetur, ubi volunt cum dæmonibus Heroas habitare, quo nomine appellant alicujus meriti animas defunctorum*. Idem vii. ait *Inter Lunæ girum nimborum ac ventorum cacumina aereas eſſe animas non oculis videri, & vocari Heroas, & Lares & Genios*. Ex his liquido patet qui ſint *Heroes*, & unde nomen ſortiantur. Trimegiſtus quoque auctor eſt, *Heroas* habitare inter aeris puriſſimam partem ſupra nos, & terram, ubi nullus eſt nebulis locus. Minime prætereundum eſt id quod Martianus Capella tradit in nuptiis Philologiæ *Heroas* videlicet ab *Hera* quæ terra dicitur, eſſe nuncupatos; iſta curioſo interpreti fuerant inveſtiganda & enarranda, niſi forte Servius exiſtimavit ſatis ſuperque eſſe, id quod tractabat mutilatum tradere, atque conciſum, quum boni tamen Grammatici officium ſit Etymologias, verborum ſignificataque ubertim explicare.

Ser. *Ex Illyrico venit quidam Henetus rex, qui Venetiam tenuit, a cujus nomine Henetiam dictam, poſteri Venetiam nominaverunt*.

Phil. Admiror Servium in tam manifeſtarium errorem incidiſſe, idque ſcripſiſſe, quod a nullo hiſtoricorum traditum ſit, quum omnes idonei ſcriptores conſono ore conſcribant, in Paphlagonia regione Aſiatica fuiſſe populos *Henetos* nominatos, a quibus in Italia oriundi ſint cognomines eorum Veneti. Hoc Livius in primo, Plin. in vi. Cornelius Nepos, & Quint. Curtius memoriæ prodiderunt. Strabo vero opinatur *Venetos Italicos*, a Vene-

---

(I) *Maturare fugam* hoc in loco idem propemodum eſſe, ac fugam accelerare exiſtimat Vir clariſs. Turneb. lib. 12. cap. 12.; quem plerique ex doctis Interpretibus ſunt ſequuti; hoc ſenſu dixiſſe Tullium rati, *maturare mortem*, ac Tibullum ſimiliter:
Seu matura dies celerem properat mihi mortem,
Longa manet ſeu vita.
neq; hæc nobis improbanda ſententia videtur, tametſi aliquando *maturare*, *ſine feſtinatione nimia*, ac perinde *mature facere* ſignificare ultro fateamur ex Virg. 1. Georg. 260.
Multa forent quæ mox cælo properanda ſereno
Maturare datur.
hac explicatione Poetæ mens erit ſane exploratior, quum Neptunum ventos increpantem, iratumque pelago abigentem induxerit.
Maturate fugam, Regiq; hæc dicite veſtra.
NON ILLI IMPERIUM PELAGI SÆVUMQ; TRIDENTEM, SED MIHI SORTE DATUM.

netis Galliæ populis, Coloniam fuiſſe deductos, iſtorum omnium (ut arbitror) merito Servii eſt exploſa ſententia.

Ser. *Iulius Cæſar dictus, quod cæſo matris ventre natus eſt.*

Philipp. Celeberrimi ſcriptores & potiſſimum Tranquillus ac Plutarchus ſcribunt, Cæſarem matri *Aureliæ* olim dixiſſe: *Mater aut Pontificem, aut exulem filium hodie videbit.* Eadem laudatur quod nurum ſemper obſervavit, & ſingulari pudicitia fuerit prædita, atque vixerit, flurueritque vivente atque florente filio Cæſare. Præterea non ipſe Julius Cæſar dictatot apud Romanos primus hoc nomine decoratus eſt, ſed Scipio Africanus, ut auctor eſt Plinius, cujus verba hæc ſunt ex libr. 7. *Auſpicatius enecta parente gignuntur, ſicut Scipio Africanus prior natus, primuſque Cæſar, a cæſo matris utero dictus.* Solinus idem ſcribens Plinii verba corroborat. Hoc in loco memorandum eſt id, quod a Spartiano de *Cæſonum* nomine refertur, qui in Ælio Vero Imperatore tradit, eum qui primus Cæſar appellatus ſit, hoc nomen eſſe ſortitum ab elephanto, qui lingua Maurorum *Cæſa* dicitur, in prælio *Cæſo*, vel quia mortua matre *cæſa* ventre ſit natus, vel cum magnis crinibus ſit utero parentis effuſus, vel quod *oculos cæſios* habuerit: (*k*)

Serv. *Compaga* uſurpatum eſt, *compaginis* autem nemo penitus dicit.

Philip. Sententiam Servii refellit Manlius in primo Aſtronomicon ſcribens:

Interdum æquali laterum compagine dictus.

Idem in eodem:

Aeriam in nebulam clara compagine verſus:

Et Ovidius in primo metamorphoſeos:

Atque ita diſparibus calamis compagine ceræ.

Et Seneca in 14. Epiſtolarum ad Lucilium cujus hæc verba ſunt: *Sive flammarum violentia compaginem ſoli rupit, ſive vetuſtas.* Inde *compaginatio* & *compaginatus* derivatur, qua dictione utitur ſæpius Hieronymus, Auguſtinus, & Joſephi interpres Ruffinus.

Serv. *Auguſtus in primo Quirinus dictus eſt, & inde Cæſar, poſtea, quod obtinuit Auguſtus, ſicut Suetonius probat.*

Philip. Quum talia in commentariis Servii lego, in eam ſententiam pedibus vado, ut exiſtimem eos fuiſſe adulteratos, & in plurimis locis corruptos, mutilatos, inverſos. Etenim Suetonius nuſquam hoc refert. Ceterum ſic

(*k*) *Si cæſiis oculis* fuiſſet *Cæſar* non *Cæſaris* nomine, verum *Cæſii*, quod ipſi Romani uſurpabant, fuiſſet appellatus; nec a cæſo elephanto Punicam vocem *Cæſar* ductam, latinitate donatam eſſe, veriſimile exiſtimamus, latinum enim *Cæſaris* nomen arbitramur, non Punicum, ac Elephantum *Cæſari* in nummis tribuens Auguſtus, *Cæſarem* tantum inter numina relatum *vel Sacerdotem* ſignificavit, quod ex nummi inverſa facie liquet, in qua *albogalerum*, vel *tutulum*, *ſeceſpita*, *aſperſorium*, & *vas ſacrificale* conſpiciebantur ordinis ſacerdotalis inſignia. Illam eorum ergo ſententiam cæteris præferendam putamus, quæ *Cæſaris* Ætymologiam a *Cæſarie* ortam cenſent, ac ſi quis a *cæſo utero* ob Plinii auctoritatem *Cæſarem* dixerit, non repugnabimus, dum ejuſmodi nomen ex Julii majoribus aliquem accepiſſe non neget. A *Julio Cæſare*, ipſius ſucceſſores *Cæſares* nuncupati fuerunt, ut ab *Auguſto Auguſti*; poſterioribus autem ſæculis ſeparari cæpere hæc nomina, ut *Auguſtus* eſſet qui imperaret, *Cæſar* futurus Imperii ſucceſſor: nunc temporis *Cæſar* eſt, qui penes veteres *Auguſtus*, ac *Romanorum Rex*, qui apud illos *Cæſar* eſt nominatus.

Digitized by Google

ſic ſcribit in Auguſto: *Infanti cognomen Thurino inditum fuiſſe, poſtea Caii Cæſaris, deinde Auguſti cognomen aſſumpſiſſe, alterum teſtamento majoris avunculi, alterum Manatii Planci ſententia, cum quibuſdam cenſentibus Romulum appellari oportere, quaſi, & ipſum conditorem urbis prævaluiſſe, ut Auguſtus potius vocaretur. Thurinus autem vocatus ſuerat a pago Thurino.* Nulla mentio, nullum verbum a Suetonio fit, quod *Quirinus* fuerit nominatus, niſi fortaſſis credere velimus in aliis a Tranquillo ſcriptis opuſculis hujuſce rei habitam eſſe mentionem, quod exiſtimare ridiculum eſt: namque in commentariis Servii etiam Plinius ſæpiſſime allegatur, ſed perperam. De his rebus, quarum nulla penitus apud Plinium fit mentio, quemadmodum de *Lyciſca* ſcribens Servius ait: *Lyciſcæ ſunt, ut etiam Plinius dicit, canes nati ex lupis & canibus.* Hoc nuſquam apud Plinium reperitur, nuſquam in Plinio lectum eſt, qui quidem refert *canes in Gallia e lupis concipi, ſicut ut apud Indos e Tigribus*, ſed appellari *Lyciſcas* minime tradit. Idem *Crocutas* nuncupat ex cane lupoque conceptos. Quin etiam dicit Servius a Plinio in nat. hiſt. mentionem fieri, *de lavandis cadaveribus* & *conclamandis*, quum apud Plinium nullum ſuper hoc verbum ſic ſcribentem de his, qui dicti ſunt revixiſſe. Libuit hæc duo exempli cauſſa ponere, cum ſepiſſime (ut diximus) Plinium falſo citet Servius, qui Ovidii quoque allegat metamorphoſin referens fabulam *Phyllidis*, cujus rei nulla penitus mentio in eo opere facta reperitur. Ex his itaque ego conjecto aut mutilatos fuiſſe Servii commentarios, aut non fideliter exſcriptos: non enim auſim affirmare tantum alioquio virum, tam pueriliter deliraſſe, niſi fortaſſis idem Servio crimini demus, quod Senecæ dat Quintilianus, videlicet quod ab his, quibus inquirenda quædam mandabat, deceptus fuerit. Nos ad propoſitum inſtitutum redeemus.

Serv. *Hiſtoria eſt eorum temporum quæ vidimus vel videre potuimus: Annales vera ſunt eorum annorum, & temporum quæ ætas noſtra non novit.*

Philip. Etſi Servio in hac re, Iſidorus libro primo etymologiarum ſuffragatur, tamen apud me pluris eſt auctoritas Ciceronis & Gellii, qui (ut opinor) & Servio & Iſidoro doctiores exſtiterunt. Etenim Gellius in 5. eos arguens, qui de *hiſtoria & annalibus* idem quod Servius tradiderunr, inquit: *Annales omnino id eſſe quod hiſtoriæ ſint. Hiſtorias non omnino id eſſe quod annales ſint, tanquam alterum ſpeciale nomen ſit, alterum generale. Itaq; hiſtoria erit rerum geſtarum expoſitio: Annales vero libri ſunt, id, quod factum quoq; anno geſtumve ſit continentes. Hiſtoria quo conſilia qua ratione res geſtæ ſint demonſtrat, affectus habet, auditorem commovet. Annales autem nudi ſunt, nihil habent incitamenti, nec commovere quicquam poſſunt, ſimpliciter ſine ullis ornamentis, ſine fuco, ſine affectibus res geſtas continentes.* De quibus annalibus ita ſcribit Cicero lib. 2. de Orat. *Erat hiſtoria annalium confectio, res omnes ſingulorum annorum mandabat literis Pontifex maximus, efferebatq; in album, & proponebat tabulam domi, poteſtas ut eſſet populo cognoſcendi, iiq; annales maximi nominantur.* (*l*) Virgilius itaq; omnium rerum perītiſſimus ex perſona Æneæ tanquam Pontificis dixit in primo:

Et

(*l*) In gloſs. vet. *Annale* reperitur a Græcorum vocabulo ἐνιαυσιαῖον; Annalibus hiſtroria acceſsit apud Romanos, quo tempore Mutius Scævola P. M. fuit a M. Catone, Fabio pictore, Antiſtio Piſone, Cælio Antipatro, aliiſq; uberiore ſtylo ſcribi cœpta ex Cic. laud. l. 2. de Orat. *Annales* iidem erant ac *Faſtico* nomine dicti *a diebus faſtis*, qui *nefaſtis* candidiores erant. Cic. etiam *Annalium* meminit Orat. pro dom. *Annales, & monumenta vetuſtatis.*

Et vacet annorum noſtrorum audire laberum.

Nam quum Pontiſex annales conficiat & Æneas a Poeta perinde ac Pontifex indicetur, merito *annales* appellat hiſtoriam rerum ſuarum. Et hic Maronianus verſus, a Macrobio cum diligentia lectus eſt, & eruditiſſime expoſitus enucleatuſque, a Servio autem parum curioſe examinatus penſitatuſque.

Ser. *Incuſare proprie eſt ſuperiorem arguere. Accuſare vero vel parem vel inferiorem.*

Phi. Quis non videt falſam ac penitus inanem eſſe differentiam obſervat, quinimo ſæpiſſime ſecus legitur: *Cæſar in primo commentario omnium ordinum adhibitis ad id conſilium centurionibus vehementer eos incuſavit.* Certo Cæſar militibus ſuis major eſt, non minor, & tamen contra Servii diſciplinam dicit ſe illos *incuſaſſe*: Et profecto latiniſſime loquutus eſt. *Incuſare* enim ſignificat reprehendere vel culpare ſine aliquo diſcrimine. Hinc Cor. Tacitus inquit: *Intemperiem cœli incuſantes.* Et apud Diomedem legitur: *Incuſante Cicerone Catilina convictus eſt*: Quod quidem exemplum de majore in minorem dici nemo inficiatur, quum conſul Cicero fuerit, & Catilina privatus. *Accuſare* vero ab auctoribus idoneis uſurpatur, nuſquam obſervata fætutina illa & prærancida Servii obſervatione, qua de re exempla ideo ponere ſuperſedeo, quia talibus ſcatent ſcriptorum cuncta volumina. (*m*)

Ser. Dixit Terentius:

Quod pleriq; omnes faciunt adoleſcentuli,

erde eſt quod omnes faciunt adoleſcentuli, ut animum ad aliquod ſtudium adjungant: pleriq; equos alere, pleriq; canes.

Phi. Iſthæc moroſa nimis Servii diſtinctio Terentiana verba obſcurat, & ex nitidis ſordida, ex manifeſtis reddit ambigua: namq; modus loquendi eſt apud eruditos, ut ita dicant *pleriq; omnes* pro una parte orationis, quod diligenter animadvertit Donatus apud Terentium & curioſis auribus demonſtravit, ſcribens, quod *pleriq; omnes* pro una parte orationis dixerunt veteres, ut *plus ſatis*, allegatq; illud Nevianum. *Pleriq; omnes ſubiguat ſub ſuum judicium.* Hoc loquutionis genus uſurpant locupletiſſimi ſcriptores, inter quos haud dubie numeratur Gellius, qui ita ſcriptum reliquit in primo: *Verſus iſtos ex Georgicis pleriq; omnes ſic legunt.* Et alibi: *pleruq; omnia veterum literarum quæſita*: Et Macrobius: *Vultis ne diem ſequentem, quem pleriq; omnes abaco & latrunculis conterunt.*

Ser. *Apparet errare eos qui triclinium dicunt, ipſam baſilicam vel cœnationem.*

Phi. Erravit ergo Quintilianus, qui in undecimo *triclinium* pro *cœnatione & conclavi* poſuit ſic ſcribens: *Vix ea limen egreſſa triclinium illud ſupra convivas corruit.* His verbis haud dubie Quintilianus *triclinium* appellat id, quod Cicero *conclave* nominavit in ſecundo de Oratore, ubi idem quod Quintilianus, exemplum referens, inquit: *Hoc interim ſpatio conclave illud ubi epularetur Scopas, concidiſſe.* In eodem quoq; exemplo enarrando Valerius

(m) De ejuſmodi accuſatione loquentem Aſtaphium ancillam Plautus inducit Truculent. act. I. Sc. I. 58.
Qui alterum incuſat probri, eum ipſum ſe intueri oportet.
ſenſu vero longe diverſo a Terentio uſurpatur *incuſare*, ſignificat enim penes illum *reprehendere* Heaut. 5. 2. 7.
Quid me incuſas Clitipho:
conſtat propterea, verbum *incuſare*, quod *accuſare* aliquando innuit, interdum reprehenſionem denotare, quam explicationem tametſi nonnulli omittendam putaſſent, nos tamen de vocabulorum dilucido ſenſu ſolliciti apponendam duximus.

rius Maximus ita ſcribit: *Eo momenta temporis tricliaium in qua Scopas epulabatur, collapſum eſt*. Ubi *triclinium* pro *cænatione* apertiſſime ponitur. Quod ſi vera eſt opinio Servii, erravit etiam Vitruvius architectus, qui in 6. docet, quemadmodum *Triclinia* partim æſtiva, partim hyberna ſint ædificanda, & in quam cœli partem vertenda. In expoſitione itaq; *triclinii* Servio in parte ſuffragor, namq; in eo quod ait *triclinium* ſterni ſolitum fuiſſe, quoniam antiqui tribus ſtratis lectis epulabantur, homini aſſentior. Unde & apud Plinium legimus *triclinia* Romæ fuiſſe argentea & ærata, quæ proculdubio pro *ipſis lectis diſcubitoriis ac tricliniaribus* accipiuntur. Nam & Livius idem referens ait: *Lectos æratas ab exercitu Aſiatico Romam adductos*. Quod autem inficiatur Servius, nuſquam *triclinium*, pro *cænatione* reperiri, in hoc ab eo apertiſſime diſſentio, & ut diſſentirem, monuit me vetuſtiſſimorum ſcriptorum auctoritas, quos teſtes citavi, quibus magis profecto credendum eſt, quam Servio. *Triclinium* itaque ut breviter concludam, ipſos *lectos diſcubitorios* ſignificat, & ipſam *cænationem*, (*u*) & in utraque ſignificatione eleganter & erudite uſurpabimus.

Serv. *Inter penum & cellarium hoc intereſt, quod cellarium eſt paucorum dierum, penus vero longi temporis*.

Philip. Conveniebat erudito Grammatico definire quid ſit *penus*, deinde differentiam *peni* & *cellarii* demonſtrare. Enimvero ex verbis Servii nemo intelligit quid ſignificet *penus*, quod profecto interpretatione digniſſimum eſt, quum in eo non pauci per inſcitiam a veritate deerraverint, qua quidem in re, eamdem caſtigationem meretur Servius, qua apud Gellium quiſpiam inſolens ac oſtentator Grammaticus taxatur, qui de variis generibus *penoris* variiſque declinationibus inſolenter diſſerens, a Phavorino interrogatus, quid eſſet *penus* muſſitabat, atq; hallucinabatur, quocirca cum Servius quid *penus* ſit non dixerit, nec ſatis erudite a *cellario* diſtinxerit, exiſtimavi me facturum operæ pretium, ſi illa quæ de *penu* legi, quæ didici, quæ vigilando deprehendi, quæ a Servio non traduntur, in medium afferrem, & his commentariis intexerem, ad juvandam ſtudioſorum ſcholaſticorum eruditionem. Eſt itaq; *penus* (ut Cicero in ſecundo de natura Deorum elegantiſſime docet) *omne quo veſcuntur homines*. Cui ſuffragatur Feſtus ſcribens, *penora* dici res neceſſarias ad victum quotidianum. *Pſaariam vero (ut inquit Varro) appellarunt locum in quo penus ſervabatur*. Ciceronis ac Feſti auctoritatem corroborant verba Scævolæ Juriſconſulti, qui ad demonſtrandum *penum* ita ſcripſit: *Penus* eſt, inquit quod *eſculentum aut potuleatum eſt*. Ceterum unde ipſum *penoris* nomen deducatur, commodiſſime declarat Phavorinus apud Gellium his.

(u) *Triclinium cænationem* dixit Cic. ad Att. XIII. *Quum ſecundis Saturnalibus Philippum veſperi veniſſet, villa ita completa militibus eſt, ut vix triclinium, ubi cœnaturus ipſe Cæſar eſſet, vacaret*. Var. de R. R. cap. LIX. *Triclinium* pro cœnationis loco accepit; *in qua quidam etiam Triclinium ſternere ſoleat cœnandi cauſſa*, & lib. III. cap. XIII. *Erat locus celſus, ubi triclinio poſito cœnabamus*; *Triclinium* Vitruvius deſcripſit lib. VI. cap. V. *Tricliniorum quanta latitudo fuerit bis tanta longitudo fieri debet*, quod *Triclinium*, tamquam locum cœnationi aptum, ſignificat: ejus etymologiam ex Polluc. apud Voſſ. ex Græco ducimus ἀπὸ τῶν κλινῶν ἀριθμοῦ, unde Horat. lib I. Sat. V.

Sæpe tribus lectis videas cœnare quaternos;

ac Juvenal. Sat. V.

Tertia ne vacuo ceſſaret culcita lecto.

de *Tricliniis* fuſius agit Hieronym. Mercurial. ac Fulvius in tract. de *Tricliniis*, aliiq;.

his verbis: *Quæ longæ uſionis gratia contrahuntur & reconduntur, ex eo quod non in promtu ſint, ſed intus & penitus habeantur penus dicta ſunt*: Et apud Juriſconſultos titulus eſt de *penu legata* ubi quæ appellatione *penus* intelligantur, copioſiſſime diſputatur. (*o*) Præterea officium fuerat diligentis commentatoris illud quod a Grammaticis ac literatoribus quæri ſolet de Virgiliano verſu, non tacere, utrum ſcilicet, legendum ſit,

Quibus ordine longa
Cura penu ſtruere,

an *longam penum*, Utrunque enim legi ſolitum eſt. Huc adde quod *Cellarium* vix unquam in ea ſignificatione quam tradit Servius reperitur, videtur enim *Cellarium* ea figura dici qua *panarium*, *granarium*, *penarium*, ut pro cella ac reſponſitorio potius accipiatur, quam pro ipſis rebus reconditis, quemadmodum inquit Varro: *panarium dicitur ubi panis ſervatur, granarium ubi granum reconditur, & penarium ubi penora cuſtodiuntur*: Hoc ita eſſe docet Donatus ſcribens *cellarium* dici a *ponendis celandiſq; rebus eſculentis & poculentis*. Quin & Juriſconſultus digeſtis de legatis apertiſſime oſtendit, *Cellarium* ipſum eſſe locum non res. Cujus verba hæc ſunt: *Item Cellarium junctum eidem Ditæ ab hærede meo ei concedi volo*. Apud Columellam titulus eſt *quemadmodum villica tractare debeat penora ſive cellaria*. Quæ quidem inſcriptio ſi non eſt ſubdititia, indicat *cellaria* idem eſſe quæ *penus* & fere congruit cum ſignificatu Servii. *Cellarius* vero maſculino genere dicitur is, qui præeſt *cellario & penoribus recondendis*, de quo videtur intelli.xiſſe Plautus inquiens:

Sum promus, condus, procurator peni.

De hoc Martialis:

Hic Cellarius experitur artes.

Et Columella in 12. *Quibus* inquit, *ſtudium fuit piſtoris & coci non minus Cellarii diligentiam ſuis præceptis inſtituere*: Et alibi: *Ut cibus*, inquit, *& potio ſine fraude a Cellariis præbeatur*. (*p*)

Ser. *Quum reſponſum fuiſſet, illic imperium fore ubi & Palladium, adhibito Mamuria fabre multa ſimilia facta ſunt*.

Philipp. Nemo ſcriptor idoneus quod equidem ſciam tradit hoc, imo omnes conſono ore referunt: *Peltam* (*q*) *de cælo lapſam, in Numæ manus deci-diſ-*

(o) *Penus* in jure ſignificat, ex tit. de *Penu legata* apud Matth. Weſembec. clariſs. Juriſconſ. *eſculenta, & poculenta, quæ cœnæ aptæ longæ uſionis gratia reconduntur*; penoriſque legato contineri cenſet laud. auct. *quæ ad cibum, potumq; attinent, oleum, thus, & ſimilia, vaſaque pennaria* ex Proculo, niſi contraria mens teſtatoris appareat; ac penoris legatum transfundi in in obligationem pecuniæ poſt moram exiſtimat, cum quia voluntates defunctorum non debent in ſuſpenſo manere, l. fin. com. prad., tum quod illa eſt *Penoris* natura, ut facile corrumpatur. Ex *penu penetrale* ducitur, *quod* videlicet *raro adiri & penetrari ſolet*, atq; a *Penu Penates*: Cic. 2. de nat. Deor. c. 27. *Dii Penates a penu ducto nomine; eſt enim omne, quo veſcuntur homines, penus*.

(p) *Cellarium* præter ſignificationem ab Auct. noſtro allatam tamquam adjectivum ad *cellam ſive promptuarium pertinere, ubi animalia noſtra ſaginantur, ut cellaria ſagina* exponit Paræus in *lex*. critic. verb. *Sagina*.

(q) Pelta, *ſcutum parvum, & leve* a vocabulo Græco πέλτη ortum eſt, ſpeciem amazonici ſcuti referens, tametſi ex nonnullis auctoribus longe ab illa diverſa cenſeatur; eam Virgil. lunatam vocat,

Du-

diſſe: Ad cujus ſimilitudinem & formam undecim alias *peltas*, hoc, eſt breviora ſcuta Maumurius inter opifices ſolertiſſimus fecit, tanta arte, ut vera *pelta* vix dignoſceretur, hoc ſcribit Plutarchus in Numa, hoc Ovidius in Faſtis, hoc Dionyſius Halicarnaſſeus in ſecundo. Hæc fuerunt illa celebratiſſima *Ancilia* quæ per urbem tripudiantibus ſaliis in honorem Martis circumgeſtabantur. (*r*) Atq; id Servius ipſe confinxit, ipſe peperit, ipſe ſolus excogitavit, nulla fretus auctoritate, quod de Palladiis a Mamurio factis fabulatur.

Serv. *Barba ſingulari numera hominum, plurali quadrupedum dicitur.*

Philipp. Auctoritatem Servii eruditorum refellit auctoritas, namque *Barba quadrupedum* in ſingulari numero apud idoneos reperitur. Horat. in 1. ſermonum:

Utq; lupi Barbam variæ cum dente calubræ.

Plin. In 28. *Afferunt & Magi ſua commenta primum omnium, rabiem hircorum, ſi mulgeatur barba, mitigari*. Idem in 8. *Et in eadem ſpecie barba tantum & armorum vallo diſtans quem tragelaphon vocant*. Et alibi: *Callitrices*, inquit, *toto pene aſpectu differunt a ſimiis, barba eſt in facie cauda lata diffuſa priore parte*. Præterea non ſolum *quadrupedum dicitur barba*, ſed etiam aliarum rerum, quod haud dubia oſtendit Plinius, ſic ſcribens in trigeſimo: *Quum geminat tranſit ſal, criſtis & auribus & unguibus gallinaceorum ſi una raſis barbis eorum*. Idem in 9. *Barbam* dici poſſe ſingulari numero, etiam in piſcibus demonſtrat his verbis, de mullis piſcibus ſcribens: *Barba gemina inſigniuntur inferiori labra*. Hic Cicero in paradoxis, & M. Varro in re ruſtica *mullos barbatulos* appellant. Idem etiam Plinius Bellionem florem quinis *barbulis* coronari refert in 21. Præterea *barbæ* de hominibus quoque plurali numero dicuntur, contra Servii auctoritatem, quod Sylius Italicus apertiſſime docet ſic ſcribens in tertiodecimo:

Indociles nunc propexis in pectora barbis
Verrere humum.

Ser.

Ducit Amazonidum lunatis agmina Peltis.

quo ſignificat figuram habuiſſe *lunæ ſemipleuæ*; Hinc *Peltaſtæ* appellati ſunt, qui *Pelta* utebantur, quorum originem Iphicrati Athenienſi acceptam refart cum aliis Diodor. XV. *Mos fuerat Græcis hactenus prælia geſtare ſcuta; ſed quum hæc propter gravitatem ad motum impeditiora eſſent, forma illorum contracta, & peltas modice conformatas ſubſtituit* (ſubintellige Iphicrates) *duo præcipue hac innovatione ſpectans, tum ut corpus ſatis tegeretur; tum ut levitate magis ad uſum habilia forent. Tum Peltati a Peltis nuncupati ſunt.*

(r) *Ancilia*, inquit Var. lib. VI. de l. l. *dicta ab anciſu, quod ea arma ab utraque parte, ut peltæ Thracum inciſa*; Ipſa commemorat Virgil. Æneid. 8.

Lanigeroſq; apices, & lapſa ancilia cœlo.

ac III. Faſt. Ovid. de illorum nomine:

Atq; ancile vocat, quod ab omni parte reciſum eſt,
Quemque notes oculis, angulus omnis abeſt.

ancilia quotannis moveri, menſe Martio, ac per urbem circumferri ſolita docet Lipſ. per Sacerdotes; & primores, dieque vigeſimo recondita in æde Martis ibiq; aſſervata; per id tempus religio fuit Romanis, vel bellum adire, vel iter ingredi, inauſpicatumque conjugium ex Ovid. Faſt. III.

Arma movent pugnam, pugna eſt aliena maritis;
Condita quum fuerint aptius omen erit.

De

Ser. *Phalanx eſt lingua Macedonum legio.*

Phi. Diligens & curioſus commentator in enarratione phalangis, copioſius enarrare debuerat, & eruditius, quum *phalanx* ab omnib. dicatur, a pauciſſimis quid ſit intelligatur. Nanque *phalangem* priſci ſcriptores (ut mihi magiſtra lectione compertum eſt) appellarunt, non proprie *legionem*, ut autumat Servius, ſed *cuneum militarem*, quando ſ. pes pedi, clypeus clypeo, vir viro, in acie conſerebantur, & hoc peculiare fuit Macedonum inſtitutum, ut auctor eſt Livius, & meminit Curtius, cujus hæc ſunt verba: *Macedones phalangem vocant peditum ſtabile agmen*, quando Vir viro, armis arma conſerta ſunt. Idem traditur a Cæſare, qui in primo commentario refert Helvetios feciſſe *phalangem*, h. e. clypeorum connexionem, quæ etiam *teſtudo* nuncupatur a doctis. Idem Cæſar paullo poſt inquit: *Milites noſtri e loco ſuperiori pilis miſſis facile hoſtium phalangem perfregerunt*. Ubi procul dubio accipitur *phalanx* pro armorum connexione atq; teſtudine: Hinc per metaphoram Satyrico Poeta dictum eſt:

Junctoq; umbone phalanges.

Et Phalangarii appellati ſunt milites, qui erant in *phalange*, quales habuit ad imitationem Alexandri Magni Alexander Syrus Romanus Imperator, ut auctor eſt Lampridius. *Phalangia* vero ſunt ex genere aranearum, ut alibi docuimus ex auctoritate Plinii, Celſi, & Ariſt. Hoc in loco potiſſimum referendum eſt illud, quod a Plinio traditur libro ſeptimo: *Phalanges* etiam ſignificare fuſtes, quibus Afri prælium contra Ægyptios primi fecerunt. Nonius ſcribit *phalangas* dici fuſtes teretes, qui navibus ſubjiciuntur.

Ser. *Stella facem ducens*,

id eſt, lumen quod utiq; ex facib. naſcitur.

Phil. Faceſſat procul tam futilis & inanis interpretatio, nam Virgilius de *face cœleſti* ſenſit, & quo apertius Poeticus ſenſus verſus intelligatur, adſcribemus verba Plinii ad hanc rem pertinentia, qui ita ſcribit in ſecundo: *Emicant et faces non niſi quum decidunt viſa, qualis Germanico Cæſare gladiatorum ſpectaculum edente præter ora populi meridiano tranſcurrit. Duo genera earum, lampades vocant plane faces, alterum bolidas, quale Mutinenſibus malis viſum eſt, diſtant quod faces veſtigia longa faciunt, priore ardente parte.* Hactenus Plinius: cujus verbis haud dubie declaratur, quid ſibi velit Maronianus verſus:

Stella facem ducens multa cum luce cucurrit.

Et in eodem loco parum diligenter parumq; curioſe introſpexiſſe videtur Servius Virgilianam majeſtatem, quando a Poeta dicitur:

Intonuit lævum.

Eſt enim id totum ex arcana augurum diſciplina translatum, & a nobis diligentius exponendum, ad juvandam ſtudioſorum eruditionem. Etruſci cœlum in 16. partes diviſerunt, ex quibus octo ab exortu ſiniſtras, totidem e contrario appellavere dextras, hinc omnia fulmina læva exiſtimantur eſſe proſpera, quoniam a læva parte mundi ortus eſt, ut auctor eſt Plinius, & ut ſcribit Cicero in ſecundo de divinatione: *Optimum auſpicium habebatur apud Romanos ſi ſiniſtrum fuerat.* (f) Verum quum Romani ſiniſtra meliora exiſti-

ma-

(f) De auſpiciis annot. in Apul. ait idem Beroal. *notandum in auguriis ſiniſtrum accipi pro proſpero, & ſalutari, & ſiniſtras aves, quæ portendunt fœlicitatem*: Feſtus cum aliis ait ſiniſtrum auſpicium eſſe a ſinendo, quod nos aliquid agere ſinat, M. Varro ad ſiniſtram, inquit, partes eſſe mundi exorientes, ad dexteram occidentes, unde factum arbitrantur, ut ſiniſtra meliora auſpicia, quam dextera eſſe exiſtimentur.

Plin.

marent, Græcis & barbaris dextra videbantur auſpicatiora. Unde apud Homerum Ajax ſic loquitur:

Proſpera, Jupiter bis dextrit fulgoribus edit.

Virgilius itaq; omnis antiquitatis conſultiſſimus, ex ritu Romani augurii dixit intonuiſſe *lævum* hoc eſt, *ſiniſtrum*, quod felicitatem portendere credebatur, & imitatus videtur eſſe Ennium ſic ſcribentem:

Contcuuit lævum bone tempeſtate ſerena.

Non omittendum eſt a Latinis omnia, quæ bona ſint, ſiniſtra nuncuperi, etiamſi dextra ſint.

Serv. *Cervix quum numera ſingulari dicitur collum ſignificat, ſi plurali utamur, ſuperbiam oſtendimus, ut in Verrinis Cicero: Frange cervices.*

Philip. Miror in errata tam manifeſta, tam turpia lapſum eſſe Servium, alioquin eruditum, vix enim talia refellenda ſunt, quum ſeipſa refellant, ac ſibi ipſis ſint repugnantia, & contra veritatem reluctentur. Namq; vetuſtiſſimi illi ſcriptores pluraliter *Cervices* appellabant pro parte colli, nuſquam *cervicem*. Primus autem Hortenſius creditur dixiſſe cervicem ſingulari numero, ut auctores ſunt Quintilianus & Varro. Si vera fuerit Servii ſententia, in ſolœciſmum incidiſſe dicentur priſci ſcriptores, qui *cervices* ſæpiſſime, *cervicem* non tam ſæpe uſurparunt. In ſolœciſmum incidit Cicero ſcribens in Vatinium inflato collo: *Tumidis cervicibus* intuliſti. Et alibi *fregeris in carcere cervices*. Ubi ſine controverſia *cervices* pro *membro hominis* accipiuntur. Erravit etiam Cato, cujus verba hæc ſunt: *ſi caput aut cervices dolent, ea lotio calido lavito*. Erravit Celſus dicens: *Cucurbitulæ cervicibus admovendæ*. Et alio in loco. *In cervicibus glandulæ poſitæ*. Quid multa? veteres pluraliter tantum *cervices* dixerunt ut teſtis eſt Quintilianus, in 8. Præterea exemplum Ciceronis, quod pro ſe allegat Servius contra ipſum facit, nam ſcribit Cicero Verrem multorum fregiſſe *cervices*, cum juberet eos decollari, non autem *ſuperbiam* ut Servius opinatus. Quinimo *cervix* in ſingulari pro *ſuperbia* ſæpe ponitur, unde dicitur homo *duræ cervicis*. Et a Hieronymo in Interpretatione teſtamenti veteris dictum eſt: *Populus* iſte *duræ cervicis eſt*. Huc adde quod *cervix* non ſignificat collum, ſed *partem colli poſteriorem*, quæ exterior eſt, ut docet Ariſtoteles in primo de animalibus, & ut auctor eſt Plin. in 11. *multis vertebratiſq; orbiculatim oſſibus flexibilis ad circumſpectum articulorum nodis jungitur*. Et ut refert Celſus in 7. ſeptem vertebræ in *cervice ſunt*, Quin etiam *cervix* non ſolum dicitur de animalibus, ſed etiam de rebus aliis, Pompo. Mella: *ſedet in cervice peninſula Cyzicum*.

Serv. *Faſtus ſuperbia eſt, quartæ declinationis, nam liber qui dierum habet computationem, ſecundæ declinationis eſt, unde erravit Lucanus dicendo:*

Nec meus Eudoxi vincitur faſtibus annus.

Phil.

Plin. quoq; fulmina *læva*, ideſt *ſiniſtra* refert proſpera exiſtimari: quoniam læva parte mundi ortus eſt: ex hac augurii conſuetudine ſcripſit Ennius, ac præter illum Statius 3. Thebaid.

Signa ferat lævuſq; tonet.

Verum lævam aliquando aliquid deterius ſignificare teſtis eſt Virg. Bucol. Egl. 1. 16.

Sæpe malum hoc nobis ſi mens non læva fuiſſet,

De cœlo tactas memini prædicere quercus.

Nec alia ratione profecto quod lævus eſt σκαιός, quandoq; ſtultus eo ſenſu dixit Hor. ad Piſon.

. . . . ego lævus

Qui purgor bilem verni ſubtemporis horam

Mens *læva* propterea eadem erit dicenda, ac mens improvida, mens inſipiens, ac ſtolida.

Phil. Nimis audax ne dicam temerarius eſt Servius, qui Lucanum ſcribit erraſſe dicendo *faſtibus* & non *faſtis* quum Lucanus eruditiſſimus Servio reliquiſq; commentatorib. excellentior, morem antiquorum uſurpaverit, qui *faſtus* etiam pro *annalibus & libris* in quarta declinatione nonnunquam dicere ſolebant. Varro in Ephemeride: *Cæſar faſtus correxit*. Columella in 10. *Sequor nunc Eudoxi & Metonis faſtus Aſtrologorum*. Et apud Horat. duplex ſcriptum invenitur, *faſtos* & *faſtus*. Et ut auctor eſt Priſcianus eadem forma dicitur *faſtus*, vel *faſti* qua *ſenatus* vel *ſenati* in ſecunda & quarta declinationibus.

Ser. *Cauloniq; arces.*
Caulon mons eſt Calabriæ, ut Horatius.
Et amicus Caulon
Fertilis Baccho.

Phil. Si verſum Horatianum ita legemus, ut allegatus a Servio, prævaricabimus normam Saphici carminis, quod in penultimo pede exigit trocheum, ideoque legendum eſt. *Acut Aulon*, & ita in emendatis codicib. legitur. Eſt autem *Aulon* mons Calabriæ contra Tarentinam regionem ut Porphyrio ſcribit, ferax boni vini, de quo intellexit Martialis celebrans vinum Tarentinum:

Nobilis & lanis & Baccho fertilis Aulon

Enimvero apud Virgil. *Caulon* legitur, & accipitur pro oppido, quod a Plinio collocatur in prima regione Italiæ, & Strabo in 6. *Cauloniam* appellat. Cui adſtipulatur Mela in Geographia ut ego animadverti. Et in hiſtoria potiſſimum labitur Servius, ac parum curioſus eſt, nam quum originem *Tarenti* referri vellet, dixit bellum inter Athenienſes & Lacedæmonios fuiſſe conflatum, quod a fide hiſtoriæ penitus diſſentit, cum bellum illud inter Lacedæmonios & Meſſenios per multos annos geſtum fuerit, qui populi ſunt in Peloponeſo atq; contermini, & originem Tarenti referens Strabo iſtud copioſiſſime narrat. Ephorus quoq; & Juſtinus idem tradiderunt.

Ser. *Apud antiquos in uſu non erant prandia.*

Phil. Non eo inficias olim me pedibus iviſſe in ſententiam Servii, ſed ex multiplici variaque lectione deprehendi apud priſcos in uſu fuiſſe, non minus *prandia* quam *cœnas*, & homines bis in die ſaturos fieri ſolitos, quod inprimis affirmat Cicero ſcribens in 5. quæſtion: Tuſculana: Platonem ſolitum improbare vitam Italicorum, quoniam bis in die ſaturi fiebant. Et apud Plaut. atq; Terentium vetuſtiſſimos ſcriptores *prandia* celebrantur. Quin etiam Macrobius refert morem fuiſſe antiquorum Romanorum ut patentibus januis *pranſitaretur* & *cœnitaretur*. Apud Plinium in epiſtolis legimus quemadmodum Plinius ſcriptor nat. hiſt. *Cibum ſumebat interdiu levem & facilem veterum more, perinde ac prandium foret parcius, cœna copioſior*. Herodotus quoque auctor eſt Megacreontis Abderitæ dictum celebratum fuiſſe, qui ajebat magnam ſe gratiam habere Xerxi, quod non bis in die cibum caperet, nam ſi *prandium* & *cœnam* juberentur Abderitæ parare, de ipſis actum iri peſſime afferebat. Hoc ideo in Xerxe admiratus eſt Abderites, quoniam illa quoque tempeſtate, quæ haud dubie vetuſtiſſima fuit *prandere* & *cœnare* conſueverunt. Huc accedit auctoritas Cornelii Celſi præcipientis bis die potius quam ſemel cibum eſſe capiendum. Celebrantur quoq; a Plutarcho apophthegmata Alexandri Magni, qui dictirare ſolebat *obſonium prandii eſſe nocturnam ambulationem, cœnæ vero prandii parcitatem*. Supra dictorum ſententias confirmat auctoritas Ariſtotelis qui ſcribit in problematibus, *prandendum eſſe large, cœnandum eſſe parce*. Hoc non præciperetur a doctiſſimo philoſophorum, niſi in uſu *prandia* & *cœnæ* pariter fuiſſent. Hoc idem traditus ab Hippocrate medicorum excellentiſſimo, & Leonidæ Spartani dictum illud pervulgatum eſt. *Prandete commilitones apud inferos fortaſſe cœnaturi*. Floruit autem Leonidas procuidubio temporibus antiquiſſimis & inter antiquiſſimos eſt numerandus. Hic a Satyro Poeta dictum eſt:

Pran-

Prandebat ſiqui quiſq; Deus.

Præterea a Valerio Maximo ſimplicitas antiquorum in cibo capiendo laudatur, qui in propatulo prandebant atque cœnabant.

Ser. *Moris fuerat ut nubentes mariti poſtes oleo ungerent.* (t)

Phil. Diſſentit ab opinione Servii Plinius qui ſcribit in 28. *novas nuptas non oleo, ſed adipe ſuillo, ſolitas fuiſſe poſtes maritorum intrantes attingere.* Maſurius vero tradit palmam *lupino adipe* antiquos dediſſe, ideoq; novas nuptas illo perungere poſtes ſolitas ne quid mali medicamenti inferretur. (u) Donatus quoque refert *uxores dici ab ungendis poſtibus, & cum puellæ nuberent, maritorum poſtes ungebant.* Sed quo unguento ſive adipe uterentur, non memoravit.

Ser. *Furibunda, id eſt, furenti ſimilis.*

Philip. Pluribus in locis Servius tradit nomina deſinentia in *BVNDVS* ſignificare ſimilitudinem, quod itidem refertur a Priſciano, aliiſque Grammaticis, quorum error manifeſtarius corrigitur a recentioribus Scriptoribus. Et A. Gellius in 10. pleniſſime docet, quemadmodum iſta omnia quæ terminantur hac particula *BVNDVS* ſignificant atq; demonſtrant, *vim & copiam & quaſi abundantiam rei*, cujus id verbum ſit, *ut lætabundus* dicatur is, *qui abunde lætus*, *populabundus* qui paſſim ac ſtrenue *populatur*, *furibundus* qui vehementer *furit*, cæteraque id genus omnia, ita dici oſtendit, ut particula hæc poſtrema declaret *largam vim ac fluentem copiam*. Ideo ab exemplis ſuperſedeo, quod in vulgus edita ſunt innumerabilia, quæ Servii, Priſciani ac reliquorum idem ſentientium opinionem apertiſſime refellunt. Duo tantum exempla referam, quæ paullo remotiora ſunt, quibus reſponderi non poſſe ſcio, quæ haud dubie ſubnervant dicta Grammaticorum. Quin. Curtius, qui ſine controverſia inter ſcriptores claſſicos aſſiduoſque numeratur, ita ſcribit de Alexandro. *Quo vulnere afflictus, magna vi ſanguinis emicante, remiſit arma moribundo ſimilis. Si moribundus* ſignificaretur *ſimilis morienti*, quid opus erat ad-

(t) Poſtes mariti nova nupta non tantum ungebat, verum & lana tangebat ex eod. Serv. Æneid. IV. *Moris fuit, ut nubentes puellæ ſimul ac veniſſent ad limen mariti, poſtes antequam ingrederentur ornarent laneis vittis, & oleo ungerent*, hinc Lucan. II.

Inſulaq; in geminos diſcurrit candida poſtes.

(u) *Lupino adipe* poſtes unxiſſe mariti *novas nuptas* ait præter Maſur. Arnob. III. *O egregia numinum & ſingularis interpretatio poteſtatum, niſi poſtes virorum adipali unguine oblinerentur a ſponſis*; aquam præterea, ignemq; in limine appoſitum ab illa fuiſſe tangendum liquet ex Turneb. adverſ. XXIX. aliiſq; quampluribus; Prolixiorem etiam inter cætera ornamenta nutriiſſe comam novas nuptas argumento ſunt Tertull. verba de virginib. velandis c. 12. *Simulq; ſe mulieres intellexerunt, vertunt capillum, & acu laſciviore comam ſibi inferunt, crinibus a fronte diverſis apertam profeſſæ mulieroſitatem*, morem huic oppoſitum Longobardos invexiſſe apud Italos, qui ad Siculos inde delatus eſt monuit nos, dum hæc ſcriberemus, laud. antea Juriſconſ. Ant. Pantò, ſolutis videlicet crinibus proceſſiſſe Longobardorum puellas, antequam nuberent, vocabulumq; explicavit, forenſibus Cauſſidicorum tricis involutum *virgo in capillo*, quæ a conjugata comæ ratione diverſa Jur. Siculo Conſtitut. de Succeſſionib. ex Imperat. Frideric. II. de ſucceſſ. Feud. poſt obitum Patris nubens majoribus natu, quæ prius nupſerunt, dotatis, legum quas *feudales* vocant, jure præfertur; quod ſancivit itidem in Regno Neapolis. Regina Joanna lege, ſeu *Pragmatica*, quam dicunt, *Filingeria*, anno 1418. evulgata.

addere *ſimilis moribundo?* nonne eſſet oratoria invenuſta inelegans & inſulſa, quaſi acciperetur, *ſimilis ſimili morienti?* Quin etiam Valerius Maximus, & ipſe quoque ſcriptor non proletarius, de Antiocho loquens ſic refert: *Jacebat ipſe in lectulo moribundo ſimilis, lamentabantur neceſſarii*. Multis itaque & his potiſſimum duobus exemplis liquido manifeſtatur, nomina in *BVNDVS* deſinentia *ſimilitudinem* ſignificare non poſſe, ſed potius copiam quandam & abundantiam rerum, a quibus producuntur.

Ser. *Uri boves agreſtes ſunt, qui in Pyrenæo naſcuntur*.

Phil. Debuiſſet diligens & eruditus interpres copioſius de *uris* diſputare, qui enarratione tam conciſa, & mutilata non ſatisfacit auribus curioſis. Non pigebit itaq; referre ea, quæ de *uris* apud erudititiſſimos ſcripta comperio. Plinius ſcibit *Vros* eſſe boves feros, vi & velocitate excellentes, quorum cornua taurinis ſimilia, ut auctor eſt Solinus, capaciſſima ſunt, adeo ut in menſis vicem præbeant poculorum. Quin etiam Albertus Magnus libro de animalibus 23. tradit tantum eſſe *Vris* in cornibus vaſtitatem ac robur, ut hominem cum equo ventilent. Cæſar in commentariis refert, Germanos venatione *Vrorum* corpora exercere, quos foveis captos interficiunt, & qui plurimos ex his interſecerunt relatis in publicum cornibus, quæ ſint teſtimonio, magnam ferunt laudem. Magnitudo *Vrorum* paullo intra elephantes, ſpecie & colore & figura tauri, in Germania pecuſiariter gignuntur, ſi credere volumus, Plinio, Solino, Cæſari, reliquiſque ſcriptoribus qui frequentiſſimos *Vros* naſci in Germania tradiderunt, non. a. in *Pyrenæo* ut Servius opinatur. Et ego annum agens tertium & vigeſimum cum Pariſiis celeberrima totius Galliæ civitate, ſtudia humanitatis publico auditorio profiterer, ſæpiſſime audivi ex Germanis auditoribus meis tales *Vros* hac quoq; tempeſtate in Germania ſubinde cerni, ſubinde capi ac domitari. Et cum unicuiq; res ſuæ regionis eſſe debeant cognitiſſimæ exploratiſſimæque, Germanis de rebus Germaniæ & ſpeciatim de *uris* enarrantibus fidem habendam eſſe duxi, & eo magis quod illorum verba cum ſcriptis eruditorum conveniebant.

Ser. *Triſtiſque ſenectus,*
Id eſt, ſevera:

Plin. Ego potius exponerem *triſtis*, id eſt, *querula & moroſa*: Namque Poeta voluit epitheto demonſtrare qualis ſit conditio ſenectutis. Sunt. a. ſenes, ut ſcribit Cicero in Catone, & teſtatur Seneca, moroſi & anxii & querulà atque difficiles, quod etiam diligentiſſime expreſſit Horatius arte poetica ſeniles mores deſcribens:

Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, cenſor caſtigatorque minorum.

Virgilium (ut arbitror) imitatus eſt Sylius illo verſu:

Curaque inſidiæq; atque hinc queribunda ſenectus.

Nam a Sylio ſenectus dicitur *queribunda* quaſi plena querimoniarum quo modo a Virgilio triſtis nuncupatur, & ab Horatio in carminibus, *moroſa* ob varios ſcil. ac difficiles mores, quibus ſunt obnoxii queruli ſenes. In eodem 6. volumine ubi dicitur:

Simul accipit alveo
Ingentem Æneam.

Exponit Ser. *Alveo* ſcilicet *fluminis* mihi videtur exponendum eſſe *Alveo* ſcilicet *navis*, ut intelligamus Æneam intra cymbam receptum fuiſſe a Caronte. Namque *Alveus* elegantiſſime dicitur navis, ſine ipſius navigii receptaculum. Propertius evidentiſſime id oſtendis ſic ſcribens in 3.

Aut quidnam fracta gaudes Neptune carina,
Portabat ſanctos alveus ille viros.

Livius lib. 21. *Alveos informes raptim faciebant*, id eſt, *naviculas*. Et idem lib. 10. *Pars* inquit, *fluviatiles naves ad ſuperanda vada ſtagnorum aper-*

to

te planis alveis fabricatas complent. Præterea *alveus* quemadmodum de fluminibus dicitur, ita etiam de rebus aliis. Columella in nono: *Ova in alveolum ligneum conſerat*. Plin. in 11. *Alveos ex cornu ſpectatos eſſe refert*. Ii eſt, *apum alvearia*. Et Varro *Alveos* inquit, *ubi apes ſunt, alii faciunt ex viminibus*; Palladius. *In Novembre ſordibus liberandi ſunt alvei*. Præterea error manifeſtarius eſt apud Serv. hiſtoriam, qui quanto levior eſt, tanto minore venia dignus. Scribit enim *Parthenopeum filium fuiſſe Menalippæ* quum filius fuerit *Atalantæ* puellæ in curſu *perniciſſimæ*, ut Statius atque Diodorus meminerunt, quod & omnes hiſtorici teſtantur. In illo quoque verſu Maroniano:

Explebo numerum reddarq; tenebris

Admiror Servium, quum more diligentis commentatoris varias interpretationes attulerit, omiſiſſe id quod Macrobio relatum eſt, quam eruditionem maximam præſefert, & Virgilianæ ſententiæ optime quadrat. Scribit, n. Macrobr. io ſomnium Scipionis: *Animas ſociari corporibus quibuſdam numeris, qui numeri dum ſuperſunt perſeveras corpus animari: quum vero deficiunt mox arcana illa vis ſolvitur, qua ſocietas ipſa conſtabat, anima ipſa non deficit, quippe quæ immortalis atq; perpetua eſt ſed impletis numeris corpus fatiſcit, hinc illud eſt doctiſſimi vatis*:

Explebo numerum reddarque tenebris:

Hæc Macrobii interpretatio tam ſubtilis, tam elegans, tam erudita, prætermitti non debuit a curioſo commentatore, qui ex fontibus philoſophorum unde hauſerat Macrobius, haurire potuiſſet, præſertim quum multa undique exquiſiverit, ſed ut mihi videtur nihil eſt cum prædicta Macrobii expoſitione comparandum. (x)

Ser. *Cuſtodia eſt quæ cuſtodit, non quæ cuſtoditur*.

Phil. Error hic eſt Servii manifeſtarius, quum apud eruditos *cuſtodia* reperiatur, pro eo etiam qui *cuſtoditur* & in primis apud Juriſconſultos, qui diſertiſſimi ſunt Digeſtis de cuſtodia reorum ita ſcriptum legimus: *Ne quis receptam cuſtodiam ſive caſu dimittat*: Et alibi manifeſtius: *Si cuſtodia ſe interfecerit vel præcipitaverit militis culpæ adſcribitur*: *Et alibi*: *Si caſu cuſtodia defuncta eſſe dicatur*: Ubi ſemper *cuſtodia ſignificat reum & illum qui cuſtoditur*. Quin etiam Suetonius hoc vocabulo in hac ſignificatione uſus eſt, cujus verba hæc ſunt in Domitiano: *Nec niſi ſecreto atque ſolus pleraſque cuſtodias receptis quidem in manu catenis, audiebat*. Idem in Tiberio: *In recognoſcendis cuſtodiis, precanti cuidam pœnæ maturitatem, reſpondebit, nondum tecum in gratiam redit*. Et in Caligula: *Cuſtodiarum* inquit *ſeriam recognoſcens*.

Ser. *Saxum ingens volvunt alii*,

Siſyphum dicit,

Radiiſque rotarum:

Ixionem dicit.

Phil. Nemo inficiatur *Siſyphum* apud inferos hac pœna torqueri ut ſaxum perpetuo volvat, juxta illud Ovidii: *Si-*

(x) Ex numeris qoemdam in rerum natura ordinem coaleſcere, ait Pytaghoras: ejus ſententiam lubet exponere decerptam ex Pet. Gaſſend. Phyſ. ſect. I. lib. III. cap. IV. *Percelebre porro eſt placitum fuiſſe Pythagoreorum numeros eſſe principia rerum; idcirco ut paucis dicere aggrediar, quid ſibi velle viſi fuerint, velim initio adnotes, quod legitur apud Stobæum; illic quippe Theano Pythagoræ uxor; audio, inquit, dici a Græcorum multis, aſſeruiſſe Pytaghoram omnia ex numeris generari; ille autem non ex numero, ſed ſecundum numerum generari om-*

Siſyphus eſt illic ſaxum volvenſque petenſque,

Et *Ixionem* a rota verſari, ut idem:

Volvitur Ixion, ſeſe ſequiturque fugitque,

At qui curioſo interpreti conveniebat diligentiſſime penſitare, an fabulæ Ixionis ad ſenſum Virgilliani carminis eſſet accommodanda, mihi enim baud quaquam quadrare videtur. Nam quum Poeta paullo ſupra dixerit, *Ixiona* apud inferos in tartaro cruciari, quid opus fuerat idem iterum referre? Ego autem cum Macrobio ſentire malim, qui in ſomnium Scipionis ſcribit: Poetam intelligere illos radiis rotarum pendere diſtrictos, qui nihil conſilio prævidentes, nihil ratione moderantes, nihil virtutibus explicantes, ſeque & actus ſuos omnes fortunæ permittentes caſibus & fortuitis rotantur, illos autem ſaxum ingens voluare dicit eſſe intelligendos, qui efficacibus & laborioſis conaribus vitam conterunt. Nam philoſophi quidam fuerunt, qui inferna aliud eſſe negaverunt, quam noſtra corpora, & omnia quæ de inferis antiquitas fabulata eſt, in nobiſmetipſis reperiri, quapropter expoſitionem quoque Macrobii uipote optimam memorabimus, quam refert ſuper illo verſiculo:

Lucent genialibus altis
Aurea fulcra thoris,

Ubi Servius de *Tantalo* dicit eſſe intelligendum, & ejus fabulam notiſſimam enarrat. Macrobius vero dicit ad omnes avaros hoc eſſe referendum, qui epulis ante ora poſitis excruciantur, fame, & inedia tabeſcunt, quos magis magiſque acquirendi deſiderium cogat, præſentem copiam non videre, qui in effluentia inopes, egeſtatis mala in ubertate patiuntur neſcientes parta reſpicere dum egent habendis. Præterea non videtur eſſe omittendum illud:

Quo ſuper atra ſilex jam jam lapſura cadenti
Imminet aſſimilis.

Quem verſum enarrans peritiſſime Macrobius, aſſerit eos eſſe intelligendos, qui arduas poteſtates & infauſtam ambiunt tyrannidem quoniam ſemper vivunt in timore, & ſibi videntur exitium, quod merentur excipere, quod Dionyſii, exemplo declaratur, qui aulæ Siculæ inclementiſſimus incubator, Damocli familiari ſuo, ſolam beatam exiſtimanti vitam tyrannicam, volens oſtendere quam miſera eſſet & quam plena impendentium ſemper periculorum, gladium de filo tenui pendentem mucrone demiſſo, juſſit illius cervicibus inter epulas imminere, & quum Damocles regias & tyrannicas præſentis mortis periculo aſpernaretur: *Talis eſt*, inquit Dionyſius, *vita quam beatam putabas, ſic nobis ſemper mortem iminentem videmus*. Hæc hiſtoria prærer Macrobium ab Euſebio & Cicerona memoratur, iſta autem omnia, quoniam eruditionis refertiſſima ſunt, ac ſubtilitatis, referenda eſſe cenſui, ut qui expoſitione Servii conrentus non fuerit, aliquid audiat diſciplinæ remotioris, quæ non minus delectare ſolet quam prodeſſe.

Ser. *Titania aſtra id eſt, ſolem quem unum de Titantib. fuiſſe duximus.*

Phil.

nia autumavit, quibus ex verbis intelligis, non ex ipſis per ſe numeris ret naturales conſtitui, ſed habere ſolam quidpiam ſimile conſtitutioni numerorum; Ita apud Empiricum aſſeritur omnia non tam eſſe numeros, quod eſſe numeris ſimilia; τῷ ἀριθμῷ δὲ τὰ πάντ' ἐπέοικεν: *ideſt, cuncta numero adſimilantur*; nec tantum hominem numeri ſimilitudinem exprimere, verum etiam Deum numero deſignari exiſtimabant, diverſa tamen ratione, ut videre eſt apud Gaſſend. laud.; optimo hinc jure auct. noſter clar. Macrobium ait ex Philoſophorum ſententia opinionem ſuam hauſiſſe, quod videlicet cum Pythagoreorum placitis illa conveniat.

Phil. Diodorus lib. 6. apertiſſime nos edocuit quare *aſtra Titania nominentur*. Scribit enim Hyperionem, unum ex Titanibus primum aſtrorum, lunæque & ſolis curſum ac naturam demonſtraſſe, & ob hoc ſtellarum pareotem exiſtimatum, merito itaq; a Virgilio *aſtra*, ideſt ſtellæ *omner* non ſolus ſol, *Titania* dicuntur, quaſi perpetuo epitheto, propter *Titanem Hyperionem*, qui ſyderum pater fuiſſe creditur. Quin etiam reprehendit immerito Servius illos qui dicunt hanc particulam *ergo*, aliquando poni pro cauſſa, quum illi bona loquutl ſint & Latine, qul hoc dixerint, Servius autem non recte, qui hoc inficiatur. Nam ut auctor eſt Feſtus, *ergo* interdum ſignificat gratiam, quum ſcilicet *gratia* intelligatur pro *cauſſa*, in, qua ſignificatione accipitur apud Livium ſcribentem: *Apollinares ludor victoriæ non peſtilentiæ ergo fuiſſe conſtitutor*, ldeſt *cauſſa*. Et M. Cato ln re Ruſtica ita ſcriptum reliquit: *Tibi jus eſt porco piaculo facere, illiuſce ſacri coercendi ergo*. Et alibi, *Harunce rerum ergo fundi terræ agriq; mei luſtrandi*. Et alibl, *Mars pater te precor quæſoq; uti fier volens propitius mihi, domo familiæq; meæ, cujus rei ergo agrum terram fundumq; meis Solitaurilia circumagi iuſſi*. In his omnibus plane locis *ergo* accipitur pro *cauſſa*. Pretcrea exſtat exemplum epiſtolæ antiquiſſimæ a conſulibus Romanis ad Pyrrhum Epirenſem ſcriptæ, ubl hæc verba leguntur: *Sed communis exempli & fidei ergo viſum eſt, uti te ſalvum velimur*. Ubi ſine controverſia, *ergo* ſignificat *cauſſam*. Et apud Virgil. velint, nolint Grammaticl *ergo* iotelligitur pro *cauſſa*, io eo verſu:

Illius ergo venimur.

Ser. *Nyſæ de vertice Tigres.*
Nyſa mons eſt Indiæ. Nyſa civitas eſt in monte Parnaſſo, in qua Liber colitur.

Phil. Scribit Diodorus Bacchum cognominatum eſſe *Dionyſium* ab eo, quod educarus ſit a Nymphis apud *Nyſam Arabiæ urbem*: Unde ab *Jove Nyſaq; Dionyſius* nuncupatus. *Nyſæ* etiam non tam mons eſt, quam civitas Indiæ celebratiſſima carminibus poetarum, quod (ut auctor eſt Strabo) Bacchus condidit. Cujus etiam meminit Plin. in 6. de qua copioſius & elegantius quam ceteri, ſcribit Curtius, referens, quemadmodum Alexander cum exercitu *Nyſam* obſedit: & *Nyſes* Alexandro ſe dedidere a Liberu patre conditos ſe eſſe memorantes. Sita eſt civitas *Nyſa* ſub radicibus montis, quem *Meron* incolæ appellant, & quum *Meron* Græce *femur* ſignificet, unde Græci mentiendi traxere licentlam, Jovls fæminæ Liberum patrem eſſe celatum. Et de hoc monte intellexiſſe Maronem non ambigimus, quando inquit:

Nyſæ de vertice Tigres.

Præterea alia eſt *Nyſa* non in monte Parnaſſo, ut autumat Servius, ſed in Helicone, ut auctor eſt Strabo, de qua (ut opinor) ſenſit Lucanus cum ſcriberet:

Bacchumq; avertere Nyſa.

Quin etiam in enarratlone hiſtoriarum, quas Poeta in 6. tangit parum fidus eſt Servius & perperam allegat dicta hiſtoricorum, & potiſſimum T. Livli. Namq; de Torquato ſic ſcripſit Servius: *Torquatus filium (ut dicit Livius) fuſtuario necuvit*. Maniſaſtiſſimum hoc eſſe mendacium & turpiſſimum erratum, nemo vel mediocriter eruditus inficiabitur, qui vel octavum librum Livii ab origlne urbis inſpexerit, in quo apertiſſime oſtendit, Torquatum lmperaſſe lictori, ut filium ſecuri percuteret, cujus verba ideo ſubſcribere ſuperſedi, quia & multa ſunt, & quilibet, qoi id noſſe velit, illic facilime poterit invenire. Ex hoc & id genus multis in aam (ut ſupra dixi) ſententiam pedib. tranſeo, ut exiſtimem Serv. non tales edidiſſe commentarios, ſed quoquo modo fuiſſe corruptos adulteratoſque. Quis n. non videt a Virg. dictum eſſe:

Se-

Sævumq; ſecuri,
Aſpice Torquatum:

Videlicet quia *ſecuri* in filium juſſerat pater animadverti, non autem *fuſtuario*, ut Servius opinatur. Idem in expoſitione illius Maroniani verſus:

Aut geminos duo fulmina belli,
Scipiadas cladem Libyæ.

Mihi nequaquam ſatisfacit, dum quamdam moroſam nimis diſtinctionem adhibere contendit, ut *geminos Scipiadas* intelligamus illos duos Scipiones fratres, qui in Hiſpania perierunt Pœnorum inſidiis circumventi, & *cladem Libyæ* accipiamus pro duobus Africanis. Ego vero exiſtimo Poetam illo toto verſiculo intellexiſſe de duobus duntaxat *Africanis*, qui proculdubio fuerunt *duo fulmina bellorum*, qui ambo *cladem Libyæ & Carthagini attulerunt*, in quo æmulatus videtur eſſe Lucretium, qui ſic ſcriptum reliquit:

Scipiades belli fulmen Carthaginis horror.

Sequatur tamen unuſquiſq; eam ſententiam, quæ ipſi verior ac probabilior eſſe videbitur, quum nobis ſatis ſit edocuiſſe, quid ipſi ſentiremus. Suum unicuiq; judicium eſt & ſua ſententia.

Ser. *Parnaſſus mons Theſſaliæ dividitur in Cytheronem Liberi & Feliconem Apollinis.*

Phil. Auctoritas Servii quum apud Grammatiſtas ac literatores plurimum pollebat, effecit ut omnes minus eruditi in hunc errorem delaberentur, aſſerentes *Cytheronem & Heliconem* colles eſſe Parnaſſi. Corrigendus itaq; hoc in loco eſt error publicus ex auctoritate eruditiſſimorum Geographorum, qui Grammaticis in locorum deſcriptione, haud dubie merentur anteponi. Primo igitur ſciendum eſt, quod *Parnaſſus* mons eſt in Phocide regione, non autem in Theſſalia ut ſcribit Plin. in 4. & Strabo meminit in 9. Sub Parnaſſo ſunt Delphi clariſſimi in terris oraculo Apollinis. *Helicon.* a. & *Cyteron* ſunt in Bæotia, ut Plinius, Strabo, Mela, Solinus, reliquique omnes teſtantur, & Muſis natale in nemore *Helicone* ſcriptores aſſignant, quæ & altitudine & ambitu non minor eſt Parnaſſo. Quod. a. *Parnaſſus biceps & bivertex* a Poetis nuncupetur, non ideo debemus accipera vertices *Cyteronem & Heliconem*, ut Grammatici hallucinantur, ſed ipſius montis cacumina. Quum ego curioſius inquirerem, quænam forent nomina duorum Parnaſſi verticum, reperi apud Herodotum in *Vrania* unum ex verticibus Parnaſſi nominatum fuiſſe *Thitorea*, alterum *Hyambeum*. Quocirca Herodoti auctoritatem ſequens, id credere malo, quam quod *Cytheron Heliconne aut Nyſa aut Cyrra aut Cyrphis* (namq; & id traditur) fuerint vertices nuncupati. *Cyrra & Nyſa* nomina quidem ſunt civitatum, ſed non collium, & Nyſa non eſt in Parnaſſo, ſed in Helicone: *Cirphis* vero rupes eſt non cacumen. Libuit hæc pauca annotare ſuper verticibus duobus Parnaſſi ad errorem manifeſtarium refellendum, qui apud prioribus recentioribusq; minus eruditis paſſim receptus eſt.

Ser. *Matuſtæ Trebia poſtea dicta eſt, quam modo Trebulam dicunt: apud hanc Hannibal delevit populum Rom. Lucanus:*

Quod non in Punica nati,
Tempora Cannarum fuimus, Trebiaq; juventus.

Philip. Quis non videt Serv. in rebus interdum leviſſimis impingere? & toto (ut ajunt) errare cœlo? vel hoc potiſſimum in loco, quum dicit apud *Trebulam*, quod dicta ſit & *Trebia* ab Hannibale victos eſſe Romanos, quod a fide hiſtorica penitus eſt alienum. Namq; Hannibal apud *Trebiam* fluvium Placentinum maximo prælio vicit conſules Rom. *Sempronium Longum.* & *Cor. Scipionem, Africani patrem*, ut Livius, Syllius, atq; Polybius aperiſſime narrant, & nemo ullo tempore hoc unquam inficias ivit. Errat itaq; diligenter exiſtimans *Trebiam* idem eſſe, quod *Trebula*, quum intervallo locorum & diſſimilitudine ſignificationis disjungantur. Nam *Trebia* fluvius eſt notiſſimus jux-

Digitized by Google

juxta *Placentiam*. *Trebula* vero oppidum fuit haud procul ab urbe *Romana*, ut auctor eſt Plin. Et olim *Trebulanis* civitas data fuit a Romanis, ut ſcribit Livius in decimo. *Trebulæ* caſei laudatiſſimi conficiebantur, *Trebulani* cognominati, de quib. ſic ſcribit Mart. in xeniis.

Trebula nos genuit, commendat gratia duplex.
Sive levi flamma, ſive domamur aqua.

Trebiani fuerunt quoque populi contermini *Trebulanis*, ſed hi nihil ad Trebiam, ubi Hannibal Romanos profligavit. Nec verſus Lucani quicquam juverit Servii opinionem quum apertiſſime referatur ad *Trebiam Placentinum*, perperam itaq; allegatur a Servio, qui altero quoque loco alterum Lucani carmen, parum diligenter parumq; curioſe penſitavit. Namque ſuper eo Maroniano verſiculo:

Infauſtum interluit Allia nomen,

Ita ſcriptum reliquit: *Allia fluvius eſt, cui additur unum L. propter metrum, ut reliquias, Lucanus bene poſuit,*

Quas alia clades.

Non poſſum non vehementer admirari Servium in errores tam pueriles, tam manifeſtarios, tam crebro incidere, exiſtimavit. n. Lucani verſum referendum eſſe ad *cladem Allienſem*, quod quam ridiculum ſit, quivis animadvertere poterit, qui librum Lucani ſeptimum diligentius introſpexit, in quo carmen hoc legitur:

Non iſtas habuit pugnæ Pharſalia partes,
Quas aliæ clades.

Cujus ſenſus eſt manifeſtiſſimus, vult. n. reſpondere Lucanus omnes alias clades, quas Romani ſuperioribus temporib. paſſi ſint, non eſſe comparandas cum Pharſalica clade, quæ cunctas alias exuperat, & ita *aliæ* ſine controverſia accipitur pro pronomine. Servius vero credidit *aliæ clades* accipi pro *Allienſi clade*, tanquam ab *Allia* fluvio derivetur, cujus primam ſyllabam apud Poetas ſemper productam repperi, quamvis Servius reclamet.

Ovidius: *Hæc erat in Faſtis, cui dat gravis Allia nomen.*
Lucanus: *Et damnata diu Romanis Allia faſtis.* (y)
Syllius: *Major & horrificis ſe extulit Allia ripis.*

Sic a Poetis omnibus ſequutis naturam nominis, nulla metrica neceſſitate cogente *Allia* ponitur prima ſyllaba producta, quemadmodum a Virgilio traditum, & per *geminum*. l. ab eruditis ſcribitur.

Ser. *Cares Nemæa ſylva eſt vicina Thebis in qua Hercules interemit leonem.*

Phil. *Nemæa ſylva* eſt in Peloponneſo, inter Cleonas & Phliuntem, in qua Argivi ſacra celebrare conſueverant, quæ *Nemæa* cognominatur, ut auctores ſunt Strabo & Diodorus, *Thebæ* vero ſunt in Bœotia maximo intervallo a *Nemæa* ſylva disjunctæ.

Ser. *Cares inſulani populi fuerunt, Leleges Theſſali.*

Phil. Sæpe admonuimus multa deprehendi in commentariis Servii, quæ ad

---

(y) Noverit profecto qui vel mediocriter in Rom. Hiſt. verſatus fuerit, atro omine penes Quirites eſſe notatum diem XV. Kalend. Sextil. duplici clade inſignem: quo primum ad Cremeram Fabii ſunt cæſi, deinceps ad Alliam fluvium a Montibus Cruſtuminis in Tiberim undecimo ab urbe lapide defluentem contra Senonanſes Gallos a Romanis adverſo Marte pugnatum eſt; ac nomine ex poſteriori Allienſi cæde ducto, *Allienſem diem* dictum fuiſſe, nulli rei publice, privatimq; agendæ auſpicatum; de hoc Ovid. 1. de Arte a

Tu licet accipias, qua flebilis Allia luce
Vulneribus latiis ſanguinolenta fuit.

ad Geographiam pertinent, non ſatis exacte nec adamuſſim penſitata, quæ virgula cenſoria notari mereantur, quale eſt hoc, nam *Cares* non ſunt inſulani, ut ipſe autumat, ſed in continenti, & populi ſunt Aſiatici juxta Mæoniam Lyciam atque Joniam collocati, ut Plinius Strabo & Mela tradiderunt. *Cariæ* toti imperavit, olim Mauſolus ut, auctor eſt Vitruvius in ſecundo. *Cariæ* fuit *Halicarnaſſus* & *Mauſoleum* illud celebratiſſimum, quod inter ſeptem orbis ſpectacula meruit annumerari. Nec *Leleges* ſunt in Theſsália, ut incurioſe refert commentator, ſed *Leleges & Cares* iidem ſunt populi, ut meminit Strabo in 7. Nonnulli Geographi tradunt eos eſſe finitimos, atq; in multis *Cariæ* locis & ſepulcra *Lelegum*, & monumenta *Leleges* nuncupata oſtenduntur, & olim *Ioniam Aſiaticam Cares & Leleges* incoluerunt. *Cares* peculiariter barbari ſunt cognominati. Ceterum ut ego arbitror, videtur exiſtimaſſe Servius *Lelegas* eſſe *Theſſalos*, quoniam verſu Lucani, quem ipſe allegat, oſtenditur *Lelegas* agrum Theſſalicum quondam tenuiſſe. Atqui Lucanus ideo videtur hoc tradidiſſe, quoniam *Leleges* fuerunt populi errabundi, & diverſis in locis habitarunt. Nam ut ſcribit Ariſt. in politica: *Acarnanum*, *Ætbolorum*, *Leucadiorum*, *Leleges hæc omnia incoluerunt*. Et olim etiam Theſſaliam tenuerunt, ſed non ipſi Theſſali fuerunt. Ovi. *Caras* & *Lelegas* ita carmine coniunxit, ſicut & Virgilius, quoniam videlicet ſunt inter ſe contermini. Verſus Ovidii ex lib. 9. Metamorphoſeos hic eſt:

Cares, & armiferos Lelegas, Lyciamque pererrat.

Scribit Plinius in v. *Miletum* Joniæ caput *Lelegeida* fuiſſe nominatum. Idem Servius exiſtimat, *Thermodoonta* fluvium eſſe Thraciæ, quum ſit Cappadociæ, quæ regio eſt Aſiatica, ut Plinius, Strabo, atq; Juſtinus meminerunt, juxta quem olim Amazones conſederunt, quarum Regina ut auctor eſt Diodorus, in oſtiis *Thermodaontis* urbem condidit, *Themiſcyram* nuncupatam, inde pugnas Amazonum *Thermodoonticas* appellat Papinius in 1. ſylvarum, & Propertius 3. ſic ait:

Qualis Amazonidum nudatis bellica mammis:
Thermodoonteis turba lavatur aquis.

EX

EX BUCOLICIS.

SEr. *Pecunia dicta a peculio.*

Phil. M. Varro Roman. doctiſſimus, qui vocabulotnm etymologias acuriſſime ac eruditiſſime perſcrutatus eſt, tradit *pecuniam* a *pecore* nominatam eſſe quoniam priſcorum diviriæ in pecore conſiſtebant. Sententiam Varronis confirmat Columella lib. 7. & Ovid. illo verſu:

Hic etiam locuples, hinc ipſa pecunia dicta eſt.

Plinius autem in 33. ſcribit *pecuniam* ſortitam eſse nomen a *nota* pecudis, quoniam antiquitus nummi effigie pecudis ſignabantur. Hic Plutarchus aſſerit in Publicola, in vetuſtiſſimis nummis ſignum fuiſſe ovis, & ſuis, boviſq; conſpectum.

Ser. *Septa ſunt loca in Campo Martio, & quia ſimilia ſunt ovilibus duo hæc invicem pro ſe ponuntur*, ut Virgil. hoc loco *ſepta pro ovilibus poſuit, item Lucanus contra.*

Et miſeræ maculavit ovilia Romæ.

Phil. Elegantius & verius explanatum fuiſſet Maronianum carmen a Servio, ſi dixiſſet, *ſepta* generali vocabulo ſignificare omnia loca munita, & quodam ſepimento vallata. Inde ſtabula, ovilia, bubilia, caprilia, & id genus reliqua *ſepta* nuncupantur. Inde *ſeparatim* in campo Mattio loca incluſa tabulatis, ſepta dici meruerunt, de quibus Martialis:

In ſeptis Mamurra diu multumque vagatus. (z)

Auſonius in Panegyrico: *Paſſus non ſepta non campum*. Et Suetonius, venationem in *ſeptis* datam eſſe teſtatur. De his ſentire videtur & Plin. ſic ſcribens in 16. *Trabs in porticibus ſeptorum a M. Agrippa relicta*. Præterea M. Varro in re Ruſtica appellat omnia *ſepta*, quæ habet incluſa animalia quæ paſcuntur. Unde ab eodem laudantur *ſepta* Fulvii Hirpini, *ſepta* Pompeii, id eſt, loca quibus concluſæ feræ paſcebantur. Idem inquit: *Intra ſepta villa habeat aqua*. Apud eundem inſcriptio eſt de *ſeptis* fundi. A *ſepio* quod ſignificat *munio* hæc dictio derivati videtur. Inde *ſeptus locus*, *ſepta villa*, *ſeptum tectum* nuncupatur. Et apud Juriſconſultum *ſepta* accipiuntur pro *obicibus & clauſtris*: quibus utimur ad impetus fluviorum coercendos. Præterea apud Lucanum non eſt exponendum *ovile* pro *ſeptis*, ſicut exponit Servius. Nam *Ovile* erat locus in campo Martio ita peculiariter nuncupatus, de quo hæc Livius lib. 16. *Civitatis Hetruriæ ſenioribus datum ſecreta in Ovili cum his colloquendi tempus*. Nam ſi verum eſſet id, quod tradit Servius, vi-

---

(z) Romanis *ſepta* loca fuiſſe tabulatis incluſa, in quibus Populus Rom. manebat Comitiorum tempore, liquet ex Carm. Ovid. Faſt. 1.

Eſt quoque qui Populum jus eſt includere ſeptis.

Comitialis videlicet dies. Duo autem ejuſmodi fuerunt *ſepta*, unum in quo Populus ſtabat, priuſquam ad Comitia vocaretur, alterum in quo magiſtratus ille, qui Comitiis præerat, ut Præcones, & alii. Hæc *ſepta* pontibus diſtinguebantur per quos Populus ex uno ſepto in alterum ſuffragia ferebat. *Septorum* uſum nunc temporis uſurpavit Regia Neapolitana Civitas, Patritium illa quempiam non vocat, niſi illum inter ſepta, vernaculo ſermone, *Seggia*, annumerent primoris Ordinis viri, quam conſuetudinem recenſuit elegantiſs. noſtræ ætatis Poeta Patrias conſuetudines Parenti exponens.

Quid Pater edam

Me inclaſum ſeptis nondum ſi curia noſtris

Vidit.

Septa etiam mercatoribus ſunt tributa ex laud. Martial. loco.

videlicet Lucanum *ovilia* pro *ſeptis* poſuiſſe, nunqnam Livius tam licenti tranſlatione uſus foret, ut ipſe *ovile* pro *ſeptum* poneret, quum Poetæ aliter quem hiſtorici loquantur. Ceterum Lucanus eo modo dixit *ovilia*, quo Livius, quo Strabo, qui in 5. referens idem, quod Lucan. de crudelitate Syllæ, adeo convenit cum Lucani verbis, ut alter ab altero accepiſſe videatur: Strabonis verba hæc ſunt: *Sylla alios qui arma projecerant ad millia tria, vel, ut alii, quatuor, in campo Mertio ad Ovilia coactos immiſſis militibus jugulavit*. In eadem ſignificatione accipiendum eſt apud Juvenalem eo verſiculo:

Antiquo quæ proxima ſurgis ovili.

Ser. *Ligoſtrum flos eſt candidiſſimus, vaccinia violæ.*

Phil. Apud Plin. legi *Liguſtrum* & *vaccinio* magis inter arbores, quam inter flores numerari. In 12. ſcribit Cyperum appellari in Italia *Liguſtrum*, & in 24. inquit *Liguſtrum eadem arbor eſt, quæ in oriente Cyperos, cujus acini contra phibirioſin ſunt efficaciſſimi*. Idem in decimo ſexto refert, *vaccinia* Italiæ in aucupiis ſata eſſe. Galliæ vero etiam purpura tingendi cauſſa, ad ſervorum veſtes.

Ser. *Arocinthus mons eſt Thebanus.*

Phil. *Arocinthum* ſcribit Plin. in 4. montem eſſe *Acarnaniæ*. Idem comprobat Martianus Capella in Geometria.

Serv. *Arbuſtum quidam locum, in quo arbores ſunt, volunt accipere.*

Phil Mutilata hæc eſt interpretatio. Nam non omnis locus, in quo ſint arbores, nominatur: *Arbuſtum*. Quid ſi eſſent quercus ilice ſque quam plurimæ? quid ſi innumerabiles? quid ſi ſylva? an ſignificanter *arbuſtum* nuncupabimus? minime: Etenim *arbuſtum* (ut ego accuratius animadverti) proprie ſignificat arbores *vitibus maritatas* atque *vitiferes*, quæ in ordines digeruntur, ut docet Plin Columella atque Palladius, ſcribentes quomodo *arbuſtum* ſit faciendum. Unde *vitis arbuſtiva* & vinum muſtumq; *arbuſtivum* appellatur, ex hujuſcemodi arboribus collectum. Cato quoq; collocat *arbuſtum* in octavo loco prædiorum, & ne quiſpiam exiſtimet eum intelligere de ſylva ſubjunxit loco nono ponendam eſſe *glandariam* ſylvam. Claudius Quadrigarius locum *in quo ſunt arbores plurimæ* inuſitato vocabulo *arboretum* appellat, quod ipſe nimis licenter peperiſſe ac formaſſe creditur. Apud Palladium legi *arbuſtum* pro *caſtaneto* poſitum, quod non longe abeſt a Servii ſignificatione.

Ser. *Lac novum id eſt, coloſtrum quod neutri generis eſt, nam fœminini eſſe penitus non poteſt.*

Phil. In tam paucis verbis duplex ineſt error manifeſtarius: nam & fœminino genere coloſtram reperiri, oſtendit Columella in VII. his verbis: *Exiguum emulgendum eſt, quod paſtores coloſtram vocant, ea niſi aliquatenus emittitur, nocet agno*. Idem traditur a Palladio, & Plautus in Pœnulo fœminino genere uſus eſt:

Mea coloſtra, meus molliculus caſeus.

Præterea *colloſtrum* non proprie ſignificat *lac novum*, ſed eſt *ſpongioſa denſitas lactis*, a partu, ut auctor eſt Plinius, ad quod alluſit epigrammaticus Poeta illo diſticho, cujus lemma eſt *Coloſtrum*:

Surripuit paſtor, quæ nondum ſtantibus hædis,
De primo matrum lacte coloſtra damus:

A coloſtro coloſtrati dicuntur infantes.

Ser. *In medio duo ſigna Conon, Conon dux fuit, cujus nomen dicit, quia in omnium ore verſatur.*

Phil Quis neſcit *Cononem* fuiſſe Athenienſium ducem? omnibus inſulis præfuiſſe? Lacedæmonios profligaſſe? Athenas in priſtinam libertatem reſtituiſſe? de quo Æmilius, Juſtinus, Plutarchus multa tradiderunt. Sed diligentius accuratiuſque conſiderandum fuit, an apud Virgilium de hoc *Conone*

fo-

foret intelligendum, an potius de *Conone* aſtrologo. Quocirca verius & eruditius interpretatur Virgilianum carmen, Probus grammaticus, cujus hæc ſunt verba: *Conon Samius Mathematicus: ſed quamvis plures fuerint Mathematici, eleganter errantem ruſticum inducit dicentem,*

Quis fuit alter?

alter enim accipitur unus de duobus, is autem Conon de aſtrologia libros ſeptem reliquit: Hactenus Probus. Hujus *Cononis* Mathematici meminit Iginus ſcribens ab eo dictum eſſe Ptolomæo, quemadmodum ipſe viderat crinem Berenices reginæ inter ſydera collocatum, de qua re ſcripſit Callimachus carmen elegiacum, quod Catullus interpretatus eſt, in quibus verſibus ita de *Conone* hoc ſcriptum eſt:

Idem me ille Conon cæleſti numine vidit,
Et Berenicæo vertice Cæſariem.

De hoc *Conone* intellexiſſe Propertium exiſtimo, quum ſcripſit in IIII.

Me creat Architæ ſoboles Babylonius Orops,
Oron, & a proavo ducta Conone domus.

Exponamus itaque apud Virgilium de hoc *Conone* aſtrologo, ſicut exponit recte Probus, non autem de *Conone* duce Athenienſium, ut perperam exiſtimat Servius.

Ser. *Amomum flos eſt Aſſyrius, ut Lucanus,*
Vicinæ meſſis amomum.

Phil. Miror Servium auctoritate Lucani ſuam fulcire ſententiam, tanquam a Lucano dicatur *Amomum* florem eſſe Aſſyrium qui more Poetico *Amomum* quidem nominat in decimo, ſed quid ſit haud quaquam aperte demonſtrat. Debuiſſet itaque Servius Plinium conſulere, qui eum edocuiſſet *Amomum* non eſſe florem ſed arbuſculam, qui in duodecimo ſcribens de peregrinis arboribus, *Amomum* arborem eſſe commemorat, & ejus uvam in uſu aſſe. Forma eſt vite labruſca, frutice venenoſo, palmi altitudine, laudatur quæ maxime parit *Amomum* Punici mali foliis ſimilem colore ruffo, ſecunda bonitas pallida eſt, herbaceum pejus, peſſimum candidum, quod & vetuſtate evenit.

Ser. *Sophocleo tuo carmina digna cothurno,*

ac ſi diceret quanquam impar ſit ingenium meum laudibus tuis, nam tuæ laudes merentur exprimi Sophoclæo tantum cothurno.

Phil. Ego opinor eo verſu a Virgilio laudari carmina Cæſaris Auguſti qui floruit Poetica, qui (ut auctor eſt Tranquillus) reliquit librum hexametris verſibus conſcriptum, cujus titulus eſt *Sicilia* & libellum epigrammatum, præterea tragœdiam *Ajacem* exorſus eſt magno impetu, volens igitur Poeta laudare tragicum Auguſti poema ſtylumque grandiloquum, dixit illius carmina digna *eſſe ſophocleo cothurno* id eſt *ſtylo & ſublimitate* qua uſus eſt Sophocles in tragœdiis ſcriptitandis. Fuit enim apud Græcos haud dubie princeps tragici poematis, quod etiam memorat Plinius in VII. Hinc etiam in honorem Auguſti a Poeta dictum eſt:

Atque hanc ſine tempora circum,
Inter victrices hederam tibi ſerpere lauros

Tanquam Auguſtus *hederacea corona*, hoc eſt, *Poetica*, (*a*) non minus co-

(*a*) Quemadmodum Poetis *hederacea* ita *laurea corona* æquo jure tribuitur, ea profecto ratione; quod tum *Baccho*, tum *Apollini* ſacri ſint Divini vates; utriuſq; *Coronæ* genere jucunditas carminum declaratur, atque immortalitas, quamobrem Sulmonenſis Ovidius ſe exulem conquerens, *hederaceam coronam* detrahi capiti jubet Triſt. I. VI. I.
Siquis habes noſtri ſimiles in imagine vultus,

coronari mereatur, quam *laurea*, hoc eſt, *triumphali*. Celebratur a Macrobio atque Tranquillo locus Auguſti, qui quum interrogaretur quid ageret *Ajax Tragœdia* quam quod diſpicuiſſet ipſe deleverat, reſpondit *Ajacem ſuum in ſpongiam incubuiſſe*: Audivi qui dicerent ſe vidiſſe poema Sophoclis ab Auguſto donatum Romana lingua, quod ſi verum eſt, poterit commodiſſime ad id referri carmen Maronianum.

Scr. *Ante ſiniſtra cava monuiſſet ab ilice Cornix*: *Hoc ad auguralem pertinet diſciplinam*: *Et paullo poſt*: *Cornicem dicit ab antiqua ad ſiniſtram partem volaſſe*.

Phil. Virgilius utpote omnium diſciplinarum particeps, omnis expers erroris, legerat in Augurum libris, Cornicem a ſiniſtra parte ratum facere auſpicium; ideo ſiniſtram Cornicem appellavit quaſi a ſiniſtra ratum facientem. Namque ut Cicero ſcribit in libris de divinatione: *Aliis avibus dextra, aliis læva datum eſt, ut ratum auſpicium faciant*: Et alibi: *Cur a dextra*, inquit, *Corvus, a ſiniſtra Cornix faciat ratum*: Illud quoq; Plautinum in Aſinaria huic ſententiæ convenit:

Picus & Cornix eſt a læva: Corvus porro ab dextera.

Quod diligenter videtur Maro obſervaſſe & facundiſſime tranſtuliſſe. Et hoc idem fortaſſis reſpexit Horatius ſic ſcribens in carminibus:

Teq; nec lævus vetet ire Picus,
Nec vaga Cornix.

Non eſt hoc in loco prætereundum id quod a Plinio traditur lib. x. videlicet *Cornicem eſſe alitem inauſpicatæ garrulitatis, a quibuſdam tamen laudatam*. (*b*) Hæc omnia a curioſo interprete fuerant inveſtiganda, & ad enarrationem Virgiliani carminis publicanda.

In eadem quoq; Ecloga, illud frigidiuſcule exponit:

Quis

Deme meis hederas, Bacchica ſerta, comis;
Iſta decent lætos felicia ſigna Poetas,
Temporibus non eſt apta corona meis;
ac Venuſinus Flaccus *laurea corona* ſe redimirum, immortalitateq; donandum, Muſarum ope audacter profitetur IV. XXX. XIV.

Sume ſuperbiam
Quæſitam meritis, & mihi Delphica
Lauro cinge volens Melpomene comam.

His, ac pleriſq; aliis permoti argumentis ab iis libenter ſtamus, qui *laureas*, *hederaceaſque coronas* Poetis concedunt, tametſi *laurea corona* victores Duces deſignari non inficiemur, præcipue vero ex univerſo Virgiliano contextu hoc in loco, quum ſive Cæſari, ſeu, quod malunt alii, Pollioni ruſtica carmina Maro ſiſtens, tempus commemoret, quo inter plauſus militum, Populiq; lætitiam, hoſtibus e triumphatis redux, Romæ eſt exceptus.

(b) Mirum profecto Romanos ceterarum Gentium ſolertiſſimos Augurum diſciplina ita fuiſſe deceptos, ut ratum tantum haberent, quod auſpiciis probaretur: eoq; hujuſmodi conſuetudo devenit, ut arbores, aves, cælique partes ſedulo luſtrarent; hoc in loco ex præclariſs. Turneb. lib. VI. cap. XXVI. arboris vitio malum augurium adjuvatur, *Ilex* enim funeſta habita eſt, præſertim quum ſit *Putris*, & *Cava*, cantuſq; Cornicis inauſpicatiſſimus, ejuſque vox injucunde crocitans eidem Auctori lib. IX. cap. XXIX. malum portendere viſa, inde *a ſiniſtra* ad *a Cornix* referendum, idem ſonat ac funeſtum, inominatumque, tametſi in contrariam partem rapiantur fortaſſe nonnulli, quorum meminit Auct. noſt. qui cantum fauſtum Cornici tribuerunt ex Diſtich. in append. Virgil. dubiæ cœteroquin incertæq; auctoritatis penes ſeveriores Criticos.

Tur-

Quis humum florentibus herbis

Spargeret?

quum Poeta clanculum alludat ad carmen compoſitum in Daphnidis laudationem ubi iſte verſiculus legitur:

Spargite humum foliis, inducite fontibus umbras. (c)

Tarpejo quondam conſedit culmine Cornix:

Eſt bene, non potuit dicere, dixit, erit.

(c) Hoc carmine veterum conſuetudo ſignificatur, qui floribus tumulos ſpargebant: ejuſmodi honorem Mæcenati pollicetur Albinov. n. 143.

Semper ſerta tibi dabimus, tibi ſemper odores:

Patavii etiam antiqui lapidis inſcriptio priſcum hunc morem declarat:

M. MANILIUS. SURUS. P.F. IIIVIR.
CAP. ET. POMPONIA. GN. F.
MARTIALI. CONCORDIA.
INCOMPARABILES. S.U.P. HAC. F.
SINE. ULLA. PÆNA. UT. SUPERSTES.
ROSIS. S. JACIENTES. QUOTAN.
KL. EXORNET.

ac Virgilii ſenſus eſt, *more funerum flores ſpargite, coronaſq; texite, ac nemora circa fontes conſtituite*, poſtremum hoc dicitur, quod veteri etiam ritu Heroum animæ poſt mortem vel in *nemoribus*, vel in *fontibus* deliteſcere cenſeantur teſte Virgil. Æneid. VI.

Lucis habitamus opacis

Riparumq; toros, & prata recentia rivis

Incolimus.

quæ expoſitio, ex ſaniorib. Interpretib. decerpta, lectori benevolo, noſtro quidem judicio, improbanda neutiquam videtur.

EX GEORGICIS.

SEr. *Quæ bis ſolem, bis frigora ſenſit,* id eſt, *quæ bis & dierum calorem & noctium ſenſerit frigora, per quod duplicem arationem oſtendit, vernalem & autumnalem.*

Phil. Potior apud me eſt auctoritas Plinii qui Virgilianum verſum ſecus quam Servius interpretatur in XVIII. ſic ſcribens: *Quarta ſeri ſulco Virgilius exiſtimatur voluiſſe, quum dixit optimam eſſe ſegetem, quæ bis ſolem, bis frigora ſenſiſſet.* Futilis eſt mehercle Servii interpretatio de *calore diurno & frigore nocturno*, quum Poeta loquatur de *ſole æſtivo & frigoribus hybernis*: Et Probus Grammaticus mihi videtur elegantius atque eruditius enodaſſe nodum Maronianum ſcribens, Poetam loqui de eo agro quem *novalem* vocamus, qui ſub exitu hyemis hoc eſt initio veris proſcinditur, & ita æſtate quæ ſequitur ſiccatur, deinde ſub introitu hyemis ſemente facta ſequenti æſtate reddit fructum, & ita bis ſentit *frigus*, ſemel ante æſtatem deficiente hyeme, initio veris iterum poſt ſementem, bis *ſolem*, ſemel æſtate, quando ceſſat, iterum, quando fructum refert: (*d*)

Ser. *Tmolus eſt mons Ciliciæ in quo naſcitur crocum præcipue.*

Phil. Plinius in v. refert *Tmolum* montem eſſe, non Ciliciæ (ut Servius opinatur) ſed *Lydiæ* qui ante *Tymolus* vocabatur & erat vitibus conſitus. Strabo quoq; & Solinus idem ſentiunt quod Plinius, *Tmolum* in Lydia collocantes, de quo ſic ſcribit Ovidius:

Riget arduus alto
Tmolus in aſcenſu clivoq; extenſus utroq;,
Sardibus hinc illinc parvis finitur Hypæis:

Juxta Sardis poſitum eſſe *Tmolum* indicant Ovidii verſus: *Sardis* autem urbem eſſe in Lydia celeberrimam Herodoti & Plinii teſtimonio notiſſimum eſt. Præterea non abſurdum fortaſſis foret illud Virgilianum,

Croceos ut Tmolus odores

ad *vinum* referre. Nam quum *Tmoli vineta* laudentur a priſcis tanquam generoſiſſima, videtur Poeta appellaſſe *croceos odores*, id eſt, *vinum Tmoli*, quod

(d) *Novalis* ſignificationem a *novando* libenter duxerimus bona eorum pace, qui a Græco vocabulo Νέατος, hoc eſt *Novale*, Νεάσιμον, ideſt *Novalis Terra*, hujuſce nominis ſenſum hauriunt; nulla enim vocis Græcæ neceſſitas, ubi latina ſenſus apte deprehendatur, *agrum novare* idem proinde videtur, ac *prima aratione agrum proſcindere*; ſæpius enim arabantur agri; Prima aratione terra proſcindi dicebatur; glebæque grandes excitabantur; altera redarari, vel iterari, frangebanturque glebæ, tertia demum tertiari, aut lirari, inde tertia, aut quarta aratione ſemen jaciebatur; *Novalis* ergo ager primam tantum arationem expertus fuit, perque annum ceſſavit, Plin. lib. XVIII. cap. XIX. *Quod vere ſemel aratum eſt, a temporis argumento Vervactum vocatur: Hoc in novali atque requieto neceſſarium eſt; Novale eſt quod alternis annis ſeritur*; Paulus l. XXX. §. *Novalis* ff. de Verb. ſignificat. *Novalem terram*, dixit, *proſciſſam, quæ anno ceſſavit*; *Novali* opponitur *Reſtibilis Terra*, quæ ex Varr. lib. IV. de l. l. *Reſtibilis* vocatur, *quæ reſtituitur, ac reſeritur quotannis: contra quæ intermittitur a novando, Novalis. Agrum Novalem* pro *novo* interdum uſurparunt auctores, ac Virgil. eo ſenſu dixit Eclog. I.

Impius hæc tam culta Novalia Miles habebit.

Gar-

Digitized by Google

quod odoris & coloris crocei ſit, quale vinum in primis laudatur a Palladio utpote ſaluberrimum. Et in hanc ſententiam vadit Porphyrio dicens *crocum* pro *vino* poſitum eſſe a Virgilio, & allegat iſtud hemiſtichion. Hoc ideo dixi, ut aliquid argutius reconditiusq; memorarem, non ut Servii expoſitionem refellere vellem, quæ Probi & Solini atque Columellæ auctoritate corroboratur, qui ſcribunt *Tmolum* eſſe *croco* florentiſſimum. Sed quia interdum grata ſunt ſtudioſis argutiores interpretationes, hæc pauca libuit, his commentariis intexere, ſequatur unuſquiſq; quod velit.

Ser. Legunt in Terenti.

Cave ne te triſtem ſentiat:

Hoc procedere non poteſt; nam ne & cave prohibentis ſunt.

Phil. Quamvis hoc exigere videatur regula Grammatices, quod a Servio præcipitur, tamen veteres ſcriptores ſæpiſſime ita loquuti ſunt, ut hanc particulam, *ne* cum verbo *caveo* copularent.

Horatius. *Vade vale cave ne titubes mandataq; frangas.*

Plinius: *Terram curioſam cave ne plauſtro neve pecore impellas.*

Ovidius: *Ne fallare cave proximus ater erit.*

Itaq; utroq; modo & recte & latine dicitur, quum auctoritas veterum pro regula ſit, & honeſtiſſimus ſit error magnos duces ſequentibus.

Ser. *Ipſa ſuas mirantur Gargara meſſes.*

Gargara montes Phrygii.

Phil. Virgilianus verſus utpote eruditione refertiſſimus, eruditiorem exposcebat enarrationem. Conciſus eſt interdum Servius in rebus magnis, copioſus in parvis. Quis enim eliciet veram arcanamq; Virgiliani carminis ſententiam, ex tali interpretatione: *Gargara ſunt montes Phrygii*: Nemo eruditus ignorat *Gargara* eſſe montes vel potius cacumen montis *Idæ*, ſed curioſo commentatori inquirendum fuerat curioſius, & penſitandum diligentius, an Poeta poſuerit *Gargara* pro monte, quem fertilitatis eſſe dicit exemplar. Ego apud Macrobium animadverti Maronianum carmen explicari accuratiſſime, (*e*) & longe ſecus quam tradatur a Servio atque copioſius. Ait enim *Gargara* nomen eſſe cacuminis montis *Idæ* & *oppidum* & Virgilium non de ſummo *monte*, ſed de *oppido* loqui in Georgicis. Nam apud *Gargara* civitatem tanta erat frugum copia, ut qui magnum cujuſque rei numerum vellet exprimere, pro multitudine *immenſa Gargara* nominaret. Ita Alcæus, Ariſtophanes, & Varro, *Gargara* pro multitudine poſuerunt. Et de his intellexit Ovidius illo verſu:

Gargara quot ſegetes, quot habet Methymna racemos.

Non ergo *Gargara* pro *monte* apud Virgilium accipere debemus, prout accipit Servius, ſed pro *oppido*, ut ſentiunt eruditi, quod poſitum eſt in imis radicibus *Idæ* montis, & defluentibus inde humoribus *Gargara* irrigantur: ſuntq; feraciſſima. Confirmat Macrobii ſententiam Plinius ſcribens in quinto, *Gargara eſſe montem & oppidum*. Et Strabo in XIII. inquit: *Gargarus in ſuperioribus Idæ partibus locus oſtenditur, a quo Gargara dicitur Æolica civitas*. Faceſſat itaque mutilata expoſitio, quam Servius & Probus tradiderunt, qui ambo nihil dixerunt, niſi *Gargara* eſſe montem.

Ser.

(e) *Gargara* eo ſenſu dixit Virgil. in Georg. quo Horat. Od. 1. lib. 1. vocavit areas Libycas.
Illum ſi proprio condidit horreo
Quidquid de Libycis verritur areis,
Ubertatem fertilitatemq; ſignificans, hinc proverbium dictum eſt, *Gargara bonorum*, quod ſummam denotat abundantiam, ut Macrob. laud. Saturnal. lib. 5. innuit, *Gargara* pro magno etiam numero in re qualibet præter alios diligenter interpretans.

Ser. *Maſſam picis urbe reportat.*

quia pix in agris naſcitur, & in urbe non, diſtracta in agrum reportatur.

Phil. Poeta ſignificare volens uſum *picis* agricolis eſſe neceſſarium dixit *picem* eos ſolitos in urbe mercari, & urbe in agrum reportare aſello doſſuario, non autem, ut exponit Servius, agricolas *picem* in urbem deferre venalem, & reportare non venditam. Nam ſi advertiſſet diligentius Servius conſuetudinem priſcorum agricolarum, qui *pice* ad res quamplurimas utebantur, dixiſſet profecto ſecus, ſententiamq; mutaſſet. Namque priſci utebantur in villa *pice* potiſſimum ad vina condienda, ut auctor eſt Plinius ſcribens in XIIII. *Pice ac reſina condire muſta vulgare eſt*: Et ab eodem ratio traditur condiendi muſta aſperſu *picis*, ut odor vino contingat & ſaporis acrimonia. Columella & Palladius *picem* ad vaſa *picanda* & quamplurimis in rebus utiliſſimam eſſe tradiderunt. Porcius Cato admonet agricolas, ut vaſa habeant bene *picata*. Unde *impicare* & *oppicare*, quod ſignificat *pice* linere, verba derivantur, quibus ſcriptores rei ruſticæ frequenter utuntur: (*f*) Hæc & id genus alia in expoſitione Maroniani verſus ab erudito interprete fuerant referenda, quum illa Servii enarratio, nec Poeta, nec commentatore digna ſit.

Ser. *Aut reſonantia longe littora miſceri.* (*g*)

Bis idem dicit.

Phil. Si Servius curioſe penſiculareq; annotaſſet prognoſtica tempeſtatum, quæ a Virgilio referuntur, quæ exſequitur Lucanus, quæ enumerat Plinius, profecto non dixiſſet *bis idem dici a Poeta* in expoſitione carminis Maroniani. Namq; aliud eſt haud dubie fragor in montibus, tumor in mari, aliud ſonitus littorum, aliud mugitus nemorum. Proinde ad expoſitionem Virgilianorum

(f) *Picis* uſum commendat Cato de Re Ruſt. c. 23. *Fuce ad vindemiam, quæ opus ſunt ut parentur, vaſa laventur, corbulæ farciantur picentur dolia*; Colum. XII. 18. *dolia quoque, & ſeriæ, cæteraq; vaſa ante quadrageſimam vindemiæ diem picanda ſunt.* Picem vero innumeris propemodum rebus utilem, quod videre eſt penes Auct., ad ſupplicii genus detorſerunt progreſſu temporis Tyranni, reorum corpora ferventi pice nonnunquam perfundentes. Lucret. III. 1030.

Verbera, carnifices, robur, pix, lamina, tædæ,

Plaut. capt. III. 4. 64.

At pol te, ſi hoc ſapiat ſenex
Atra pix agites apud carnificem, ac tuo capiti illuceat.

Poſtremo rogo incendendo adhibitam *Picem* liquet ex vet. Inſcript. apud Kirchman. de Funerib. Roman.

NEC. EX. EORUM. BONIS.
PLUS. INVENTUM. EST.
QUAM. QUOD.
SUFFICERET. AD. EMENDAM.
PYRAM.
ET. PICEM. QUIBUS.
CORPORA.
CREMARENTUR.

Nec de *Pice* loquentibus prætereundum videtur, in lege Friderici Imperat., uti nos docuit familiaris noſter Juriſconſ. Ant. Pantò, pro *Piſcariarum* Cujac. *Picariarum* ſcripſiſſe. *Corrupte majores noſtri*, ait doctiſſimus Auct. *legebant Piſcariarum pro Picariarum: Picariæ ſunt, ex quibus foditur Pix, nam & Picem foſſilem inveniri Plin. ſcribit lib. 16. c. 12. & ſimili ratione in Brut. Cicer. Conrad. male legit Pecuarias pro Picarias*; *Picis* fodinas inter *Vectigalia* Principis, vulgo *Regalias* deinceps ipſe Cujac. annumerat.

(g) Virgilii carmina hujuſmodi ſunt:

Aut reſonantia longe
Littora miſceri, aut nemorum increbreſcere murmur;

quæ nos ideo addenda cenſemus, quod monere in animo eſt nonnul-

rum prognoſticorum ſubjungemus verba Plinii ex lib. XVIII. quæ ita aperte, ita eleganter enarrant dicta Poetæ, ut ab interprete nullo apertius elegantiuſve poſſint enarrari. Verba Plinii ſunt hæc: *Eſt & aquarum ſignificatio. Mare ſi murmuraverit intra ſe ventum prædicit, ſi identidem & hyemem, & imbrem, littora ripæq; ſi reſonabunt tranquilla aſperam tempeſtatem*. Et mox paullo, *ſæpe & ſilentia mare intumeſcit, flatuq; altius ſolito, jam intra ſe eſſe ventos fatetur. Equidem & montium ſonitus nemorumq; mugitus prædicunt tempeſtatem*: Hæc verba Plinii adeo poetæ carminibus conveniunt, adeo quadrant, ut alter ab altero mutuatus eſſe videatur. Et Lucanus Virgilium (ut arbitror) imitatus, talia quoq; & ipſe tempeſtatum præſagia recenſet in V. ſcribens:

Sed mihi nec motus nemorum, nec littoris ictus:

Et paullo poſt:

Turbida teſtantur conceptos æquora ventos:
Et ſi murmure ponti
Conſulimus cori vertent mare.

Ser. *Quin & candicibus ſectis,*
& quod nunc dicit de oliva & Myrto, quarum ſicci ſtipites ſecantur uſq; ad medullam, & terra infoſſi ex ſe arbores gignunt, quod ſine dubio mirum eſt.

Phil. Dicuntur a Servio hoc in loco ea quæ nec vera ſunt, nec veriſimilia, nec ab ullo ſcriptorum memorata, neque Virgilianis verſibus convenientia. Namq; Poeta illis verſibus loquitur de inſitione, qua lævigatur falce truncus, & aut inter corticem lignumque inſeritur calamus, aut fiſſo trunco imprimitur medullæ, cujus rei tota diſciplina tradita eſt a Columella in III., a Plinio in XVIII., a Palladio pluribus in locis, & tanta eſt vis inſitionis, ut etiam ſativæ plantæ ſylveſtrium radicibus inſerantur natura ſiccioribus, aptiſſima enim eſt inſitis ſiccitas, ut auctor eſt Plinius. Inde dictum eſt a Poeta:

Truditur e ſicco radix oleagina ſigno,

id eſt, *olea inſeritur & radices agens vivifcit etiam in ſicco ligno*, quod eſt mirabile dictu. Cato præcipit inſeri *oleas* luna ſicca.

Ser. *Paſſum dicitur a patiendo, nam muſtum decoquitur, & inde fit paſſum, hinc defrutum dictum quod defraudetur.*

Phil. Quemadmodum Etymologia vera eſt, ita ſignificatio falſa quam tradit Servius. Nam *paſſum defruta*, & quemadmodum utrumque conficiatur, docent Columella & Plinius, ex quibus hæc pauca annotavimus ad paſſi defrutique demonſtrationem. Paſſum fit ex *uva* quam Græci *ſticam* vocant, nos *Apianam*, *uvæ* in vite diutius ſole aduruntur, aut oleo fervente, alii ſiccant in ſole *uvas* expanſas, donec paullo amplius dimidium pondus ſuperſit: Arida deinde acina in dolium conjiciunt, eodem muſtum adjicientes, ita ut grana ſubmerſa ſint, quæ ubi combiberint ſeq; impleverint, prælo premuntur, &, ita vinum generoſiſſimum tollitur, *paſſum* nuncupatum a *patientia*. Qui autem volunt ſecundarium *paſſum* facere, adjiciunt vinaceis tantum aquæ puteanæ, quantum ex prima preſſura *paſſi* fluxerit. Et hoc equidem eſſe crediderim, quod neoterici lingua vernacula *maluaticum* apellant, quod generoſiſſimum ex inſula Creta his temporibus mittitur, & antiquitus mittebatur quod abunde declarat diſtichon Martialis, cujus lemma eſt Paſſum:

Gno-

---

nullorum ſententiam, qui non *increbreſcere*, verum *increbeſcere* malunt ſcribere; in qua opinionum varietate, nos duce Lambino illos ultro ſequimur; qui ab *increbreſca* *increbreſcere* ducunt, eo præſertim argumento, quod Virgilianæ dictionis majeſtas per τὸ *increbreſcere* mirum in modum augeatur.

De

Gnoſia Minoæ genuit vendemia Creta,
Hoc tibi, quod mulſum pauperis eſſe ſolet.

Et Juvenalis:

Quem gaudes pingue antiqua de littore Cretæ
Paſſum & municipes Jovis adduxiſſe lagenas.

Quin etiam quæritur a Juriſconſulto an vino legato *paſſum* contineatur. *Defrutum* vero vinum eſt muſto uſque ad dimidiam partem decocto (namque ut ſcribit Palladius *defrutum* a *defervenda* dictum) ubi ad ſpiſſitudinem fortiter diſpumaverit effectum eſt, *ſapa* autem appellatur ubi ad tertias partes redacta deſcenderit. Idem Palladius formulam tradit *paſſi* conficiendi, quod conditum vaſculo, mellis more ſervatur, quod cum expoſitione Servii minime convenit.

Ser. *Apud Seras ſunt in arboribus vermes bombyces qui in aranearum morem fila tenuiſſima deducunt, unde eſt Sericum.*

Phil. Hiſtorici omnes diſſentire videntur a Servii ſententia, ſcribentes quemadmodum apud Seras ſunt arbores lanigeræ ſine vermibus, quarum frondibus caniciem depectunt aqua perfuſam, ex quo vellere veſtimenta conficiuntur quæ ſerica nuncupantur, ut auctor eſt Plinius, cujus verba libuit ſubiexere ex lib. VI. *Seres lanitia ſylvarum nobiles perfuſam aqua depectentes frondium caniciem, unde geminus fœminis noſtris labor redordiendi fila, ruſſumque texendi, tam multiplici ope, tam longinquo orbe petitur, ut in publica matrona tranſluceat.* Hoc idem Solinus in Collectaneis tradit. Et profecto Plinii ac Solini verba ita Virgiliano carmini conveniunt, ut ab illo mutuata eſſe videantur, namque Poeta ſic ſcribit:

Velleraq; ut foliis depectant tenuia Seres:

Quo quidem verſu apertiſſime demonſtrat vellera & lanitium apud *Seras* colligi ex foliis, non autem confici a bombycibus vermiculis, ſicut exponit Servius. Enimvero *bombyces* non apud *Seras* ſed in Aſſyria inſula *Co* peculiariter proveniunt, qui quidem *bombyces* vermiculi ſunt, telaſque aranearum modo texunt, ad veſtem luxumque fœminarum, quæ *bombycina* appellatur cujus mentio fit apud Juvenalem: *Quarum*

Delitias vel panniculus bombycinus urit.

Prima eas veſtes texiſſe in inſula *Co Pamphyla Platys filia* dicitur, ut auctor eſt Ariſt. in 5. de animalibus, & repertum eſt a Plinio in 11. unde veſtis *Coa* nominatur, cujus crebro meminerunt Poetæ, & in primis Ovidius atque Propertius. Præterea non ſatisfacit mihi Servius, enarratione illius Virgiliani carminis,

Unctos ſalire per utres,

Quum hic locus ab unico tantum Higino (quod equidem legerim) optime declaretur, adeo ut nihil Virgilianæ ſententiæ ſit accommodatius. Scribit enim in libro de ſignis, Bacchum *vinum & vitem & uvam* Icaro tradidiſſe, ut oſtenderet hominibus quo modo ſereretur, & quid ex ea naſceretur. Hic quum ſeviſſet *vitem* hircus in *vineam* ſe coniiciens tenerrima quæque folia decerpſit, ex quo facto Icarus indignabundus, *hircum* interfecit & *ejus pelle* utrem confecit, quem vino plenum conjecit in medium, ſodaleſque ſuos circa eum ſalire coegit. Alii tradunt Icarum quum a Libero patre vinum accepiſſet, ſtatim utres plenos in plauſtrum impoſuiſſe. Ex hac Higini narratione (ut ego ſentio) Maronianum carmen apertiſſime illuſtratur, & ſententia efficitur manifeſtaria.

Ser. *Cytorus mons eſt Macedoniæ in quo abundat buxus.* (h)

Phil.

(h) De Buxifero Cythore Catulli verba libet apponere carm. 4. v. 10.

Ubi iſte, poſt phaſellus, antea fuit
Comata ſylva, nam Cythorio in jugo
Loquente ſæpe ſibilum edidit coma.
Amaſtri Pontica, & Cythore buxifer
Tibi hæc fuiſſe, & eſſe cognitiſſima
Ait phaſellus: ultima ex origine
Tuo ſtetiſſe dicit in cacumine:
Tuo leviſſe palmulas in æquore.

Digitized by Google

Phil. Diximus alias Servium in rebus his, quæ ad Geographiam pertinent parum fuiſſe curioſum, quum in ipſius commentariis errores emergant manifeſtarii, qualis eſt hic. Nam *Cytorus* non eſt in Macedonia regione Europea, ſed in Aſiatica regione quæ *Paphlagonia* nuncupatur, ut auctor eſt Plinius. Fuit autem *Cytorus* civitas, a *Cytoro* Phryxi filio condita & appellata, quod Mela Straboque teſtantur. In monte *Cytoro* buxus plurima naſcebatur, unde a Catullo *Cytorus buxifer* cognominatur. Credidit fortaſſis interpres Virgilianus *Macedoniam* & *Phalagoniam* eamdem eſſe regionem, ob quamdam nominis ſimilitudinem, ſed profecto quantum *Hipanis ſcythicus* a Veneto Eridano diſiungitur, tantum *Macedonia* abeſt a *Paphlagonia*, cum altera ſit (ut diximus) Europea regio, altera Aſiatica. Atqui hoc tam turpe erratum commentariis Servii perinde ac depravatis aſcribere malim, quam Servio, quem mihi perſuadere non poſſum tam negligenter commentarios ſcriptitaſſe.

Set. *Epidaurus civitas eſt Epiri.*

Phil. Quemadmodum in *Cytori* expoſitione erravit Servius, vel potius ipſius adulterata volumina, ita in Epidauri enarratione turpis eſt error, quum civitas fuerit non in *Epiro*, ſed *Peloponaeſo*, ut Plinius Strabo omneſque Geographi teſtantur, & fuit in Saronico ſinu Epidaurum oppidum locatum. Æſculapii templo celeberrimum: Alio nomine vocatur *Epidaurus*. (*i*) Verum opinor Servium ſimilitudine nominis fuiſſe deceptum, quum *Epidamnus* inveniatur, & *Epidaurus*. De *Epidauro* jam dictum eſt, *Epidamnus* autem, cujus meminit Plautus in Mænechmis, civitas eſt Epiri quam Romani (ut in tertio ſcribit Plinius) propter inauſpicatum nomen *Dyrrachium* appellaverunt, de cujus conditoribus ita ſcribit Appianus: *Epidamnus Rex urbem condidit quæ ab ipſo nomen aſſumpſit*. Hujus ex filia & nepos Dyrrachus portum urbi adjecit qui *Dyrrachium* appellatur. *Epidamni* meminit Lucanus in 9.

Ad campos Epidamne tuos,

quæ dictio in omnibus fere codicibus depravata legitur, & pro *Epidamne* paſſim ſcriptum eſt *Epidaure*, quod nec hiſtoriæ, nec Lucani ſententiæ convenit, quum de *Seva Centurione* loquatur, qui apud *Dyrrachium*, hoc eſt, *Epidamnum* in partibus Cæſaris viriliter dimicaverat, & memorabile facinus, quod hiſtorici omnes concelebrant, audacia prope incredibili patraverat.

Ser. *Nec pinguedo, nec pinguitudo Latinum eſt.*

Phil. Si vera eſt Servii ſententia non Latine loquutus eſt, M. Varro, Latinorum omnium (ut ita dicam) latiniſſimus, qui in ſecundo de re ruſtica ſic ſcriptum reliquit: *Sus præ pinguedine carnis non modo ſurgere non poſſet*. Idem in tertio: *Motus earum & lux pinguedini inimica*. Plinius quoque non Latine, ſi Servium ſequimur ſcripſit, qui haud dubie Latinam linguam locupletavit, cujus verba hæc ſunt ex libr. 11. *In corde ſumma pinguitudo eſt quibusdam lætis extis*. Et alibi: *Pleriſq; animalium eſt pinguedo ſine ſenſu*. (*k*) Columel-

---

(i) De *Epidauro* Ovid. lib. 1. Pont. Eleg. 3. 21.

Afferas ipſe licet cunctas Epidaurius herbas,

ac Horat. lib. 1. Sat. 3. v. 25.

Tam cernis acutum
Quam aquila aut ſerpens Epidaurius;

ac ne oſcitanter Epidauri morari videamur, adnotare libuerit præter Epidaurum a clariſs. auct. noſtro commendatum, in ora Argiæ ad ort. in litore apud Spiræum Promontorium, ſinumque Saronicum, Epidaurum urbem etiam Dalmatiæ eſſe in Adriatici maris plaga, ſui juris, ac Reipublicæ caput, vernaculo ſermone *Raguſi* latini ritus, amplo portu validaq; arce munitam.

(k) Indignum profecto, ſi nobis ingenue loqui fas ſit, vel magni nominis, ſanioreſq; Grammaticos, ita fuiſſe obſequutos Servio, ut pl eraq; omi-

mella in barbaram lexin, id eſt, dictionem, lapſus eſt ſcribens in 13. *Non ſola exprimitur amurca, ſed & aliquod ſecum pinguitudinis attrahit*. Et alibi: *Reſpuit olei pinguitudo materiam, qualis e gummis*. Et Palladius: *Pinguitudine* inquit, *ſua brachium quodcunque proximum debilitaverit*. Quid multa? eruditorum libri ſcatent *pinguedine* & *pinguitudine*, cum quibus equidem malim errare, quam cum Servii commentariis recte ſentire.

Ser. *Veſcas ſalicum frondes, id eſt, ſiccas & teneras: Nam veſcum hoc eſt proprie: Unde & araneorum tela veſca vocantur.*

Phil. *Veſcum* quid ſit optime intelligemus, ſi ejus originem & etymologiam diligenter perſcrutati fuerimus: Nam *veſcum* ex *ve* particula & *eſca* copulatum eſt, ut auctor eſt Gellius in 15. noctium Atticarum, & quum *ve* particula tum intenſionem ſignificet, tum minutionem, ita *veſcum* utriuſque diverſæ ſignificationis vim capit: aliter enim Lucretius *veſcum ſolem* dicit, ex edendi intentione, aliter Lucilius *veſcum* appellat cum edendi faſtidio. *Veſcum* itaq; id ſignificat, quod in eſca & cibaru appetitur, & id quod faſtidioſum eſt, in altero hæc particula *ve* intendit, in altero minuit. Et ita Virgilius appellat *veſcum papaver* ab edendi intenſione, quod videlicet in cibis adhibeatur, *veſcas ſalicum frondes*, quoniam ſcil. eſcis juvencorum ſunt accommodatæ. Feſtus quoque ſcribit *veſcum faſtidioſum* ſignificare & *edacem*. Præterea ut aliquid de interioribus literis depromamus, *veſcus* apud priſcos pro *puſillo* uſurpabatur, quod declarat Ovidius in Faſtis ſic ſcribens:

Vegrandia farra coloni,
Quæ male creverunt, veſcaq; parva vocant,

Et *veſculi male curati & graciles homines* nuncupantur: Namq; antiqui *ve* ſyllabam rei parvæ præponebant, unde *Vejovis* pro *puſilla Jove* dictus eſt, quamvis in alia ſignificatione, ut mox docebimus accipiatur & *vegrandem fabam* pro *minuta* vocitaverunt, & apud Auſonium *vegrandes meſſes* legimus pro *parvis*, & a Varrone ſcriptum eſt in re ruſtica: *Oves fiunt vegrandes ac imbecillæ*: In hac ſignificatione (ut equidem arbitror) accipitur apud Plinium qui ſcribit in 7. *Corpore veſcos eſſe ſed eximiis virib.* Servii autem expoſitio (ut dicam quod ſentio) non ſolum non vera eſſe videtur, ſed etiam ſibi ipſi diſcors, quum *veſcas* ſalicum frondes interpretatur *ſiccas teneras*, cum ſiccum tenero contrarium eſſe videatur. Exponamus igitur *veſcas* frondes, vel quod *eſca ſunt & cibaria* juvencorum, vel (ut exponit Nonius Marcellus) quod *faſtidioſa ſunt*. Commentatoris officium fuerat diligentius ſcitiuſq; Vergilianum carmen arbitrari & ſuper hac dictiona *veſcum*, quum vetuſtatem redoleat, & eruditionam reconditam præſeferat, copioſius diſputare & eruditius.

Ser. *Tenuit non gloria ſi quem*
Numina læva ſinunt,
id eſt, proſpera ut alibi.
Intonuit lævum.

Phi. Romani antiquitus Deos quoſdam ut prodeſſent colebant, quoſdam vero ne obeſſent placabant. Cum *Jovem* igitur & *Dijovem* a juvando nominaſſent, *Vejovem* appellaverunt dempta atq; detracta juvandi facultate, ut auctor eſt Gellius in 5. Simulacrum enim *Vejovis* ſagittas tenet, quæ ſunt vide-

omiſerint, quæ Servium recenſare non contigerit, ac, ne a propoſito digrediamur, vix ullum deprehendes, cui *pinguis*, aut *pinguitudo* placuerit; egregie noſtra quidem ſententia, doctiſſimus Beroaldus vocem latinitate donatam latio ſermoni reſtituit, Grammaticorumq; cavillationes diligenter avertit, cujus judicio accuratius ſingula penſitante contenti eſſe malumus, quam cum aliis diutius diſputare.

Dei

delicet paratæ ad nocendum: quapropter eum Deum pleriq; Apollinem eſſe dixerunt. Præterea Virgilium quoque ajunt multæ antiquitatis hominem ſine oſtentationis odio peritum, numina læva deprecari in his verſib.

In tenui labor, at tenuis non gloria, ſiquem
Numina læva ſinunt, auditq; vocatus Apollo.

Significat enim quamdam vim eſſe hujuſcemodi Deorum in *lædendo* magis quam in *juvando* potentem. Et ita ſecundum Gellii auctoritatem, qui perquam ſcite & adamuſſim Virgilianam majeſtatem penſitavit, exponemus, *Numina læva*, id eſt, *ſiniſtra noxiaq;* & magis lædentia, quam juvantia. (*l*) Et quoniam in Gellii mentionem incidimus, admonendi ſunt illius ſcriptoris ſectatores, ut locum emendent in eo capite, in quo de *Vejove* diſſerit, depravatum, quum in omnib. paſſim codicibus Gellianis hæc verba legantur: *In his diis quos placari oportet, ut mala a nobis vel a frugibus natis amoveantur: Arungus habetur & Robigus.* Mendum eſt maximum in noviſſimis tribus verbis, quod niſi emendetur, difficultates pariet inextricabiles; Nos vero Marte noſtro, ita correximus: *Averruncus habetur & Robigus*. Et ita corrigendum eſſe cenſemus, fulti auctoritate eruditiſſimorum: Namq; *Averruncus* Deus eſt qui malorum avertendorum cauſſa colebatur, ab *Averruncanda* nominatus, ut docet M. Varro in libris de lingua Latina. *Averruncare* autem vocabulo antiquo ſignificat *avertere atque deppellere* quam dictionem uſurpat Livius ſic ſcribens in 8. *Placuit ad averruncandam Deum iram victimas cædi.* Et in 10. *Prodigiorum averruncandorum cauſſa ſupplicationes in biduum ſenatus decrevit.* Cicero ad Atticum in Epiſtolis ſic ſcribit: *Certe contra igitur inquis Diis averruncent.* Cato quoq; in re ruſtica: *Viduertatem*, inquit, *vaſtitudinemque calamitates, intemperieſque, probibeſſis, defendas, averruncesq;*. Et Feſtus Pacuvianum dictum *amentiam averruncaſſent tuam*, interpretatur, id eſt, *avertiſſent*. *Averruncum* itaque Deum Romani colebant, & ab eo precabantur, *ut pericula averruncaret*, hoc eſt, *averteret amoliretur atq; propulſaret*. Legatur ergo apud Gellium: *Averruncus* non autem *Arungus*, quum *Arungus* nihil ſignificet, & dictio ſit illiterata: *Averruncus* vero ſit Deus Romanorum, & dictio vetuſtiſſima, atq; ex interioribus literis ac penitiſſimis depromta. (*m*) *Aruncus* apud Plinium accipitur pro *villo* qui a capellarum mento dependet. Sed hoc, & id genus ſexcenta alia, quæ apud ſcriptores in Latina lingua reperiuntur, partim obſcura, partim depravata tractantur ac enodantur a nobis, uberiori volumine, quod quotidie cudi-

(l) Dei *Vejovis* ſimulacrum, in æde poſitum inter arcem, & Capitolium ante duos lucos, enarrat Ovid. Faſt. 3. v. 429. ac juxta Dei effigiem, capram, effictam eſſe teſtatur, qua in creta Jovis eſt educatus.

Una nota eſt Marti, aetis ſacrata quod illis
Templa putant lucos Vejovis ante duos.

Utrum autem, nec ne per τὸ *læva*, *Vejovis* inter ſiniſtra numina reponendus ſit, qui *Jovis parvulus* pleriſque dicitur, quod magnum eruditis negotium faceſſit, affirmare non audemus, ſequatur unuſquiſque in tanta auctorum varietate, quod placet, aſſesimus tantum priſcis numina fuiſſe, quæ nec ipſi noverant, placanda invocandaq;, eaque ut certo quodam nomine compellarent formula utebantur; *Sive tu Deus, ſive tu Dea eſt*, appoſite de illis Cato de Re Ruſt. *Lucum collocare*, ait, *Romano more ſic oportet, ſio verba concipito; ſi Deus, ſi Dea, cujus illud ſacrum eſt.*

(m) De *Averunco* Var. de l. l. ait, *avertendo averuncare, ut Deus qui meis rebus præeſt, Averuncus* itaq;

dimus, & adhuc ſub incude eſt, quod edetur in tempore. In quo omni ſtudio ac vigilantia contendimus, laboramus, enitimur pro virili parte de Latinæ linguæ ſectatoribus benemereri.

Itaq; ab *eo precari ſolent, ut pericula avertat*; Ducta fortaſſe ex Græcis ſimilitudine *Averuncum* effinxerunt Romani; Græcis enim Hercules & Apollo malis avertendis præeſſe dicebantur,

PHI-

PHILIPPI BEROALDI

ANNOTATIONES, *SEU* EMENDATIONES IN PLINIUM.

IN libro tertio ubi ſarmo fit de Latinis populis, ita ſcriptum habent mendoſi codices: *Cum bis carmen in monte Albano ſoliti accipere populi Albenſes*. In ſpectatæ fidei libris non *carmen* ſcriptum eſt, ſed *carnem* & ita ipſe emendavi ſequutus hiſtoriam: Namque in *Albano* monte Latinis *viſcerationem* (n) quotannis Romani dabant: M. Varronis ad hanc rem pertinentia verba ſubjeci: *Latinæ feriæ dies conceptus, dictus a Latinis populis quibus ex Albano monte ex ſacris carnem petere fuit jus cum Romanis*. Livius quoque libro trigeſimo tertio idem demonſtrat his verbis: *Feriæ Latinæ Pontificum decreto inſtaurata ſunt, quod legati ab Ardea queſti in ſenatu erant, ſibi in monte Albano Latinis carnem, ut aſſolet, datam non eſſe*: Nonne hi duo celeberrimi ſcriptores aperte monent, *carnem* apud Plinium legendum eſſe non *carmen*? Eodam Servius quoque Grammaticus locuples auctor accedit, qui in primo commentario ſic ſcriptum reliquit: *Viſcera non tantum inteſtina dicimus, ſed quicquid ſub corio eſt, ut in Albano Latinis viſceratia dabatur, id eſt caro*. Et ſeptimo ſuper Virgilianum illud:

Populiq; Latini,

ait, *qui intererant Albani montis viſcerationi*. In

(n) *Viſcerationem* deſcribit Virgil. Æneid. VIII.

Tum lecti juvenes certatim, aræque Sacerdos
Viſcera toſta ferunt taurorum, onerantq; caniſtris
Dona laboratæ Cereris, Bacchumq; miniſtrant.
Veſcitur Æneas ſimul, & Trojana juventus
Perpetui tergo Bovis, & luſtralibus extis.

Viſceratio autem ideo ex Voſſ. primum dicta, quod *victimis mactatis* vel inſtaurarent veteres convivia, vel carnis partem amicis mitterent; *Viſcerationis* ſolemnitas deorum ſacris addicta, feriis latinis in monte Albano ad mortuorum honorem tranſiit, de qua Liv. VIII. *Populo viſceratio data a M. Flavio in funere matris*, ut XXXIX. *P. Licinii funeris cauſſa viſceratio data*; inde *Viſceratio eſt crudæ carnis populo facta largitio*.

In Quinto, locus per ſyllabæ adjectionem depravatus eſt: *Oppidum Tachabracha civium Romanorum*, quum *Tabracha* legendum ſit, & ita correxi Juvenalis teſtimonio, qui locum oſtendens ſimiis frequentem, inquit:

Quales umbriferos ubi pandit Tabracha ſaltus
In vetula ſcalpit jam mater ſimia bucca.

Namque in Africæ, ubi *Tabracha* eſt, ſaltibus & latifundiis, maximam ſimiarum eſſe multitudinem, Solinus & Strabo tradunt. Poſſidonius quoq; refert ſe in Libyæ oram delatum, ſylvam vidiſſe ſimiis plenam, quarum aliæ ſuper arboribus, aliæ in terra ſederent, nonnullæ catulos haberent & ubera dependentia: riſiſſe itaq; quum eas uberibus graves cerneret nonnullas, calvas, quaſdam etiam hernioſas. *Tabrachæ* meminit Pomponius Mela. *Tabracham* Sylius Italicus Tyrium opus appellat.

In ſeptimo ubi rerum inventores enumerantur ſcriptum legitur: *Dædalum inveniſſe Lithocollom*. Nos exemplaria quam emendatiſſima ſequuti, correximos *Ichthyocollam*. Eſt autem *Ichthyocolla* glutinum e piſce factum (ut nomen indicat) de qua ſcribit Plinius in trigeſimoſecundo: *Ichthyocolla appellatur piſcis, cujus glutinoſum eſt corium, denique nomen glutino ejus*: Et alibi: *Ichthyocolla*, inquit, *erugat cutem*. Cornelius Celſus medicamentis compluribus miſcendam eſſe docet *Ichthyocollam*.

In octavo ubi de equis ſit mentio, correctores inemendatum locum reliquerunt, non advertentes hiſtoriam, ſic enim ſcriptum eſt: *Maximum vero eodem*, id eſt, *in Capitolium perveniſſe habenas cum palma & corona effuſa Ratumena, qui ibi vicerat*. Ex his Plinii, ſi modo Plinio aſcribenda ſunt, verbis, nemo profecto intelliget, ubi *vicerit Ratumena*, quod & ſenſus ſit mutilatus indignuſque Pliniana majeſtate, niſi illud *perveniſſe habenas* immutes, ut dicat, *perveniſſe a Veiis*, & ita nos emendavimus, ſecuti hiſtoriæ fidem, & maxime Plutarchum, qui id ita clariſſime refert, ut nihil amplius ambigendum ſit. Scribit enim: *Veiis oppida Etruriæ, dum Curule editur ſpectaculum Ratumenam agitatorem victorem & coronatum ex Hippodromo egredientem equorum celeritate atq; impetu Romam uſq; fuiſſe raptatum, eoq; e curru excuſſo equos in Capitolium perveniſſe*. Solinus quoque idem breviter refert, a Plinio (ut arbitror) acceptum. Ab hoc auriga *Ratumena*, Romæ nomen eſt inditum Ratumenæ portæ. (*o*) Auctores Feſtus, Plinius, & Plutarchus.

In decimo, ubi ſit mentio de his, quæ inter ſe diſſident, ſcriptum eſt: *Phalanges & Aranei*. Quid ſenſerint hoc in loco correctores, conjectare non poſſum, niſi forte opinati ſint legiones illas cuneoſque Macedonum, quas ipſi teſte Livio *Phalanges* appellant, ſcriptoreſque fere omnes celebrat agere diſcordias cum araneis. Quod quam ridiculum ſit ſentire, etiam inſulſiſſimi intelligunt. Ego vero correxi ſic: *Phalangia & aranei*. Eſt autem *Phalangium*

(o) De *Ratumena* veteri Urbis Porta diſſident Auctores; Plerique *Flaminiam* mutato nomine, illam dixerunt; *Carmentalem* nonnulli; diu in adſtruendo hujuſce Portæ loco hæſimus, verum ne difficultatem videremur declinare, probatorum hominum judicio, *Ratumena Portæ* locum nunc temporis incertum aſſerimus, quod *Ratumena* priſcis eadem, ac *Carmentalis Porta foret*, qua expeditiſſimus in Capitolium ingreſſus illi, qui ludicro quadrigarum certamine in Etruria vicerat, & ab Equis in urbem raptus intra muros excuſſus perierat ex Plutarch. in Poplic., atq; *Flaminia etiam* vocata eſt *Porta Ratumena*, quod foret *Carmentali Flaminia* admodum proxima.

Car-

gium ex genere araneorum, quorum noxii ſunt morſus, ut ſcribit Plinius in 11. *Corpus exiguum varium acuminatum ad ſaltum ingredientium, Phalangiat*, Teſte eodem, *trigenos parit*. Idem in 29. *Phalangium eſt Italiæ ignotum, & plurium generum*. Et alibi: *Phalangion Græci vocant inter genera araneorum*. Cornelius Celſus in quinto: *Ubi vero Phalangium nocuit, præter eam curationem, quæ manu redditur, ſæpe homo demittendus in ſolium eſt*. Quid multa? hæc dictio apud Plinium adeo eſt frequens, ut correctores exiſtimem, quum hunc præſertim locum non emendarint, obliviosiores fuiſſe Curione, qui memoria ita fuit nulla, ut aliquotiens tria quum propoſuiſſet, aut quattuor adderet, aut tertium quæreret.

In 14. Ubi generoſa vina referuntur, ſic ſcriptum legitur: *Ceterano, ſcil. vino inter Gallias conſiſtit auctoritas*. Quis quæſo Geographus, quis hiſtoricus *Ceteranos* populos, quorum vina laudat Plinius, illuſtravit? vel nudis ſaltem nominibus nuncupavit unquam? Mecherule nullus. Atqui quum *Cerretanos* in Hiſpania nobiles fuiſſe legerimus, depravatum permutatis literis locum ſic emendavimus: *Cerretano inter Gallias conſiſtit auctoritas*: Sunt enim *Cerretani* Hiſpaniæ populi, qui *Iuliani* cognominantur, & qui *Auguſtani*, ut auctor eſt Plinius in 3. Horum vina inter laudatiſſima locum habent, ut auctor eſt Plinius, quæ Martialis in Xeniis Setinis comparat: (*p*)

Cerretana nepos ponat, Setina putabis,
Non ponit turbæ cum tribus illa bibet.

Scio omnes fere eruditos viros hactenus exiſtimaſſe Martialem hoc diſticho eſſe iocutum de *Cerretanis Etruſcis*, in quo exponendo non minus errarunt, quam in illo, cujus lemma eſt *pernæ*:

Cerretana mihi fiat vel maſſa licebit,
De Menapis, lauti de petaſone vorent.

Crediderunt enim hoc quoq; ad *Cerites* Etruriæ referendum, in quod manifeſtum erratum ne inciderent, potuiſſent Strabonis lectione admoneri, ſic in tertio Geographiæ ſcribentis, ubi de Hiſpaniarum ſitu habetur oratio: *Media Pyrenes loca convalles tenent, quas frequentes cultores habitant, quas qui maxima Hiſpaniæ portio Cerretani tenent, a quibus multifariam pernæ condiun-*

(p) *Cerretana* vina haud frequenter adeo memorant Auctores, ut *Falerna*, *Maſſica*, vel alia laudatiſſima. Audiatur Horat. Sat. II. IV. LI.

Maſſica ſi cœlo ſuppenas vina ſereno,
Nocturna, ſiquid craſſi eſt, tenuabitur aura,
Et decedet odor nervis inimicus; at illa
Integrum perdent lino vitiata ſaporem.
Surrentina vafer, qui miſcet fæce Falerna
Vina; columbino limum bene colliget ovo.

Virgil. Georg. II. *Rheticum* vinum celebrat.

Et quo te nomine dicam
Rhetice? nec cellis ideo contende Falernis.

Eodemque in loco vinum *Leſbium* commendat idem Maro.

Non eadem arboribus pendet vindemia noſtris,
Quam Methymnæo carpit de palmite Leſbos.

Demum Strab. V. *Sinui Cajetano*, ait, *contiguum eſt Cæcubum, cui adjacet urbs Fundi in via Appia. Tota hæc ora præcipua adeo vina generat. Verum Cæcubum, & Fundanum, & Setinum, ſicut Falernum, & Albanum, & Statanum inter nobilia numerantur*; quæ apponere libuit, non quod *Cerretano vino* gloriam detrahere audeamus, verum quod rarius inter præſtantiora numerari hujuſmodi vinum dixerimus.

Mon

diuntur Cantabricis perquam ſimiles, proventum non mediocrem hominibus exhibentes. Quid his Strabonis verbis lucidius eſſe poteſt? quæ clariſſime oſtendunt, diſtichon Martialis non ad *Ceritas* Ethruſcos, qui nulla condiendi *pernas* laude cenſentur, ſed ad *Cerretanos* Hiſpaniæ, quorum *pernæ* celebrantur, referendum. Namque quum ex Hiſpania & Gallia. M. Varronis atque Strabonis teſtimonio ſalſamenta mitterentur, laudatiſſima, videtur Martialis eodem carmine tanquam confinium regionum *pernas* conjungere voluiſſe. *Cerretanarum* vinearum miram ubertatem, proventumque incredibilem, Columella tradit in quarto.

In 16. quum in omnibus codicibus talis index ſit: *De hedera quæ vocatur Similax*, & eodem capite id verbum *Similax* ſæpius repetitum ſit, fateor me, quo minus immutarem, ſuperſediſſe, verum quemadmodum fabulæ conveniat non intelligo, quæ *Milacem* appellat non *ſimilacem*. Ovidius:

Et crocon in parvos verſum cum Milace flores.

Et Plinius ab Ovidio non differiens ait: Virginem ejuſdem nominis propter amorem juvenis Croci, mutatam in hunc fruticem. Huc accedit quod in 24. ſcribens de natura hederæ in medicina *Milacem* nuncupat, quam in 16. *Similacem* nominaverat, niſi exemplaria in hoc (ut equidem arbitror) depravata ſint, quod ideo facilius credere libet, quum apud eundem Plinium compiures depravatos indices deprehenderim, de quibus alias loquar. Præterea ut ad *ſimilacem* redeam, Sextius gravis auctor *taxum* arborem a qua *taxica* nuncupantur, vocari dixit a Græcis *ſimilacem*, & eſſe in Arcadia tam præſentis veneni, ut ſi qui dormiant ſub ea cibumve capiant moriantur.

In 18. quum correctores ita emendaverint, vel verius depravaverint: *Servius rex ovium boumq; effigie primum aras ſignavit*, habuiſſe videntur quiddam commune cum lacerta, cui animali memoria ineſt nulla. Nam dicant quæſo apud quem idoneum ſcriptorem iſtud unquam legerint, cur non ad Plinium boni viri, ſi apud alios non reperiebatis, recurrendum cenſuiſtis, qui in 33. locum hunc (ut nos correximus) ita emendandum eſſe demonſtrat: *Servius rex ovium boum effigie primus æs ſignavit*, non autem *aras*, id hiſtoriæ fides exigit. Idem Plinius repetit, cujus verba ex prædicto libro hæc ſunt: *Servius rex primus ſignavit æs*. (q) Antea rudi uſos Romæ Timæus tradit. Signatum eſt nota pecudum, unde & pecunia appellata. Eodem accedit locupletiſſimus auctor Plutarchus, qui ſcribit apparere in vetuſtiſſimis numis inciſum ſignum bovis, pecudis, ſuis.

In 19. mendoſis codicibus verbum priſcum prioribus literis ablatis mutilatum eſt, ubi ſcriptum legitur *ædium* cum legendum ſit *hæredium*, & ſic ego correxi. Eſt autem *hæredium* (ut ait Feſtus) *prædium parvulum*: Et in le-

---

(q) Non *Servium* primum autem pecuniam *Navis Roſtro* ſignaſſe Janum aut Saturnum cum multis ait Lactant. En ejus verba: *Fugis expulſus* (Saturnum intellige) *& in Italia navigio venit, quum erraſſet diu, ut Ovid. in Faſt.*

Cauſſa ratis ſupereſt: Thuſcum rate venit ad amnem
Ante pererrata falcifer orbe Deus.

Hunc errantem atque inopem Janus excepit, cujus rei argumento ſunt nummi veteres, in quibus eſt cum duplici fronte Janus, & in altera parte navis, ſicut idem Poeta ſubjecit:

At bona poſteritas puppim formavit in ære,
Hoſpitis adventum teſtificata Dei.

Quam ſententiam exponere ſatis fuit, quum illa non improbanda videatur, quam ex Plin. Auct. noſter deſumit, præſertim quod nummi a Lactant. memorati poſt Saturni, aut Jani ætatem invecti fuiſſe credantur.

legibus, 12. tabularum in horti ſignificatione ſemper nominatur *heredium*, (r) inde *herediolum* uſurpat Columella, cujus verba hæc ſunt ex libro primo: *Ad eoſdem juvencos & quatuor jugerum avitum herediolum redierit*.

In eodem unius litteræ inverſione mendum admiſſum eſt, ita enim ſcriptum habent depravati codices: *Inveterari vina ſuccisq; caſtrari*, quum ſcribendum ſit *ſaccisq; caſtrari*. Atqui videor nimis levia ſectari, imo graviſſima & nota digna. Non enim ſono tam diſſimile eſt *Thais* & *Hermione*, quam ſenſu *ſuccus* & *ſaccus*. Nam ſi legendum admiſeris: *Vina ſuccis caſtrari*: Qui ſenſus Dii boni? quam ineruditus, quam ridiculus, & Pliniano acumini minime quadrans erit confingendus excogitanduſque? Si vero *ſaccis* quemadmodum nos emendavimus correxeris, & ſenſum deprehendes elegantem, eruditum, & ex conſuetudine Romana ſumtum, atque a Plinio non diſcrepantem. Nam Romanum inſtitutum fuit vetus *vina ſacco lineo* colare, ut eſſent innocentiora. Ideoque ait Plinius in 14. de vino loquens: *Quinimo ut plus capiamus, ſacco frangimus vires*: Et in 23. *Utiliſſimum*, inquit, *omnibus ſacco viribus fractis*. Hæc Pliniana faciunt, ut exiſtimen Martialem quum de ægroto Tongilo loqueretur, in ſecundo, ſic ſcriptum reliquiſſe:

Cæcuba ſaccentur quæq; annus coxit Opimi, (ſ)

id eſt, *ſacco colentur* cum *ſiccetur* paſſim legatur, ita enim ſalubriora purioraq; reddebantur. Unde & in 20. ait:

Turbida ſolicito tranſmittere Cæcuba ſacco.

Horatius quoq; in 2. ſermonum morem hunc tranſmittendi vina per ſaccum tetigit, eo verſu:

Integrum perdunt lino vitiata ſaporem.

Ubi Porphyrio expoſuit, *ſacco colata*. Et Martialis in Apophoretis.

Pauperiore mero tingere lina potes.

In 25. legitur:

Galli ſagittas in venenato helleboro tingunt.

Nos

(r) Quo ſenſu *Hortus* dicatur, Feſtus declaravit, pro *Villa* ac *prædio* indiſcriminatim *Hortum* uſurpans, quod *Heredium horti* ſignificatione intelligi voluerit; ea ratione explicari debet Cornel. Nep. in Porc. Cat. *Verſatus eſt in Sabinis, quod ibi heredium a Patre relictum habebat*; uberius id quoq; Auſon. Eidill. xxxi. hiſce carminibus demonſtravit:

Salve herediolum majorum Regna meorum,
Quod proavus, quod Avus, quod Pater excoluit.
Quod mihi jam ſenior properata morte relinquit.
Eheu nolueram tam cito poſſe mori.

(ſ) Appoſite in hunc locum vir clariſs. Scriverius quemdam auctorem carpit pro τῷ *ſaccentur* conſcribentem *ſiccentur*, ut per Hypallagen ponatur hoc verbum pro *Exhauriatur* ex illo Martial. ejuſd. Verſic. de Sextiliano.

Teſta ſed antiqui felix ſiccatur Opimi;

liquet enim *ſiccatum* priſcis monumentis non cohærere, *ſaccatum* autem in emendatioribus codicibus invenitur. Inſuper: *Siccare Pacula*, ait Scriver. ipſe Animadverſ. in hunc Martial. locum, *dicitur de ſtrenuis potationibus*; *Hic autem præcipitur a Medicis ſaccari, & lina colari Cæcubum, atque Opimianum Tongilio ægro. Nam vina ſaccata minus nocent, ut defæcata, & domita. Sequens verſus id probat*:

Condantur parco, fuſa Falerna vitro.

Plutarch. Sympoſ. vi. 7. *Quid ergo*, ait, *abſurdi habet res, quod vini etiam fæculentas partes, aceris, aut furfuris in morem colando expurgamus*; Colum. ix. 5. *Saccus inverſæ metæ ſimilis, qualis eſt quo vinum liquatur*; nec vinum ſac-

Nos correximus in *venatu*, auctorem ſequuti A. Gellium, virum (ut Auguſtinus ait) multum facundæ ſcientiæ, qui eadem referens ex Plinio ſumſiſſe ſe indicat, ſic ſeribens in 16. Præterea id ſcriptum eſt in Plinio: *Legimus Gallas in venatibus tingere bellebore ſagittas , quod iis ictæ exanimatæ feræ teneriores ad epulas fiant*. Ex his Gellii verbis lucido apparet apud Plinium legendum eſſe in *venatu* , ut ipſe emendavi, non autem in *veneuato*. Ejuſdem quoque Gellii auctoritas fecit , ut alterum quoque locum in eodem , 25. depravatum corrigerem , ita enim ſcriptum eſt: *Mithridatis inventum autumant in anotam Ponticarum miſcere antidotis , quoniam veneno viverent*. Quæ ſunt hæc portenta verborum? quam conſciſsa ſententia? quam indecora conſtructio? niſi illud in *anatum Ponticarum* ſic emendes: *Sanguinem anotam ponticarum* , cujus rei non me auctorem habebis , ſed Gellium ſic ſcribentem in noctibus Atticis: *Anates ponticas dicitur edendis vulgo venenis victitare*. Scriptum etiam a Leneo Cn. Pompeji liberto Mithridatem illum Ponti regem medicæ rei & remediorum id genus ſolertem fuiſſe, ſolitumque earum ſanguinem miſcere medicamentis, quæ digerendis venenis valent ,eumque ſanguinem vel potentiſſimum eſſe in ea confectione. Quid his Gellii verbis manifeſtius? quid lucidius eſſe poteſt, quibus idem enarrat quod Plinius, quin etiam ipſemet Plinius aperte demonſtrat ita corrigendum eſſe, ut ego correxi, cujus verba ex libro vigeſimonono hæc ſunt: *Coagulum quoque agninum adverſus omnia mala medicamenta pollet , item ſanguis anatum Ponticorum*.

In 28. ſic ſcriptum eſt: *Medetur Phytiocampes venenis*. Ego vero permutatis literis emendavi *Pityocampes*. Eſt autem *Pityocampe* vermis ſive eruca nuces pineas infeſtans, ut docet Plinius ſic ſcribens in 23. *Vſus contra Cantharidas bupreſti, pinorum erucas, quas Pityocampas vocant*. Dictio compoſita ex *Pitya & campe*. Pitya vero inter genera nucum pinearum numeratur e pinaſtris ſingularis remedii adverſus tuſſim , ut Plinius refert in decimoquinto. Ab hac arbore *Pityo* Salamina *Pityaſa* eſt nuncupata , ut auctor eſt Strabo in nono, quemadmodum & aliam in Hiſpania inſulam *Pityuſæ* nomen inde eſſe ſortitam ſcribit Diodorus in ſexto. *Campe* vero eſt eruca infeſtans maxime hortenſia, cujus meminit Columella hoc verſu :

Volvitur ad terram diſtorto corpore campe.

In 23. Verbum barbarum pro latiniſſimo , inſolens pro uſitato elegantiſſimoq; receptum eſt, *Gratotaſium* pro *Græcoſtaſi*, ſic enim ſcriptum eſt: *Flavius ædiculam æream fecit in Gratotaſio*. Non inficiabor ignorare me quid ſit *Gratotaſium*, imo ingenue fatebor. Quod ſiquis correctores interroget , quid id ſignificet, neſcio quid muſſitabunt, & dictionem tanquam inauditam portentoſamq; reformidabunt: Ego vero correxi in *Græcoſtaſi*. *Græcoſtaſis* autem locus erat Romæ ſubſtructus ſub dextra Curiæ Hoſtiliæ ſupra comitium, ubi nationum ſubſiſterent legati , qui ad ſenatum eſſent miſſi. Is *Græcoſtaſis* (ut interpretatur M. Varro) appellatur a Græcorum legatis ibi ſubſiſtentibus. De *Græcoſtaſi* meminit Cicero in Epiſtola ad Quintum fratrem his verbis. *Deinde ejus operæ repente a Græcoſtaſi & gradibus clamorem ſatis magnum ſuſtulerunt*. (t)

In

ſaccatum tantum, verum & aquam *per ſaccum percolatam* veteribus ſuiſſe inquit Senec. Epiſt. 85. *O hominem calamitoſum! neſcis vivere: non ſuccata aqua lavabatur , ſed ſæpe turbida, & quum plueret vehementius, pene lutulenta* ; ac delicatos quoſdam reprehendit , *Aqua per ſaccum percolata*, purgataq; in balneis ſe lavantes.

(t) *Græcoſtaſis* ſtatio ubinam Romæ collocata fuerit, vehementer dubitatur ; qua-

In 21. Nec hoc quidem præteribo, proprium pictoris nomen depravatum eſt, ubi ſic legitur: *Sicyon ex ingenio Pauſiani*. Nos vero docente Plinio correximus, *ex ingenio Pauſiæ*, & ita correctores Plinium ſequuti auctorem emendare potuiſſent, niſi lethargo oppreſſi, Cervario ſimiles extitiſſent, cui etiam in fame mandenti, ſi reſpexerit, cibi ſubrepit oblivio. Namq; Plinius in 35. clariſſime oſtendit: *Pauſiam* pictorem nuncupatum fuiſſe non *Pauſianum*, cujus verba hæc ſunt: *Pauſiam Sicyonium primum in hoc genere nobilem*. Ubi ei omnia illa, ne forte alium putes, adſcribit, quæ in xxj. retulerat. Alibi quoque inquit: *Pauſiæ filius & diſcipulus Ariſtolaus*. Quinetiam Porphyrio pictorem nobilem fuiſſe *Pauſiam* ſcribit: a quo tabellam *Pauſiacam* nominavit Horatius.

Vel cum Pauſiaca torpes inſane tabella.

Ceterum hoc non ſolum hominis nomen in Plinio depravatum legitur, id enim leviſſime ferendum foret, ſed tot ego deprehendi inverſa & ab hiſtoriæ fide diſcrepantia, ut iſta privatum volumen, non epiſtolam requirant.

---

qualis ei locus docere videtur Plin. quum inquit: *In Græcoſtaſi, quæ tunc ſupra Comitium erat*: verum quod de Comitiorum loco multum diſputetur, iccirco qua parte *Græcoſtaſis* eſſet aſſimari non poteſt, niſi ducatus ſitus Ichnographia dimenſus ex eodem Plin. *Duodecim*, ait ipſe, *tabulis ortus tantum, & occaſus nominatur: poſt aliquot annos adjectus eſt, & meridies, accenſo Conſulum id pronuntiante, quum a Curia inter Roſtra, & Græcoſtaſim proſpexiſſet ſolem a Columna ænea ad carcerem inclinatum ſidere ſupremam pronuntiabat*; ſic ut in parallela linea mathematica inter orientem, & occidentem Solem ſita fuerint *Græcoſtaſis, Roſtra, Columna ænea, & Carcer*, quamobrem ſi roſtra in angulo comitii occidentali, in orientali comitii angulo *Græcoſtaſis* eſt conſtituenda, qui inter viam ſacram angulus fuit, ac viam illam, quæ quartam regionem ab octava diſterminat, adeout *Græcoſtaſis* inter eandem viam, & *Comitium* intermedia fuerit, e regione ferme illius viæ, quæ nunc inter ædes S. Laurentii, & Ss. Coſmæ, & Damiani poſita eſt; hoc enim modo ſol neceſſario perpendiculari umbra meridiem deſignavit inter *Græcoſtaſin, & Roſtra, Columnamq; & Carcerem*. Monemus etiam pro *Græcoſtaſi Græcoſtadium* aliquando inveniri, quod idem omnino ac *Græcoſtaſis* eſt. Capitolin. in Pio C. 8. *Græcoſtadium poſt incendium reſtitutum*.

PHI-

PHILIPPI BEROALDI

APPENDIX ANNOTAMENTORUM

POST

SUETONII

ENARRATIONES.

CAPUT I.

Quid ſignificet illud Hieronymi ab Eccleſiaſticis celeberrime uſurpatum *de Tantali fonte potantem*.

PLeriq; omnes Eccleſiaſticæ literaturæ ſtudioſi, anxie & ſitienter veſtigare ſolent, quid ſignificet illud Hieronymi vulgatiſſimum quod liminarem paginam teſtamenti veteris introeuntibus ſtatim obvium ſit, ut: *Jarcham in throno ſedentem aureo, & de Tantali* (u) *fonte potantem audiret docentem*. Nugatoria ni-

(u) Quis *Tantalus* fuerit exploratum ex priſcis Scriptoribus, haud tamen crimen, ac pœna ſatis comperta: multa videre eſt penes Auctores cum Græcos, tum Latinos: nos pauca delibabimus. Virgil., quod filium Deorum menſæ comedendum *Tantalus* appoſuerit, fame apud Inferos cruciari exiſtimavit Æneid. VI.

Lucent genialibus altis
Aurea fulcra thoris: epulæq; ante ora paratæ
Regifico luxu: Furiarum maxima juxta
Accubat, & manibus prohibet contingere menſas,
Exurgitq; facem attollens, atq; intonat ore.

Ob linguæ petulantiam, ac dicacitatem *Tantalo* ſaxum perpetuo imminere cenſet Tullius; in aqua verſari, aſſiduaq; torqueri ſiti poſt Græcum Homerum, ex Latinis dixerunt Tibullus, ac Naſo: prior quidem:

Tantalus eſt illic, & circum ſtagna, ſed acrem
Jam jam poturo, deſerit unda ſitim.

Poſterior autem ex ſuperum arcanis proditis mulctatum *Tantalum* aſſerit ſiti, fameq;:

Quærit aquas in aquis: & poma fugacia captat
Tantalus; hoc illi garrula lingua dedit.

Pro opinionum varietate de *Tantali* culpa, ac ſupplicio, diverſæ quoque de Fabulæ ſenſu circumferuntur ſententiæ; ne ſingulas recenſentes, Lectorem benevolum faſtidiamus, Flacci tantum carmina ſubdimus,

nimirum ſunt, quæ a commentatoribus referuntur. Nos ut pro virili parte juvaremus ſtudia ſtudioſorum, ad eumdem fontem acceſſimus, explicationem invenimus hujuſce involucri latiſſimam, quæ talis eſt: *Apud Indos ſapientes ſunt Brachmanæ nuncupati, quorum princeps Jarchas nominabatur, eo tempore, quo Apollonius Thyaneus diſcendi viſendique ſtudia ad illos ſe contulerat, quem antecedentem cæteri qui erant duodeviginti apprehenſa manu ſalutaverunt*: Jarchas *autem nominatim ſalutavit, qui in excelſo ſedebat throno, quem ex ære fabrefactum aureæ ſtatuæ compluſculæ exornabant: infra Jarcham ſedebant omnes in ſellis humilioribus, mox poſt philoſophicam ſermocinationem oſtendit Jarchas Apollonio ſtatuam Tantali ſubſcriptione notatam, quatuor cubitorum longitudinis, quæ ſimilis propinanti phialam porrigebat, in quam humor diſtillat incorruptibilis potionis, phialam menſura nunquam excedentis. Ex hoc Tantali pocula bibere ſolebant Indici philoſophi, antequam ſomno indulgerent, & ita Jarchas potandi principium fecit ex phiala bibens, quæ largiter cunctos ſatiavit jugem humorem fundens, non ſecus ac ſi ex fonte ſcaturiret: bibit una cum philoſophis Apollonius. Eſt autem amicitiæ firmandæ cauſſa hujuſcemodi compotatio apud Indos inventa, qui miniſtrum ejus faciunt pocillatoremque Tantalum, propterea quod hic amiciſſimus manſuetiſſimuſque erga homines habitus eſt, poſt hanc ex phiala potionem, humi ſternunt corpora in lectis herbaceis; hæc copioſe refert Philoſtratus libro tertio de vita Apollonii Thyanei, qui etiam ſcribit in ſeptimo, quicumque bibunt ex Tantali Phiola, participes periculorum cum amicis eſſe oportere*. Ex hac enarratione jam perſpicuum fit cur dixerit Hieronymus, *Apollonium* perveniſſe ad *Brachmanes*, ut audiret Jarcham illum principem philoſophorum in throno ſedentem æreo quidem, ſed qui aureis ſtatuis exornaretur, potantemque de *Tantali fonte*, hoc eſt de *Phiola*, quam propinabat Tantali ſimulacrum, ex quo mihi videtur doctius & hiſtoriæ accommodatius legi poſſe de *Tantali Phiala, quam fonte*, cum inter *phialam & fontem* ſit quædam litterarum proximitas, & ob hoc lubricus error. Quod ſi nihil placet immutare, expones *fontem* pro *Phiala*, ex qua liquor veluti ex fonte ſcaturiens continenter fundebatur. Quæ a commentatoribus Eccleſiaſticis traduntur, protrita ſunt, & a fide hiſtorica deerrantia, ſed ego malo hæc & id genus alia haurire ex liquido fonte, quam ex rivo turbolento.

CA-

---

mus, ad mores Avari fabulam referentis, quod videlicet in maxima divitiarum copia nulla illi ſatietas, deſiderio cum copia creſcente: En Horatii verba Serm. 1.

Tantalus a labris ſitiens fugientia captat
Flumina, quid rides? mutato nomine, de te
Fabula narratur.

His adnotatis: *De Tantali fonte potantem*, aliquis interpretari queat opulentum hominem divitiis affluentem, curiſq; quamplurimis earum ſtudio laborantem, perinde ac ſi nullas haberet; quemadmodum *Tantalus* in undis perpetuo verſatur, quas illi numquam guſtare licet. Jure, an injuria id dicatur, viderit eruditus Lector; haud enim nobis in animo eſt clariſſ. Beroald. contradicere, verum ingenue tantum, quod ſentimus, exponere.

CAPUT II.

Quid ſit vetus proverbium, *Mutuum muli ſcabunt*, quod in codicibus Auſonii & Nonii perperam ſcriptum legitur.

APud Auſonium in epiſtolio proverbium uſurpatur litteris inverſis dictionibuſq; confuſis, quod eſt, *Mutuum muli ſcabant*, tu vero ita diſtincte legas & emendate, *Mutuum muli ſcabunt* cujus proverbii ſenſus ſignificabat, tradere ſibi operas mutuas, & par pari rependere. Namque mulorum mos eſt ut ſe mutuo ſcabant & viciſſim defricent. Marcus Varro librum compoſuit hoc titulo: *Mutuum muli ſcabunt*, cujus teſtimonium citat Nonius, quamuis Noniani codices mendo indelebili ſint maculoſi, in quibus hoc proverbium corruptius legitur, quam in Auſonii voluminibus, ita enim ſcriptum habent: *Multum muli ſcabunt*, pro *Mutuum muli ſcabunt*. (x) Proverbii hujuſce meminit ſcienter & enodate Symmachus, quum in epiſtolis ſic inquit: *Mutuum ſcabere mulos, cui proverbio ne videar eſſe confinis, præconium virtutum tuarum preſſa dente reſtringo*. Itaque quum *muli* ſoleant ſeſe viciſſim defricare & ſcabere, merito hoc proverbium uſurpatur in conſimili remuneratione, & talionis æquilibrio, quamvis a Scipione Æmiliano dictum ſit jumenta quoniam manibus carerent, alterius frictione indigere. Hadriani, qui non longe ab re eſt, jocus balnearis innotuit, qui plures olim ſenes evocari juſſit, & alium ab alio invicem defricari, quum illi ſe marmoribus attererent ad liberalitatem principis provocandam qui ſervis donaverat & ſumtibus veteranum quendam, qui ſe in balneis marmoribus deſtringebat, propterea quod ſervum non haberet.

CAPUT III.

Quid intelligi voluerit Heſiodus, quum ſcripſit: *Dimidium eſſe plus toto*.

HEſiodus in libro cui titulus eſt ἔργα καὶ ἡμέραι, id eſt, *opera & dies* verſum hunc poſuit.

Νήπιοι οὐδ' ἴσασιν ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντός.

Ideſt, *Ignorant ſtolidi quam toto ſit dimidium plus*.

Diſſolvenda quæſtio eſt, cujus mentionem fecit Gellius libro decimoſeptimo noctium Atticarum, nec tamen reliquit explanatum quid Heſiodus ſe dicere ſentiat, quum *dimidium plus toto* eſſe dicit, quod communi plane ſenſui videtur reluctari. Plato libro tertio de legibus planiſſime explicat hoc ambagioſum, ſcribens rectiſſime dictum eſſe ab Heſiodo *dimidium plus eſſe quam totum*, quando videlicet *totum* comprehendere noxium eſt, *dimidium* vero tem-

(x) Saniori profecto judicio *Mutuum*, non vero *Multum* hic appoſitum, ut *mutuæ operæ* intelligantur defricatione mulorum; *Mutuum* enim, ad invicem quidpiam actum ſignificat, ſeu vocabulum interpretari lubeat Juriſconſult. more, *Mutuum* idem, ac *Meum* & *Tuum*, vel ut Turneb. *Mutuum* a *mutatione* rerum malis dicere, nam quocumque ſenſu uſurpetur, ex *Mutuo* de *meo*, *tuum* erit intelligendum. *Mutuum Mutuitare* exprimere ait Gell. lib. II. cap. XXIV. *Qui Ludis Megalenſibus mutuitarent, id eſt mutua inter ſe convivia agitarent*, quam conſuetudinem Virgil. quoq; recenſet Georg. I.

Mutuaque inter ſe læti convivia curant.

ac ipſi, quum de *Magna Matre* ſermonem haberemus, uberius enarravimus.

Huic

temperate ſe habet. Hinc intelligi voluit *moderatum*, *immoderato* plus eſſe, utpote *melius deteriore*, docetque principatum moderate conſtituendum eſſe & ad medioeritatem redigendum. Idem libro quarto de Republica laudans vitam *moderatum* tanquam *optimam*, Heſiodum illud ſapienter dixiſſe commemorat, *dimidium eſſe pluſquam totum*. (y) Conſimiliter Ariſtoteles in quarto Politicorum *dimidium eſſe plus toto* docet, ex eo, quod gubernatio *temperata* durabilior eſt & *melior*, quam *impotens* & *immodica*, ideoq; Phocylides bene optavit *multa mediocribus optima*, & ipſe *mediocris* eſſe voluit in civitate. Idem Ariſtoteles profitetur *mediocritatem* & *medium* eſſe optimum *mediocriſq; fortunæ bonorum poſſeſſionem*, ait *optimam omnium eſſe exiſtimandam*. Idem in Ethicis *virtutes mediocritates* eſſe tradit. Hinc illa apud Græcos catholica ſententia, μεσότητας ἀρετὰς εἶναι. Ex [illegible]o colligitur, *medium & moderatum optimum eſſe in vita degenda & pluſquam totum appetendum*. Non me præterit aliter ab aliis Heſiodi verſum exponi ſolere, ſed hæc platonica nobis & Ariſtotelica interpretamenta, magis probantur quum eruditiora ſint & veriora.

CAPUT IV.

Enodatus nodus ex epiſtola M. Ciceronis, ductus ex proverbio: *Sero ſapiunt Phryges*.

MAr. Cicero quadam ad Trebatium epiſtola ſic cœpit: *In equo Trojano ſcis eſſe in extremo, ſero ſapiunt*. Neotericoteri, hoc eſt recentiores interpretes magis implicant, quam explicent ſenſum epiſtolicum. Scire autem debes vetus hoc fuiſſe proverbium, *ſero ſapiunt Phryges*, quod a Trojanis natum eſt, qui decimo denique anno velle cœperant Helenam, quæq; cum ea erant rapta, reddere Græcis, a quibus decennali bello preſſi vaſtati & vexati fuerant, ſed hæc ſapientia Trojanorum ſerotina, erat & nimis tarda, qui tunc demum reſipiſcere cœperant, quum res, eorum forent deploratæ, & ægritudo irremediabilis, hoc autem proverbium continebatur in extrema tragœdiæ parte, cui titulus erat, *Equus Trojanus*, quam Livius Poeta apud Latinos vetuſtiſſimus, cum primis condidit, unde a Grammaticis citantur teſtimonia Livii *ex equo Trojano*. Hujuſce proverbii mentio fit in codice Feſti Pompeij integriori, ex quo excerpta exſcriptaque ſunt illa, quæ vulgi manib. jugiter conteruntur. Jam ſatis liquet opinor, cur Cicero dixerit eſſe in Equo Trojano *ſero ſapiunt*, (z) videlicet alludens ad proverbium illud, *ſero ſapiunt phryges?* quod in extrema fabulæ clauſula legebatur.

CA-

(y) Huic proverbio, quod a Græcis ducitur: *Plus dimidium eſſe toto*, ac mediocritas commendatur, Latinum videtur cohærere, quo dicitur: *Virtutem quadam eſſe mediocritate contentam, ac mediam inter vitiorum extrema conſiſtere*: hoc Flaccus videtur commendaſſe, quum Serm. II. ait:

Dum vitant ſtulti vitia in contraria currunt;

Virtus enim incedit media ex pervulgata, communiq; ſententia:

Virtus eſt medium vitiorum, & utrinq; reductum.

(z) Præter *Phryges*, quos ex Cicer. memorat hoc in loco Beroald., *Phryges* alios ipſe Tullius recenſet, ex quibus deſumptum vetus adagium: *Phryx plagis fieri melior ſolet*, quod videlicet *Phrygiæ* populi barbari, ac ſervili ingenio eſſe, ſoliſq; verberibus in officio contineri crediti, illos denotent, qui non monitis, nec pudore, ſed verberibus tantum emendantur: en Cicer. verba pro Flacc. *Utrum igitur noſtrum eſt, an veſtrum hoc proverbium, Phrygem* pla-

CAPUT V.

Emaculatum verbum ex verſu Luciliano, inibiq; quædam ſuper *Acipenſere Decumano*.

IDem Marcus Tullius libro de finibus bonorum ſecundo uſurpat verſus Lucilianos, in quibus ad Gallonium ſic loquitur Lælius:

Cœnaſti in vita nunquam bene? quum omnia in iſta
Conſumis ſquilla atque accubas ære cum decumano.

Si Lucilius reviviſceret, carmen hoc in poemate ſuo ſatyrico plane non agnoſceret, ſummovaretque non ſolum ut ſubdititium, ſed ut inverſum adulteratumq; repelleret. Quid enim ſignificat, obſecro te, *accubas ære cum decumano?* quis lepor? qui ſales? quæ ſatyrica mordacitas. Ego etiam atq; etiam & ſenſu introſpecto, & verbis ſyllabatim penſitatis, ſic cenſeo corrigendum, ut pro

Accubas ære cum decumano

meo periculo legas,

Acipenſere cum decumano.

Lælius enim eſt, qui apud Lucilium carpit gulam Gallonii ganeonis & gurgitis, qui patrimonium helluebatur in una ſquilla, quod genus piſcis eſt & in *acipenſere* prægrandi, qui piſcis eſt imprimis nobilis, quem prodigis & gulonibus nutriunt maria, de quo Plinius noſter libro nono naturalis hiſtoriæ hæc refert: *Apud antiquos piſcium, nobiliſſimus habitus acipenſer, unus omnium ſquamis ad os verſis, contra aquam nando meat*: Fuiſſe autem *acipenſerem* in honore menſarum præcipue temporibus Lælii & Africani teſtis eſt Marcobius in Saturnalibus, & Marcus Tullius memorat, qui ait oblatum eſſe Africano Scipioni *acipenſerem*, qui admodum raro capiebatur, ad quem epulandum quum plures convictores invitaturus videretur, Pontius in aurem, *O Scipio*, inquit, *vide quid agas, acipenſer iſte paucorum hominum eſt*. Samonicus quoq; Serenus tradit hunc piſcem a coronatis miniſtris cum tibicine introferri ſolitum in ſacrum convivium. Quinetiam Martialis ſignare volens in magno pretio fuiſſe *acipenſerem* atque inventu rarum, ſic ſcripſit in Xeniis.

Ad Pallatinos acipenſera mittite menſas.
Ambroſias ornent munera rara dapes.

Decumanus autem *acipenſer* a Lucilio dictus eſt, quem intelligi volebat prægrandem & enormem. Antiqui enim *decumana* (a) omnia dici voluerunt ma-

---

plagis fieri ſolere meliorem? Ut autem clarius id explicemus, ſciendum duplices *Phryges* eſſe duplicemque inde Phrygiam; Majorem videlicet, quæ ampla eſt regio in Mediterraneis, Galatiæ, Pamphyliæ, Lydiæ, Cariæq; confinis; Minoremq; Helleſpontum verſus, & oram Maris Ægæi ad Occas; ante *Troas*, ac poſtquam eam *Phryges* occuparunt, *Phrygia*, ex Plin. Strab., aliiſque quampluririmis; de utraque Phrygia loquutus Cicer. perhibetur; de *Majori* quidem, quum *plagis fieri meliorem Phrygem*, de *Minori* vero, quum *ſero Phryges ſapere* affirmavit.

(a) *Decimus, Decimanus*, idem ac *Decumanus*, numerus ad immania quæque ſignificanda a priſcis aſſumptus, magna fuit in exiſtimatione, quod *Decima* quæq; maxima eſſe conſueverint: Ovid. 15. Metam. Fab. 1x.

Vaſtior inſurgens decimæ ruit impetus undæ.

Ac Triſt. 1. Eleg. 11.

Qui venit hinc fluctus, fluctus ſupereminet omnes:

Pe-

magna, apud quos *ſcuta* quoque *decumana* vocabantur, quod eſſent ampliſſima, *& decumani* fluctus, quia eſſent magni, ex quo apud Poetas decimus fluctus pro maximo & undabundo celebratiſſimus eſt. Hinc *decumana* quoque *porta* in caſtris dici videtur, quod eſſet *ampla & patens*, ſicut & *decumanus limes* in limitatione agrorum à magnitudine dictus putatur, cujus Plinius & Columella meminerunt. Candidus quæſo lector diligenter penſitet verbum Lucilianum, ſyllabas trutinetur, litteras elementarias conſerat, ſenſum introſpiciat, profecto correctionem hanc noſtram non improbabit, quam ſi dicere fas eſt, nec Lucilius ipſe ſit improbaturus. Ut autem in hanc ſententiam non pedibus ſed calamo proclivius irem, impulit Horatianus Offellius, qui *Gallonium* hunc, cujus ingluviem diximus à *Lælio Luciliano* taxari, morſu ſatyrico lancinavit & ſale perſricuit ob hunc ipſum *acipenſerem* decumanum. Sic enim ſcribitur in ſermonibus,

Gallani præconis erat acipenſere menſa
Infamis.

C A P U T VI.

Perpenſa diligenter emendataque dictio apud Marcum Tullium, in cujus libris legitur de *Nartheo* pro *Narthecio*.

IDem Marcus Tullius in eodem de finibus bonorum & malorum volumine ſic ſcribit: *Jam doloris medicamenta illo Epicurea tamquam de Narthea proment*. Tu emendatius leges & verius de *Narthecio* Græci enim *narthecium* vocant ferulam aſſurgentem in altitudine, humilem vero & depreſſam, [illegible] *narthecion* dicunt, cujus rei mentio fit a Plinio. Quum autem ſemen ferulæ morbis quibuſdam auxiliari dicant medici, hinc *narthecium* pro repoſitorio medicamentorum uſurpatur, etiam ſi fuerit ex alia materia ſabrefactum, vel quia id ligni genus accommodatum eſt ad ſervanda medicamenta. Apud Martialem in Apophoretis lemma eſt *narthecium*, cui ſcribitur hoc diſtichon:

Artis ebur medicæ narthecia (b) cernis, habebis,
Munera quæ cuperet Paccius eſſe ſua.

Commentatores Epigrammatarii Poetæ, exponunt *narthecium* pro *ferula*, de qua dictum eſt, ajuntque *ebur* dici a Poeta vel a candore *eburneo* vel quoniam in locum *ſcipionis eburnei* ſucceſſit *narthecium*. Non inficior *ferulam* ſive *narthecion* baculorum uſum ſenectuti potiſſimum præbere, quod & Plinius docet, ſed hoc totum nihil prorſus ad Poetæ ſenſum enucleandum, qui (ut dicam quod ſentio) omiſſa inſectatione aliorum, quod a me vitium longiſſi-

---

Poſterior nono eſt, undecimoque prior.
Lucret. lib. v.
Hæc ſutum decimus, dictu mirabile fluctus
Invalida cum puppe levat.
Sil. Italic. lib.
Non aliter Rhodopes Boreas a vertice præceps
Quum ſe ſe immiſit, decimoq; volumine pontum
Expulit in terras.
De ejuſmodi numero magnifice admodum ſenſerunt Epicurei, quorum ſuperſtitione ejus ſortaſſe honor evulgatus; nonnunquam tamen *vilis notæ rem decumanus* ſignificat; *decumanum* proinde *frumentum* eſt aceroſum, *oleum decumanum* minus purum, quippe decimando collectum, vilius cæteris eſſe judicatur.

(b) *Narthecia* per diminutionem a fruticis humilitate vocata cenſetur eodem Plin. Auct., quare a nonnullis *ferula minor*, ab aliis vero *fe-ra-*

giſſime abeſt, nil aliud ſignificare voluit epigrammatiſta nomine *nar:becii*, quam repoſitorium ſive loculamentum medicamentorum, ut exponas *ebur* pro pyxide eburnea, quod & *narthecium* dicitur, in quo medicamenta ſervantur. Ex quo ſignificatu explicatior fit & lucidior ſenſus tam Ciceronis quam Martialis, qui *narthecium* plane accipiunt pro arcula medicamentarie, ſicut *myrothecium* ſignificatur *theca atque repoſitorium unguentorum delicatiorum*, Græci enim μύρον vocant unguentum & θήκην thecam & loculum ac repoſitorium. Hinc dictum eſt illud a Marco Tullio quadam ad Atticum epiſtola, per translationem decentiſſimam: *Meus autem liber totum Iſocratis myrothecium atque omnis ejus diſcipulorum arculas ac nonnihil etiam Ariſtotelica pigmenta conſumſit*. Sed ut ad nartheciam id eſt ferulam revertemur, quum ſit Baccho dicata, miniſtri Dionyſiaci in myſteriis Bacchicis ferulas geſtabant, dicebanturq; græco vocabulo *Nartecophori*, quaſi *feruligeri*: Hinc illud apud Platonem in Phædone: *Narthecophori multi ſunt, Bacchi vero pauci*.

CAPUT VII.

Correctus Senecæ locus enerretuſque de *Pſychrolutre*.

QUum mihi decretum ſit, non minus publicæ utilitati ſtudioſorum conſulere velle, quam gloriæ privatæ reſpectum habere, non me a propoſito deterrebit humilitas rerum, imo tanto magis minuta quæq; ſcrutabimur, quanto talia incurioſius tranſmitti ſolent. Legimus apud Senecam uſurpari vocabulum græcum quod ſi recte legatur elegantiſſimum eſt, ſed bis apud eundem perperam legitur, ſic enim in ſeptimo epiſtolarum ſcriptum eſt: *Frigidæ cultor mitto me in mare, quomodo per ſicbolutam decet gauſopatus*. Idem in XII. *Ille tantus pſicolutes, qui Calend. Januariis Euripum ſalutabam*: Mendum eſt hic & illic, ſed in primo loco inſignitum magis, nos utrobique ſic emaculavimus, ut illic *pſychrolutram*, hic *pſychrolutres* legas, Græco enim vocabulo *pſychrolutres* dicitur is qui frigida aqua corpus lavat, & balneo frigido lætatur. Charmis Maſſilenſis frigida etiam hybernis algoribus lavari perſuaſit, merſitq; ægros in lacus. Hinc illud Plinianum ex libro undetrigeſimo: *Videamus ſenes conſulares uſque in oſtentatione rigentes*: Que de re exſtat etiam Annæi Senecæ edſtipulatio. Afferit his verbis Plinius, Senecam probare frigida lavacra, quæ haud dubie non ſolum doctrine probat, ſed etiam exemplo, quum ait ſe fuiſſe *pſychrolutrem*, hoc eſt, *lavacri frigidi cultorem*, qui Calen. Januariis quemadmodum legere, dicere, ſcribere aliquid, ſic auſpicabatur in *Virginem* deſilire. Eſt autem *Virgo* fons Romæ clariſſimus aquæ frigentis quam Mart. Agrippa Romam perduxit, quæ *Virgo* appellata eſt ex eo, quod quærentib. aquam militib. puella virguncula quaſdam venas monſtravit, ut docet Frontinus lib. I. de aquæ ductib. Plinius li. vero lib. 31. nomen *virgini* inditum eſſe ex eo aurumat, quod rivum *Herculaneum*, qui juxta eſt, refrigere videtur. Quantum autem Martia hauſtu præſtat, tantum *Virgo* tactu præcallebat, ψῦχος græce dicitur *frigus*, ψυχρὸς *frigidus*, λουτρὸν vero *balneum & lavacrum* ut compoſite ex utraque dictione ſit *pſychrolutres* ſignificeturq, lavacri frigidi cultor & amator, qualem ſe fuiſſe intelligi voluit Seneca, ſi ſinceriter & legatur & probe intelligatur.

CA-

rulago appellatur; *Narthecia* affines eſt *Narthex*, arbuſcula, fortaſſe pluribus *ferula*, lignum foris corticis loco habens, ligni autem loco intus fungoſam medullam continens ait Plin. lib. 13. cap. 22.

Sphæ-

CAPUT VIII.

Mendum oecnpaſſe eodlees Senecæ, in quibus pro *parænetica* philoſophia eorrupte ſeribitur *parentia*, pro *euthymia*, *eclimia*.

APud eundem pars philoſophiæ, quam nos præceptivam dicimus eorrupto vocabulo Græco *parentia* nominatur, cum *parænetica* dicenda ſit a Græeo verbo παραινῶ, quod ſignifieat *præcipio*, *&* *admoneo*, inde παραινετικὸς *præceptivus & admonitorius &* παραίνεσις, *præcepsio ſive admonitio*. Hine Acron Horatianus interpres etſi non elaſſieus non tamen proletarius idenridem ait: *Hæc Ode parænetica ſcripta eſt*, pro eo quod eſt *præceptive ſive monitorie*, ſieut ab eodem dieitur, hæc *Erotica dicta aſt* pro *amatorie*. Non minus illud apud eundem emaculandum eſt ex libro epiſtolarum 11. *Aſpæromacheiam* avocavir pro ad *ſpæromachiam*, (*c*) quæ dictio ſignificat *pilarem luſionem* ſive *ludicram pugnam ſphæriſtarum*, qua dictione Papinius quoque uſus eſt in epiſtola ad Marcellum ſio ſeribens, *Sad & ſpæramachias ſpectamut & pilarit luſio admittitur*. Sidonius air in eertamine *ſphæræ* ſe primum fuiſſe ſigniferum, & quoniam Senecæ adhue res agitur reſtituenda forma eſt deformatæ dictioni, quæ nune nuper in mentem venit, namque Damocriti *eclimia* legitur pro *euthymia*, Democritus enim *euthymiam* probavir tanquam beatæ vitæ effectrieem, quæ interpretatur animi rranquillitas, cujus & Cicero meminit libro quinto de finibus bonorum & malorum, de qua Diogenes Laertius tradidit in vita Democriti, finem eſſe rectum quietumq; animi ſtatum quem *euthymiam* dicit, quæ non ur quidam male intelligentes, idem ſit quod voluptas, verum ſecundum quem, animus magna tranquillitate conſtantiaque beatus eſt, dum nullo metu, nulla ſuperſtitione, aut alia quavis perturbatione, angitur.

CAPUT IX.

Explieatum earmen Perſianum de *acerva Chryſippi*, longe ſecus, quam a eommentatoribus & Grammatieis explicari ſolitum ſit.

PErſius ſatyrographus poema ſuum hoe verſu claudit.

Depinga ubi ſiſtam.
Invantus Chryſippe tui finitar acervi.

Quo plane aliud ſignificari videtur, quam aut commentarores noverint, aut in ſcholis vulgo prodatur, non. n. ad acervum voluminum, quæ innumera condidit Chryſippus id referendum eſſe autumo, ſed ad argumentationes, quas Græeo vocabulo *ſoritas* vocant: Cicero *acervales* interpretatur, ſed ur ipſe air in ſecundo de divinatione. *Sicut multa verba Græcorum, ſic ſorites ſatis Latino ſermone tritus eſt*. Igitur *Chryſippus* ſolitus erar per *ſoriten* argumentari & gradarim interrogare, ex quo argumentatio fiebat numeroſior, & acervus quaſi quidam gradatim cumulabatur præpoſitionum & probationum, ut ita concluſio efficeretur ad probandum quod moliebatur ultra præſcriptum argumentationis. Quæ ex præceptione dialecticorum tripartita eſt, ex inſtitutio-

(c) *Sphæromachia*, quæ inter ludos recenſebatur apud veteres, locus opportunus inventus in balneis, *ſphæriſterium* videlicet, rotundum, ac variis accomodatum exercitationibus: Hoe Plin. memorat Epiſt. V. *Apodiſterio ſuperpoſitum aſt ſphæriſterium, quod plura genara exercitationis pluresqua circulas capit*: De *ſphæriſteria* loquuri quoq; Tranquill. in Veſpaſ. & Lamprid. in Alex. Sever. *Poſt lectionem aperam paleſtræ, aut ſphæriſteria, aut curſui, aut luctaminibus mollioribus dabat*.

tione oratorum, quinquepartita fieri poteſt, ultra quem numerum progredi non licet, ſed *ſorites*, ideſt, *acervus* ſive *acervalis Chryſippus* in infinitum pene progrediebatur, diffuſus per multiplicationem numerorum innumerabilem, cujus exemplum exſtat apud eundem Ciceronem, qui in Hortenſio quoque *ſoritas* lubricos eſſe & periculoſos tradit. Et poſt paullum: *Placet* inquit *Chryſippo quum gradatim interrogetur verbi cauſſa, tria pauca ſint an multa, aliquando priuſquam ad multa perveniat.* Mox poſt multa per ſoritas progrediendo tractata ſubjungit: *Hæc Chryſippea ſunt nec ab eo quidem diſſoluta.* Refert Laertius Chryſippum libros quatuor condidiſſe de *ſoritis*. Nimirum ob hunc *acervum Chryſippeum*, qui longius progrediebatur, ita ut vix concludendi modum inveniret. Dixit ſcite & eleganter Perſius ex perſona avari, cujus cupiditates immodicæ, nullo modo finiuntur per apoſtropham ad Chryſippum: O Chryſippe ſaltem tu depinge modum, ultra quem non progrediatur acervus divitiarum interminabilis, qui inventus es finitor terminatorque tui acervi, hoc eſt, illius argumenti *ſoritæ*, qui quamvis longo ordine produceretur, tamen aliquando concluſionis modo claudebatur terminabaturque. Et hic eſt verus Poetæ ſatyrici ſenſus, hoc verum interpretamentum, hic eſt ille *acervus Chryſippeus*, in quo cæcutientes commentatores hallucinantur, de quo eſt adſtipulatio illa Sidonii ex hendecaſyllabo:

Chryſippi potuiſſet ex acervo.

Et Martiani. *Chryſippus cumulet proprium conſumat acervum,*

qui alibi dixit ſoritas cumuli acceſſibus aggregans. Poteſt videri Horatius in hanc quoq; *acervi Chryſippei* ſuſpicionem lapſus eſſe, quum dixit:

Mille talentorum dentur, totidem altera porro,
Tertia ſuccedant, & quæ pars quadrat acervum.

Illud quoque ex ſecundo epiſtolarum hinc opinor fluxit:

Dum cadat eluſus ratione ruentis acervi.

C A P U T X.

Quid ſit *roboris ſupplicium* in lectionibus veterum ſcriptorum.

APulejus Platonicus philoſophus in copioſiſſima illa & diſertiſſima oratione, qua crimen magis a ſe alienum eſſe defendit, ſic indignabundus exclamat: *O mirum commentum, O ſubtilitas digna carcere & robore.* Merito videri poteſt non ignorabile, nec indignum explicatu illud *roboris ſupplicium.* Scito igitur *robur* in carcere dici locum, quo præcipitabantur malefici & ſontes, & ex eo dictum, quod *robuſtis lignis* ſepiebatur. De hoc *robore* in hoc ſignificatu accipitur locus hic Apuleianus ſicut & illa apud Valerium ex libro ſexto dictorum factorumq; memorabilium: *Quia etiam familiares eorum, nequis Romani populi inimicis amicus eſſe vellet, de robore præcipitati ſunt.* Plautus quoq; ad hoc *robur* alluſiſſe videri poteſt, quum ait in Curculione:

. . . . *Ego vos ambo in robuſto carcere*
Ut pereatis. (d) . . . .

CA-

(d) Præter *Roboris* pœnam, quam Plautus memorat in Curculione, in Pœnul. Act. v. Scen. 3. aliud ſupplicium exponit his verſibus:

. . . . . . *Quos ego jam detrudam ad molas,*
Inde porro ad puteum, atq; robuſtum Codicem.

Codicem Roberi eſſe conterminum dixere, qui hujuſmodi Poetæ ſententiam expoſuerunt, Auctores quamplurimi; *Robore* profecto, ac *Codi-*

C A P U T XI.

Quam ob cauſſam *Herculanea pars* a Plauto dicta ſit pro *Decuma*, inibique quid ſit *Pollucere* & *Polluctum*.

Plautus Latinæ linguæ delicium in Comœdia, cui titulus eſt, *Truculentus*, ex perſona Getæ ſervi ſic inquit:

Detraxi partem Herculaneam,

quo dicto ſignificat *Decumam* ſe detraxiſſe, namq; veteres Herculi decimas dicaverunt. Quærit Plutarch. in quæſtionibus, cur pleriq; copioſi & locupletes patrimonii ſui *decimam Herculi* offerebant; Inquit quod *Hercules in monte Palatino boum quas Geriani abſtulit decimam immolavit, an quod Romanos ab Ethruſcis decimari ſolitos liberavit, an illud potius quaſi odioſas civibus & moleſtas nimias divitias comminuentes eo pacto maxime coli Herculem exiſtimabant? quem iccirco luxuriam coercere & camprimera delectaret, quod ipſe paucis contentus frugaliter continenterque vixiſſet?* Refert Diodorus in 5. Bibliothecæ, Herculem dictitaſſe eos, qui ſibi jam Divo facto decimam bonorum dicarent beate feliciterq; victuros, ex quo multi *decimas Herculi* voverunt, poſteaq; fortunetiores facti bona ſua ad quatuor talentorum millia Herculi ſacrarunt. Tradunt hiſtorici Syllam ex univerſis fortunis *Herculi decimam* ſacrificantem laute pop. Rom. feciſſe convivia. Conſimiliter Craſſus ille Romanorum ditiſſimus *decimam facultatum ſuarum partem*, *Herculi* conſecravit, epulumq; populo dedit, viritimq; Mnas tres diviſit. Hoc idem a Lucio Lucullo factitatum eſt. De hac *Decuma Herculi* dicata ſenſiſſe videtur Marcus Tullius, quum ait in ſecundo de Officiis: *Ut Oreſti nuper prandia in ſemitis Decumæ nomine magno honori fuerunt*. Quin etiam Terentius Varro in ea Satyra, quæ inſcribitur κεραυνὸν, teſtatur, majores ſolitos *decimam Herculi* vovere, nec decem dies intermittere, quin pollucerent. *Pollucere* autem eſt libamenta Herculi in aram porrigere, idque ſacrificium, quod Herculi *Decuma data ſit Polluctum* (e) *dictum*. Igitur quum *Decuma fortunorum Herculi* peculiariter

---

dice mulctabantur Servi, diverſique ex Turneb. eſſe cenſebantur cruciatus, quod *Codex* ligneus eſſet ſtipes, quem alligati ſervi, qui deliquerant, trahebant, cuique inſidebant vincti, qui hodie apud nos ſimiis appendi conſuevit; *Robur* vero locus diceretur ex Feſt., in carcere poſitus, quo præceps agebatur Maleficorum genus; diſtinxere etiam brevius nonnulli, ac *Robur* carceri, privatis ædibus *Codicem* tribui exiſtimarunt: de *Robore* Liv. Dec. 4. lib. 8. *Ut in carcere inter fures nocturnos vir clariſſimus Scipio includatur, & in Robore, ac in tenebris expiret*: de *Codice* autem Propert. loquutus eſt lib. 4. Eleg. 7.

Noſtraque quod Petale tulit ad monumenta corallas,
Codicis immundi vincula ſentit anus.

Codice torqueri, ait Juven. Satir. 2. etiam Pellices;

Horrida quale facit reſidens in codice Pellex:

ſubdit enim Interpres: *Magno odio habitas apud uxores eas, quæ Dominis miſcerentur, quas inſequente gravioribus pœnis Domina, catena vinctas infigebat codici, atq; ita jubebat facere penſa*.

(e) *Polluctum a pollucendo* vocatum pro *ſacrificii* genere uſurparunt veteres, quo non Hercules tantum, verum cœtera quoque Numina colerentur: Hoc ſenſu ait Cato: *Jovi Dapali culignam vini quantumvis polluceto*, alioq; in loco: *Quum pollucere oportebit ſic facito*; Pollucendi uſum Numa quoq; Romanorum Princeps accurare perpendit, ejuſq; lege cautum eſt, *ne pollucerent*

riter dicatæ ſint, eleganter & ſeite dixit Plautinus ſervus ſe detraxiſſe *partem Herculaneam* ex bonis domini emetoris, intelligi volens ſe *Decumam* ſibi ſubduxiſſe. In hanc ſententiem non minus ſcienter quem ſeſtiviter dixit columen Plautinæ ſemiliæ Chryſalus in Bacchidibus:

Si frugi eſt, Herculem fecit ex patre: Decumam partem ei Dedit.

C A P U T XII.

Correctus Ovidii verſus, inibiq; nonnulla ſuper *Sminthea* Apollinis cognomento digna memoretu.

IN codicibus Ovidii volumine metamorphoſeon. 12. verſus hic perperem legi & perperam anarrari ſolet,

Talibus intonſum compellas Cynthia dictis.

Tu vero dictionem illam *Cynthia* veluti edulterinam ſubditiiiamq; obeliſco confodito, & in ejus locum *Sminthea* cum aſteriſco ſubſtitue, accipeq; pro Apolline. Inter cetera enim Apollinis cognomente quæ multiiuge ſunt, hoc quoque celebre eſt, quo *Sminthens* cognominatur. Autumat Macrobius in primo Saturnalium Apollinem *Sminthea* dici ὅτι ζέων θεῖ quia *fervens* currit, ſed Homeri interpretes & Strabo Homericæ majeſtaris illuſtrator prodiderunt Apollinem *Sminthcum* a muribus tanquam Apollini ſacris cognominari, qui lingua Cretenſium σμίνθοι appellantur, mythiel. Referunt Teucris e Troja profectis deium eſſe oraculum, ibi eos ſedem poſituros, ubi terrigenæ eos adorirentur, id circa Maxicum dicunt contigiſſe, maximamq; egreſtium murium multitudinem noctu exortam quicquid armorum & utenſilium ex corio inveniſſent corroſiſſe, Teucroſq; ibi manſiſſe. Heraclides Ponticus euctor eſt mures ibi circa templum Apollinis abundare & ſacros axiſtimari, ſimulacrumq; Apollinis ita inſtructum eſſe, ut murem pedibus premet. Multis in locis fuit antiquitus celebratum *Sminthei* nomen. Nam juxta *Maxicum* duo loce ſunt, quæ *Sminthia* vocantur. Item in Lariſſeo agro & in Periano locus eret *Sminthius* appellatus. Item epud Rhodium & Lydum, nunc (ut inquit Strebo in 13.) Templum *Sminthium* vocaet. Apud Plinium dictio mendoſe eſt in quinto natu. hiſto. Namq; pro *Sminthium* Templum, legitur *Zinitium* Templum durat. In urbe Chriſa fuit Apollinis *Sminthei* Templum cum ſtatue, cujus pedi mus ſubjacebar, quam Scopas Parius fecit. Homerus in prime Iliados Rhapſodia mentionem facit *Sminthei* Apollinis in oretione Chryſæ ſacerdotis.

CA-

---

rens piſces, qui ſquamoſi non eſſent, parſimoniæ contentus, ut convivia publica, & privata, cænaq; ad pulvinaria facilius compararentur: ni qui ad pollučtum emerent, pretio minus parcerent, euq; promercarentur; Legem habes in jere Papiniano a Scaligero reſtitutam, & hiſce verbis exponitur:

Piſceis quei ſquamoſei non ſunt, nei polluceto; ſquamoſos omneis præter ſcarum polluceto.

Quod tamen ejuſmodi *Pollučtum* opiparum plene ſoret, ec ſumptuoſum, inde e *ſacrificio* ed lautam cœnem translatum eſt vocebulum: Ite Plautus in Rud. Act. v. Sc. ult.

Spectatores vos quoque ad cænam vocem,

Ni daturus nihil ſim, neq; ſit quicquam pollučti domi.

Ac in Moſtel. Act. 1. Sc. 1.

Dies noctesq; bibite, pergræcamini,

Amicas emite, liberate, paſcite

Paraſitos, obſonate pollucibiliter.

No-

C A P U T XIII.

Conſideratum penſitetumque ſolerter proverbium Græcum, in noctibus Gellianis. ἐπὶ τῇ φακῇ μῦθον.

APud Au. Gellium in noctibus illis lucidiſſimis, proverbium Græcum mendoſe legitur ſic enim libro 14. ſcriptum eſt. *Ne plane fiat Græcum illud de Varronis ſententia proverbium*, ἐπὶ τῇ φακῇ μῦθον id eſt *in lente fabula*. Sed ſiquis curioſius introſpexerit vim ſententiamque proverbii, haud dubie cognoſcet talem ſenſum talemq; lectionem eſſe penitus inſipidam & invenuſtam, quid enim eſt *in lente fabula*? quis ſenſus proverbialis? quis atticus lepor? quid deniq; ad propoſitum Gellianum? ego exiſtimo legendum eſſe, non μῦθον quo plane fabule ſignificatur: ſed μύρον, quod unguentum dicitur & ita elegantia Græci proverbii eluceſcet, ſi legeris ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον, hoc eſt *in lente unguentum* quod plane proverbio ſignificatur, haud quequam unguentum cum *lente* congruere, nec conſocietionem fieri unguenti quod delicatius eſt, *&* *lentis* quod genus eſt vulgatiſſimi leguminis. Hoc proverbium uſurpat Marcus Tullius quadam ed Atticum epiſtola decenter & ſalſe, ſic enim ait: *Legatè ſunt. Quin. Metellus Creticus & L. Flaccus &* τὸ ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον *Lentulus Clodiæ filius*. Voluit enim ſymbolice & ſubobſcure Mar. Tullius taxare Lentulum Clodiæ filium, qui ita male copulandus eſſe videbatur, in obeunda legatione cum Matello Cretico et L. Flacco viris clariſſimis, ſicut lens cum ungnento male conſociatur, quum inter unguenti delicias, et lantis vilitatem, ee ſit diſparilitas ac diſſociatio, quæ inter amarorem dulcedinemq; internoſcitur.

C A P U T XIV.

Quid ſignificet apud eundem Gellium, proverbium alterum Latinum: *Nihil cum fidibus Graculo, nihil cum Amaracino ſui.*

IDem in celce operis meminit veteris proverbii, cujus ſententia haud longe abeſt a ſuperiore. Sic enim ait, vetus adagium eſt: *Nihil cum fidibus graculo, nihil cum amaracino ſui*. Senſus adagii ſive proverbii eſt ſatis aptus & expoſitus, quo ſignificatur neque *muſicam graculis* avibus obſtrepetis & clamoſis, neque *unguenta porcis* immundis & lutoſis convenire, ſed non de nihilo *amaracinum* cum primis dixit timeri a ſue. Obſervamus apud Lucretium, quod ſues odere unguenta & peculiariter fugitent odorem *amaracini*. Verſus Lucretii ex lib. 6. ſubſcripſimus, ut res ſiat manifeſtiot:

Deniq; amaracinum fugitat ſus, et timet omne
Unguentum:

Nam ſetigeris ſuibus acre venenum eſt. In codicibus Lucretii, qui mendis prægnantes circumferuntur, pro *amaracinum* legitur *amaracum*, (*f*) pro *ſus*, *ſur*, ſenſu confuſeneo verbiſq; corruptie. Eſt autem *amaracinum* unguentum ab *amaraco* herba odorata nominatum. Diocles medicus & Sicula gens *amaracum* appella-

(f) Noſtro quidem judicio pro *Amaracino*, *Amaracum* conſcripſere nonnulli, quod *unguentum* ex *Amaraco* prodiens, *Amaracum* ipſum eſſe crediderint; Hujuſmodi flore Cyprum abundare præcipue compertum eſt, ex quo nacte occaſionem fabula, quæ de Puero Cinyræ Regis, cui nomen *Amaracus*, apud Poetas circumfertur; Ajunt enim, dum alabaſtrum unguento fragrantiſſimo refartum ferret, lepſum eſſe, præq; luctu ob fractum alabaſtrum contabuiſſe, ac in florem deinde verſum, qui ab eo *Amaracus* vocaretur; Tangit hanc fabulam Serv. ad illud 1. Æneid.

Ubi

pellavere, quod Ægyptus & Syrie *ſampſucum*, noſtri vernacula lingua *majaranam* vocant; hinc unguentum confectum nuncupamus modo *amaracinum* modo *ſampſucinum*. Plinius in decimotertio ſcribit, *ſampſucinum* optimum in Cypro fuiſſe & Mytilenis, ubi erat plurima *ſampſucus*. Idem ait *amaracinum* fuiſſe in inſula Co laudatiſſimum. Enuntiatur autem *amaracinum* penultima correpta, contra vulgi præpoſteram conſuetudinem producentis.

CAPUT XV.

Qui ſit ſenſus Naſonis in eo verſu:
. . . . . . *Deprenſum Polypus hoſtem*
Continet ex omni dimiſſis parte flagellis.
Ibiq; de ſignificatu *acceptabulorum*.

OVidius in quarto metamorphoſeon ſic ſcribit:
Deprenſum Polypus hoſtem
Continet ex omni demiſſis parte flagellis.

Hoc verſu ſignificatur, conchilia a *Polypo* piſce complexu crinium detineri frangiq; ſolita. (*g*) Eſt enim *Polypus*, quod vel mediocriter eruditis perſpicuum eſt, piſcis ſanguine carens, qui inter mollia numeratur, cui pediculi ſunt octoni, e quorum multitudine nomen invenit, quos Plinius modo *crines*, modo *cirros* appellat, quoniam inſtar ſunt capillamentorum Ovidius *flagella* vocat, quibus complectuntur conchilia, quorum carne veſcuntur, & ita expones *hoſtem* pro *conchiliis conchiſve*, quas peculiariter *Polypi* venentur, & *flagellis*, hoc eſt, *crinibus* ſive *cirris* (ita enim illorum pediculi nominantur) complectuntur, ut avelli non queant, ſunt enim avidiſſimi concharum, quæ ad tactum comprimuntur præcidentes brachia *Polyporum*. Cavent ergo *Polypi* inſidianturq; conchis apertis, impoſitoque lapillo in diſcuneates graſſantur extre-

. . . . . . *Ubi mollis Amaracus illum*
Floribus & dulci adſpirans complectitur
umbra.

(g) Non tantum de *conchiliis*, verum de *congro*, Murena aliiſq; piſcibus intelligendus eſt loqui Ovid., nec deſunt qui pro *τὸ Hoſtem Piſcatorem* nonnunquam acceperint. Pr feɛto ſcitu digna inter *Polypum*, & *Murenam* pugna, quam in verſione Italica Halieut. Oppiani concinne expoſuit vir clariſs. honoris cauſſa nominandus Antonius M. Selvini, Academiæ, quam vulgo appellant *della Cruſca* Socios; Pauca delibabimus.

„ Sommamente han tra loro odio mortale
„ E la Liguſta, e la Murena e i Polpi.
„ Con reciproche al ſi ſtruggon morti.
„ Quella uſcendo di ſotto a ſalſo ſcoglio
„ Vagabonda Murena ne paſſeggia
„ Per li fiotti del mar paſto cercando,
„ Toſto ne ſcorge il Polpo, che ſi ſtriſcia,
„ Delle riviera sù gli eſtremi, e a liete
„ Caccia move con fretta: e non isſugge
„ Preſſo eſſendo, di lui l'accorgimento,
„ Ei prie dolente è da paure ſcoſſo,
„ E meſſo in fuga; ma non ha maniera
„ Di ſchifar la Murene ei che ſi ſtriſcia,
„ Lei che nuota e s'infuria in varia guiſa,
„ Rapidamente lo ghermiſce, e appoggia,
„ La ſanguigne maſcelle, e il Polpo allora
„ Contra cuor per mortal forza combatte,
„ Or uno, or altro vario nodo ad arte
„ Strignendo colle ſue propie ritorte.

Cætera apud illum videat eruditus Lector, notamus tantum a verbo *Polypo*, quod multa crura ſignificat *Polypum ægritudinem* naribus infeſtam dici, quam deſcribit Celſ., quæ & carne *Polypum* piſcem refert, & ſicuti piſcis ille pedes, ita radices illa habet permultas.

rrahuntq; carnes. Idem Plinius auctor eſt, Polypum in aqua luctari complexu ad hominam conficiandum aumq; ſorbera *acceptabulis*, ac numeroſo ſuctu datrahare, ubi *acceptabula* ſignificantur caliculi, quibus peculiaritar prædita ſunt ilia piſcium ganara, quæ mollia nuncupantur. Item Ariſtotales libro quarto de animalibus tradit mollibus omnibus eſſe binos *acceptabulorum* ordines, in Polypo varo, qui & ipſa ex numaro mollium eſt, ſimplicem *acceptabulorum* ordinam carni. Trabius Niger *acceptabula* caliculos interpretari videtur, quum ait: Barbas fuiſſa Polypo clavarum modo toroſas, longas pedum triginta, *acceptabulis* ſive *caliculis* urnalibus pelvium modo; Senaca quoq; *acceptabula* elegantar appallat vaſcula illa & caliculos, quibus repenta planis reponte vacuis præſtigiatores fallare favorabiliter ſolent oculos contamplantium. Verba Senacæ hæc ſunt ex libro ſaxto epiſtolarum: *ſic iſta ſine noxa decipiunt, quomoda præſtigiatorum acceptabula et caliculi, in quibus me fallacia ipſa delectat, in menſuris vero et ponderibus quum acceptabuli menſura dicitur, ſignificat hemina quartam partem id eſt drachmas quindecim*. Plinius volumine duodatrigaſimo tradit oſſa ex *acceptabulis* parvarum prœbare uſum *dentrificii*, ubi *acceptabula* appellaſſe videtur, quas *pyxides* medici recentiores, & anatomici ſcriptoras appellitant, quibus infixæ ſunt *coxendices*, circaq; ea vertuntur oſſa coxarum, ſunt anim illæ concavitatas caliculis perſimilas.

C A P U T XVI.

Emaculatus Plutarchi codax, in quo pro *Fabius Buteo*, inſcite legitur *Buloo*, ibiq; de *Buteonibus*.

APud Plutarchum Chæronanſam, Latinitate donatum, error eſt in vita Fabii maximi, minutulus quidam, ſed non tamen aſpernandus, ſic anim habant codicas impraſſi: *Alterum dictatorem creaverunt Fabium Bulcanem*, e tu cortige *Fabium Buteonem*. Fuit enim Romæ familia *Fabia Buteonum* cognominata, ex eo, quod in ducis navi proſpero auſpicio quondam ſediſſet accipiter, quem Romani *Buteonem* appellant, Græci *triochen*, a numero teſtium, quaſi tres *teſticulos* habentam, cui principatum in auguriis *Phæmonoe* dedit, quæ Apollinis filia dicta aſt, us inquit Plinius, & ut auctor eſt Euſebius chronographus, prima haxametris varſibus futura ceciniſſe narratur. Ex quo non inſcite Lucanus *Phemonoem* appellavit *Pythiam ſive Phœbada*: quæ reſponſum ex oraculo Apollinis dalphici dedir Appio Romano. Livius hiſtoriam *Fabii Buteonis* aloquanter explicat lib. a2. ab origine urbis: *Qui dictator creatus ut ſenatum legeret, peracta lectione eodem die extemplo dictatura ſe abdicavit, lictoribuſque abire juſſit turbæ ſe immiſcuit*. Hæc eadam a Plutarcho mamorantur, ſed pro *Fabia Buteone* mendum irrepſit proclivites in *Fabium Bulcanem*.

C A P U T XVII.

Subeſſe ſenſum occultiorem, quam enarratores agnoverint in illo Epigrammatiſtæ varſiculo:
Paſtas glande nates habet Secundus.

VErſiculus aſt apud Martialem, in quo ſubeſt obſcœna quidam ſignificatio, non taman diſſimulanter prætereunda. Sic enim inquit in hendecaſyllabo.

Paſtas glande nates habet Secundus:

Ubi non *pinguitudo* pueri ſignificatur, ſicut perperam exponit interpres, *ſed pathici effœminatiq; impudicitia*. Acuman enim ſenſus & aculaus totus eſt in dictiona *glande*, qua ſignificatur pars obſcœna genitalium virilium, de-

qua Cor. Celſus lib. vi. de medicina: *Ubi vero glans conſecta eſt, oricularie quoq; clyſtere inter eam cutemq; aqua calida inſerenda eſt.* Item tubercula etiam, quæ *phymata* græci vocant circa glandam oriuntur. Ariſtoteles & Galenus, alter maximus philoſophorum, alter nobiliſſimus medicorum, βάλανον appellant græco vocabulo notiſſimo, quod ſignificat *glandem*. Eſt autem prima pars virilis penis, ſic enim, honos aurib. præfandus eſt, mentula vocatur. Ariſt. in primo de animalibus, ita prodidit: *Maris penis poſtremo thorace propendens, parte ſui prima carne propemodumq; conſtans, & inæquabili facie turbinata, nomen a glande pars hæc mutuata eſt.* Igitur mordax ſine fine Martialis, volens intelligi, puerum nomina *Secundum* fuiſſe pathicum, & emaſculatoribus ad obſcœnam libidinem frequanter morigarum, feſtiviter ſimul & ſalſe dixit, eum habere *nates glande paſtat*, tanquam ſub actiona illa præpoſtara concubini, veluti cibo natas paſcerentur, & in hoc toto epigrammate epigrammatiſq; ſenſu explicando arcutit interpres, quum ſantentia poetæ laſcivientis ſit referanda ad delitias puerorum multiformes, nequitias diſſimiles, & faſtus amabiles & moroſitatem illicibilem, quæ omnia malle ſaſe ait poeta in ſodalitate puerili, quam dotes dapſiles in uxoria contubernalitate.

CAPUT XVIII.

Verſus Lucretii axplicatus *de Lampade curſaria*, & de *Sicyoniis calciamentis*.

LUcretius libr. 2. de rerum natura ſic ait:

Et quaſi curſores vitai lampada tradunt,

quum ſignificare vellat, mortalium eſſe perpetuam ſucaeſſionem, viciſſimque primos a ſecundis, ſecundos a tertiis, & ita deinceps impelli, & urgeri: Eſt autem translatio ſumta a *curſoribus*, qui ex Promethai conſuetudine, ut docet Higinus, *inſtituerunt currere, lampadem jactantes, quum primus curſu defatigatus ſecunda integro tradebat.* Cujus rei mantio quoque ſit lib. 4. rhetoricorum ad Herannium, ubi traditur: *Non illum in palæſtra, qui tædas ardentes accipit celeriorem eſſe in curſu continuo, quam ſit ille qui tradit, propterea quod defatigatus curſu integro facem tradit.* In hunc ſenſum translationa quadam oppido quam dacenti dictum eſt a Parſio:

Qui prior es, cur me in decurſu lampada poſcis?

Mar. quoq; Varro ſcitiſſime dixit in tertio de re ruſtica: *Non curſu lampada tibi trado*, ſignificans proverbialiter non tibi cedo, vel per contrarium non ſum te ſuperior. Herodotus libro 8. hiſtoriarum refert *curſores Perſarum perniciſſimos primum ſecundo, ſecundum tertio, & ita deincept alium alii mandata tradere ſolitos, quemadmodum* inquit, *apud Græcos fax traditur quam Vulcano per vices ferre curſores perſeverant.* Et quoniam Lucretii mentio facta eſt, enodemus illud quoque valut in tranſcurſu vocabulum, quod ab eo poſitum eſt libro quarto de rerum natura.

Unguenta & pulcra in pedibus Sicyonia rident.

Ubi *Sicyonia* ſignificantur calciamenta muliebria atq; amatoria dalicatioraque, & effœminatis tantum congruentia, de quibus ait Lucillius:

Et pedibus læva Sicyonia demit honeſta.

De quibus Marcus Tullius in primo de oratore ſic refert: *Ut ſi mibi calceos Sicyonios attuliſſes, non uterer, quamvis eſſent habiles & apti ad pedem, quia non eſſent viriles*: Sed de Lucretii locis obſcurioribus alibi plura, quum ajus poemata adeo mendoſa circumferantur, ut non lita multis luminibus ingenii videri poſſint, ſicut Qu. Ciceroni videbantur, ſed oblita, tenebris errorum præſcatentibus.

CA-

C A P U T XIX.

Lapſum eſſe indiligenter interpretem Plutarchi apophthegmaton ſuper λήμης πειραιῶς, id eſt lippitudine Piræi.

PLutarchus Cheronenſis in apophthegmatis de Pericle Athenienſi ſic ait, ἐκέλευσε δὲ τοὺς ἀθηναίους τὴν αἰγίναν ὥσπερ λήμην ἀφαιρεῖν τοῦ πειραιῶς. Interpres Plutarchi homo Græcæ, Latinæque linguæ oppido quam peritus, & callens, ita interpretatur: *Juſſerat autem Athenienſes Æginam quaſi Piræi portum exiſtimarent ac tuerentur*. Demiror virum alioquin græcatiorem dediſſe id interpretamentum, quod penitus contrarium eſt a ſenſu verbiſq; Græci ſcriptoris, quod nos ita Latina fecimus. Juſſerat autem Athenienſes *Æginam quaſi Piræi lippitudinem auferre*. Hoc eſt verum Græcorum verborum interpretamentum, & ſenſus ex hiſtoria ductus. Nam Pericles ſuadere volebat Athenienſibus, ut Æginam inſulam delerent & e medio tollerent, perinde ac lippitudinem labemq; *Piræi* Athenienſium portus, a quo 12. millibus paſſuum abeſt. Hoc aperte demonſtrat idem Plutarchus in vita Periclis, quum ait: *Æginam veluti Piræi lippitudinem delendam cenſuit*: Impreſſi codices mendoſi ſunt, in quibus pro *lippitudinem* legitur *lippedinem*. Potuit fortaſſis Interpres labi ex incuria vicinitateq; Græcarum dictionum. Nam apud Græcos, λιμὴν eſt & λήμη pronuntiatu quidem non longe diſtantes inter ſe dictiones, ſcriptione vero & ſignificatu multum diſſidentes. λήμη enim fœminino genere ſignificat lippitudinem ocularia, ſcribiturq; per η. λιμὴν vero maſculino genere dicitur portus, & per iota ſcribitur, ſed in codicibus Plutarchi Græcis ſcriptum eſt λήμην: quæ eſt *lippitudo* per η. non λιμένα: hoc eſt, *portum* per iota. Præterea quis neſcit ἀφαιρεῖν, apud Græcos accipi pro *auferre* non pro *tutari*. Plura dicere quibus hoc noſtrum tuear ſuperſedeo, ipſa enim ſunt per ſeſe ſatis (opinor) evidentia, & quod ab interprete dicitur, & quod a nobis, quæ penſitanda dijudicandaq; candidis lectoribus permitto.

C A P U T XX.

Erratum alterum ejuſdem Interpretis ſuper immolatione filiorum quos Saturno ſacrificant Carthaginenſes.

IDem Plutarchi interpres ſic in Latinum vertit, Apophthegma illud: *Zelo tyrannus quo tempore Carthaginenſes ad Himeram debellavit, pacem cum his acturus coegit fœderibus inſcriberent, fore ut etiam filii n præſtandis Saturno ſacrificiis quieſcerent*. Hæc noviſſima apophthegmatis particula, non videtur ſatis fideliter ſynceriterq; expreſſiſſe atq; explicaſſe verba Græca Plutarchi, quæ ideo ſubſcripſimus, ut docti diſpiciant utrum laude digna ſit an reprehenſione noſtra hæc curioſitas, ad quam nos unica impellit utilitas juvandi fovendiq; pro virili parte ſtudia ſcholaſticorum. Verba Plutarchi hæc ſunt: ἠνάγκασ' ἐγγράψαι ταῖς ὁμολογίαις, ὅτι καὶ τὰ τέκνα παύσονται τῷ κρόνῳ καταθύοντες, id eſt, ut nos interpretamur: *coegit inſcribere fœderibus, quod ceſſarent immolare filios Saturno*, hoc expoſcit fides hiſtoriæ Carthaginenſium, qui ſoliti erant immolare hoſtias humanas Saturno, excellentioreſq; ex filiis victimare, qui quum olim eſſent, obſeſſi ab Agathocle Rege Siculorum, Saturnum iratum ſibi eſſe rati ſunt, quod loco liberorum, infantibus ciam emtis atq; educatis ſacrificaſſent. Itaq; ut diligentius id piaculum ſolverent Deumq; complacarent, ducentos nobilium filios publice immolaverunt, ſicuti Lactantius in primo, Euſebius in quarto præparationis Evangelicæ, & Diodorus in 20. bibliothecæ prodiderunt. Hinc Sylius Italicus in quarto Punicorum ſic cecinit:

Mos fuit in populis, quos condidit advena Dido,

Po-

Poſcere cæda Deos veniam, ac flagrantibus aris.

Qui ibi ſubdidit filium Hannibalis nomine Aſparem, fuiſſe forte adjudicatum huic infando ſacrificio. Igitur ut ad rem redeam ſenſumq; Plutarchi explicem, *Zelo* tyrannus pacam cum devictis Carthaginenſibus fecit his conditionibus, ne in poſterum immolarent filios Saturno, ut ita a ſacrificio ſanguinario planoque inhumanæ crudelitatis abducerentur. Et hæc eſt, Pultarchi ſententia, veraque interpretatio, quod & verba ipſa demonſtrant, ſi circumſpectius perpenſiuſq; perpendantur, quum interpretis interpretamentum ſit devium ab hiſtoriæ fida & a ſenſus elegantia.

CAPUT NOVISSIMUM.

Inſcite eundem decrraſſe ſuper interpretamenta Thericliorum, inibiq; conſideratur perpenſuſq; non indiligenter locus ex Cæſaris commentariis.

APud eundem Plutarchi interpretem in apophtgegmatis Romanorum, ubi de Scipione Æmiliano diſſeritur, ſic ſcriptum legimus: *Quum Memmi cujuſdam Tribuni militum jumenta comprendiſſet, quæ lapideas pelves & vitrea pocula deportarent.* Quod Interpres dixit: *lapideas pelves & vitrea pocula?* Græcus ſcriptor ait: ψυκτῆρας διαλίθους καὶ θηρίκλεια: quæ verba Græca nequaquam adamuſſim congruunt cum Latino interpretamento, neq; hoc ſenſiſſe videtur Plutarchus, qui voluit ſignificare, Memmium fuiſſe caſtigatum increpatumq; acriter a Scipione, quod in uſu eaſtrenſi haberet vaſa pretioſa & delicata, minimeq; diſciplinæ militari convenientia. *Lapideæ autem pelves, & vaſa vitrea*, non ſunt digna caſtigarione cenſoria, quum non ſint aliena a parſimonia frugalitateq; priſcorum, quum (ut dicere ſolebat Galienus Imperator) *nihil ſit vitro communius*. Quocirca ita meo periculo interpretaberis: ψυκτῆρας ἀλαλίθους καὶ θηρίκλεια, id eſt, vaſa gemmata & thericlia ἀλάλιθοι enim Græce *gemmatus* dicitur, *Thericlia* vero ſunt vaſa potoria delicatiora a Thericle artifice celcberrimo nominata, de quo eſt illud Plinianum ex libro XVI. *Celebratur & Thericles nomine, calices ex therebyntho ſolitus facere torno. De Thericliis* poculis, utpote pretioſis ſic refert Phalaris in epiſtola ad Polycletum: *Miſi ad te puri auri phialas quatuor, crateres argenteos non noſtri temporis artificii duos, poculorum Thericliorum paria decem. De Thericliis* mentio ab eodem Plutarcho habita aſt in vita Alexandri. Ex hoc *Thericliorum* ſignificatu exiſtimo corrigendum eſſe locum apud Cæſarem, in cujus terrio civilis belli Pompejani commentario ſic legitur: *In caſtris Pompeii videre licuit tricbillas ſtratas*. Opinor irrepſiſſe mendum, emendatumq; pro *tricbillas ſtratas*, *thericlia ſtrata*, ut ſit ſenſus *Thericlia* pocula, quæ erant pretioſa celebrataque viſa fuiſſe ſtrata atque jacentia paſſim in caſtris POMPEJANIS, etſi ſcio *tricbillas* exponi ſolera pro *abacis menſiſque potoriis* habentibus tria labra & triplices margines, in quibus vaſa more aulico gradarim diſponi collocariq; conſueverunt. Sed jam receptui canendum eſt, ne modum excedat appendix: quæ non contenta latialiter diſſertaſſe, etiam nonnihil atticiſſavit. Jam pauſa facienda aſt, & animus ocio refovendus, ut mox vegetior, alacriorq; teſurgat ad excudanda id genus annotamenta longe uberiora, quæ ſucciſivis temporibus condimus, mox in tempore depromturi: Meditor enim pro virili parte agere negotium poſterorum, ſuccurrere hæſitantibus literatoribus, prodeſſe ſcholaſticis, non minus provincialibus quam Italicis, qui auditorium meum frequentiſſimi quotidie ſtipant, neq; peramanter obſervant.

FINIS.

ANTONII
PANORMITÆ
DE DICTIS ET FACTIS
ALPHONSI
REGIS ARAGONUM
LIBRI QUATUOR

Eorumdem Æneæ Sylvii Commentarium, quod in ſingula Alphonſinorum librorum capita diſtribuitur.

Adjecta ſunt ſingulis libris ſcholia per Jacobum Spiegelium Seleſtadienſem.

Google

LECTORI BENEVOLO

POmponii Beccatelli ad Epiſcopum Syracuſarum Hieronymum Beccatellum epiſtola epiſtolarum libris quos Antonius Panormita poſteritati reliquit, præmitti ſolet. Verum ea mente huc à nobis conjecta eſt, ut antequam tanti viri ſcripta attingis, genus ejus, mores, ſtudia, fortunam, conditionemque cognoſcas. Plura in ea invenias, quæ tenere te, ac delectare facile poterunt. Narrat enim ea quidem nobiliſſimæ familiæ γενεαλογίαν, cum hac una tamen Guelforum & Ghibellinorum hiſtoriam attingit, quod rebus per ea tempora in Flaminia aliiſque Italiæ locis continentibus geſtis Beccatellæ Gentis multi non interfuerunt modo, verum etiam præfuerunt. Acceſſiſſent huc etiam Antonii epiſtolæ, ſed cum totius Operis moles eo creſcere videretur, ut Gruterianos Criticos è ſua ſede dejiceret, partem alteram tantum adjecimus, quæ nec juſto longior eſt, & Gruterianis Criticis locum commodè dare poteſt, epiſtolarum alteram in Tomum III. collaturi. Sed de Dictis, & Factis Alphonſi Regis jam pauca. Libellos quatuor in medium afferimus, per quos multa legentibus exhibentur & ad delectationem compoſita, & ad inſtitutionem actionemque totius vitæ ſalubria. Accedunt ad hæc Æneæ Sylvii (Genus tanti viri, eruditionem, dignitatemque jam noſti) Commentaria, in quibus varia permixta ſunt & ſcitu pulcherrima, & delectationis pleniſſima. Hæc loco movimus ut ſuis quæque capitibus redderemus, atque ita commodius ad manus ſingula legentibus eſſent, ne diſjecta ut ante aut legentium oculos præterirent, aut ægre perquirerentur. Adjiciuntur præterea libris ſingulis Jacobi Spiegelii Seleſtadienſis ſcholia, quæ ad erudiendos ſtudioſorum Juvenum animos multum valere arbitramur. Ceterum, quæ à Panormita relicta ſunt (ſunt autem plura, & varia, diſperſim alia in aliorum Scriptorum libros relata) ſi quando, quod in votis eſt, inter manus verſabuntur, tibi quoq; Lector Benevole legenda in loco exhibebimus. Te interim, quem de diligentia officioque noſtro nos multum amaturum eſſe ſperamus, valere, & gaudere jubemus, atq; adeo ex animi ſententia rem bene gerere.

POMPONIUS BECCATELLUS BONONIENSIS

Reverendiſſimo in Chriſto Patri Domino

HIERONYMO BONONIÆ, BECCATELLO SICULO, *SIRACUSARUM EPISCOPO*

Domino ſuo obſervandiſſimo.

SUPERIORIBUS menſibus cum Venetias me contuliſſem, ut Patruum meum Epiſcopum Ravellen. ſummi Pont. in civitate celeberrima Nuntium inviſerem, ab eo benignè acceptus multa, & præclara vidi, quæ ſumma affecere me voluptate: ſed illud in primis, quòd Patruus, cum me ad ſtudia bonarum literarum adhortaretur, ſuam mihi oſtendit bibliothecam, bonis authoribus & Græcis, & Latinis refertam: quorum libros cum ego curiosè evoluerem, in volumen quoddam manuſcriptum incidi, cujus erat titulus. *Antonii Beccatelli, cognomento Panhormitæ opera*. Quod nomen cum mihi ignotum eſſet, rogavi Patruum ut exponeret quis ille, & quando fuiſſet, & cur Panhormita cognominaretur. Tum ille, Gentilis fuit hic noſter, inquit, ex eiſque Beccatellis ortus, qui olim Bononia diſcedentes Panhormum ſe contulere: ubi numero, & opibus aucti apud Principem, & omnes, etiam nunc gratia, & auctoritate florent. Verum hic Antonius dum liberalibus diſciplinis operam navare cuperet, Sicilia poſthabita Italiæ gymnaſia petiit, in quibus tantum profecit, ut inter primos, qui ea tempeſtate literas coluere latinas, ſumma cum laude annumeraretur: carmineque ita excelluit, ut abſque contro-

verſia ab omnibus illi palma deferretur. Quo factum eſt, ut principibus viris, qui tunc in Italia regnabant, fuerit ſummè charus, cum illiſque familariſſimè vixerit, & maximè cum Alphonſo Neapolis, & Siciliæ Rege, qui ejus opera non tantum in ſtudiis literarum; quibus mirificè delectabatur, ſed etiam in his, quæ ad curam, atque adminiſtrationem regnorum ſuorum ſpectabant, ſæpe ſit uſus: adeoq; illum amavit, ut ordini Patritio in Urbe Neapolitana adſcribi juſſerit. ubi Antonius nobili ducta uxore aliam quaſi coloniam gentis noſtræ in civitatem nobiliſſimam tranſtulit: illamq; celebrem excitavit Academiam, ex qua tanquam ab altero Socrate Philoſophi Athenis, excellentiſſimi prodiere Poetæ, & præcipuè Jovianus Pontanus, qui memor, & gratus Antonii nomen pluribus ornavit in locis. Quod non tantum à Joviano, quantum ab aliis quoq; doctis viris, qui eadem ætate vixerunt, factum eſt: quibus ferè omnibus chariſſimus fuit ob ingenii præſtantiam, & animi candorem, & præſertim Theodoro Gazæ, qui Aeliani librum, de inſtruendis aciebus, quem latinum fecit, ad Antonium ſcripſit. qui cum Panhormi natus eſſet, facile apud exteras nationes Panhormitæ cognomen eſt adeptus, quo poſtea ſemper eſt appellatus: verum hæc fuſius ab ipſomet Antonio intelliges, ſi epiſtolas ejus, quas nunc in manu habes, evolveris, diligenterq; legeris: in illis enim quis ipſe fuerit, quibuſcum vixerit, & de patria & gente noſtra aliqua addiſces, quæ in te quoque deſiderium excitare poterunt, majorum tuorum veſtigiis inhærendi, qui quandoque clariores fuere, quàm eorum nomen nunc apud nos præſeferre videatur. Quæ cum Patruus dixiſſet, deſiderio incenſus, ſcripta Antonii quæ habebam avidiſſimè legi: erant enim epiſtolæ plurimæ, & carmina quædam, quæ cum paucis interiectis diebus ſumma cum voluptate percurriſſem, Patruum rogare inſtiti, ut illa ſaltem Beccatellis omnibus, qui & Panhormi, & Neapoli, & Bononiæ degunt legenda traderet: ne gentis antiquus amor, & patriæ priſcæ origo in ipſis locorum, & temporum longinquitate ſejunctis aboleretur. Quod cum ille ſe maximè cupere diceret, tibique Præſul ampliſſimè eo nomine jam diu obligatum eſſe, mihi recen-

recenſuit, quemadmodum te ſuperioribus annis Tridenti vidiſſet, cum illuc conveniſſetis, tu ad ſacrum Concilium Epiſcopus à Regno Siciliæ miſſus, ille à ſecretis Reverendiſſimorum Cardinalium Legatorum Sedis Apoſtolicæ, & Concilii à Paulo III. Pont. Max. deſtinatus. quo in loco tanta ſe dixit à te humanitate exceptum, ut non ex eadem gente, ſed utero etiam nati videremini: multoſq; inter vos habitos eſſe ſermones de urbe Bononia, & gentis noſtræ in ea vetuſtate, & de Beccatellis Siculis. cumque deſiderio flagrares antiquam matrem, & affines arcta benevolentia complectendi, illum rogaſti, quando omnia videbantur ſitu obducta, ut memoriam familiæ noſtræ qua poſſet ex parte renovaret, ſcriptiſque mandaret ea, quæ in annalibus Bononienſibus de ea leguntur. quod ille ſe curaturum promiſit, ut qui cuperet, & tuo honeſtiſſimo deſiderio, & familiæ in urbe Bononia ferè labenti aliquam opem afferre, ſperans aliquando futurum, ut ex nepotibus aliquis poſſet majorum quaſi imagines contemplans, eos quoq; imitari. Verum cum id exequi cuperet, poſt ejus à Tridento diſceſſum, tuis maximè excitatus literis Antonii noſtri ſcripta avidiſſimè perquiſivit, cum illius epiſtolam, quam à te acceperat legiſſet: in qua de origine noſtra ad Cambium ſcribit, cupiens ſic gentis, & gentilis etiam conſulere nomini: ſed neſcio quo fato (ut ipſe referebat) Antonii opera, quæ multa fuere, adhuc in lucem non prodierunt: præter enim libellos illos de dictis, & triumpho Alphonſi, nihil impreſſum reperit, cum ille multa, & ſoluta, & pedeſtri oratione ſcripſerit. Epiſtolas tantum, & carmina nonnulla in bibliothecis quorundam doctorum, & proborum virorum invenit, Angeli ſcilicet Colotii Epiſcopi Nucerini, & Danielis Barbari Patritii Veneti, cujus proavus Franciſcus Barbarus vir doctiſſimus iiſdem cum Antonio floruit temporibus, eumq; ſummoperè dilexit; & Joannis Baptiſtæ Cynthii Giraldi Ferrarienſis, ac Pauli Ramnuſii Veneti adoleſcentis bonarum literarum ſtudioſi: qui omnes patruo meo perbenignè illorum copiam facere. Quæ cum ipſe diligentiſſimè conſervaret, & alia interim Antonii ſcripta perquireret, ut tuo uberius ſatis faceret deſiderio, annales quoſdam patriæ noſtræ

à CCCC.

à CCCC. & ſupra annis ſe legiſſe dicebat: ex quibus quædam annotaverat, quæ & Civitatis Bononienſis, & gentis etiam noſtræ fluctuationes notas facere poſſent, illaq; ſi per negotia licuiſſet pauld accuratius, & diſtinctius ſcripta ad te miſſurum fuiſſe, ni perpetua ejus occupatio cogitationem hanc ne dum in dies differre, ſed etiam abjicere penè cogeret. Quæ cum audiviſſem non mediocri animi dolore tactus, cum memoriam majorum noſtrorum quaſi perire viderem, Patruo ſupplicavi, ne provinciam hanc deponeret, eamque, ſi non ut cupiebat, ſaltem ut poterat, exequi conaretur. Tunc ille hilari ad me converſus vultu, tuæ dixit erunt Pomponi partes hæ, tuum erit hoc munus, & veluti vas pro me factus Reverendiſſimo Siracuſano Epiſcopo id perſolves, quod ego jamdiu debeo: quod ut commodius præſtes, nunc tibi quicquid hoc nomine in ære meo eſt, trado, ſimulque faſciculum chartarum manu ejus ſcriptarum è ſcrinio, quo adſervabantur, deferri juſſit: quibus obſervationes illæ ex annalibus decerptæ, quas paullò ante commemoravi, mandatæ erant. quas cum manu teneret, ſume inquit materiam qua ædificium noſtræ domus, quam ego animo exædificatam habebam, conſtruere poſſis, pium enim, & laudabile patriæ & agnatis opem ferre: nec dubito tua hac diligentia (ni me ſpes fallit, quam de ſtudiis, & indole tua concepi) futurum, ut quemadmodum ego, & Reverendiſſimus Siracuſanorum Epiſcopus arctiſſimo amoris vinculo tenemur, ſic vos qui deinceps ſuccreſcitis ejuſdem gentis adoleſcentes, eodem benevolentiæ nodo devinciamini. Temerè (fateor) mihi facere videbar, ſi munus mihi à Patruo demandatum ſubirem, quippe qui & ætate, & ingenio oneri impar eſſem: ſed tamen cum illum uſque adeo cupere viderem, quod non tantum verbis, quam fronte ſignificabat, deſiderio flagrans illi obſequendi, tuam gratiam promerendi, & gentilium omnium noſtrorum amorem in antiquam patriam excitandi, libentiſſimè obtemperaturum me dixi. cumq; rem omnem diligentius conſideraſſem, Antonii ſcripta, quæ habebamus, edere, Patruo ſic permittente decrevi: & quando ita tibi placere intellexi brevi, & in ſumma quæ de gente noſtra, non ſolum ab Antonio tradita ſunt, ſed apud alios etiam leguntur,

guntur,

guntur, illis præfigere: rem tibi non ingratam, cæteriſq; Beccatellis omnibus facturum me ſperans, uberius alias, ſi dabitur, id perſequuturus.

Beccatellæ familiæ originem, quæ & alio nomine in annalibus noſtris Artemiſia quandoq; vocatur, Antonius noſter in epiſtola ad Cambium, ab Anglis repetit ab octingentis, & ſupra annis: id unde hauſerit non ſcribit: quo in argumento ego aliquid affirmare non auſim, cum ſuperiorum temporum obſcuras, & obcæcatas admodum videam rerum memorias. Tenuerunt Italiam ſupra mille annos Barbaræ variæ nationes, Gothi, Longobardi, Ungari, Normandi, Saraceni, & alii, modò hanc, modò illam pervagantes regionem: ex quorum ſeminibus familias extare quamplurimas haud dubiè exiſtimandum eſt, quarum qui requirit originem, idem facit, ac ſi in obſcuriſſima nocte lucem adipiſci ſe poſſe confidat. referre tamen quæ ab aliis intelliguntur non eſt niſi æqui, ac ſinceri ſcriptoris, ut hic Antonius fuit. Quo in propoſito non ego illud tacebo, quod in aliis traditum eſt annalibus, in quibus ſcribitur diruta penè urbe Bononia à Theodoſio primo, cum ſecundus Theodoſius non multis à primo interpoſitis annis imperium aſſequutus eſſet, miſſum ab eo Conſtantinopoli Romam Petronium pietate inſignem, & Imperatori affinitate conjunctum, de quo Celeſtinus I. Pontifex, qui tunc Petri Cathedram tenebat, viſione divina præmonitus Petronium Bononienſibus Epiſcopum dedit: qui Pontifici parens, ad civitatem ſibi commiſſam eſt profectus, cum eoq;, ut erat genere nobili, multi ſunt è Græcia profecti, qui domicilio Bononiæ contracto authores XIIII. fuiſſe familiarum traduntur, inter quas & noſtram quoque connumerant: hoc an ita ſe habeat, cum eadem occurrant, quæ de Britannica Antonii origine dixi, confirmare non poſſum, utcumq; tamen res ipſa ſe habeat, illud conſtantiſſimè affirmatur, noſtram gentem inter antiquiores, quarum memoria extet, in urbe Bononia receptam ſemper fuiſſe, cumque annales Bononienſes ab anno M.C. citra ſuam ordiantur hiſtoriam, non potero, ſi verax eſſe voluero, ſupra illud tempus aliquid certi referre: nec ſanè mirum, fuit enim totos quingentos annos Italia orba

& literis, & bonis artibus, ut nihil, aut parum de illorum temporum hiſtoria etiam publica ſciri poſſit.

Imperii Romani dignitate è Græcia in occidentem translata, tandemq; apud Germanos Pont. Max. authoritate collata, Italiæ magna pars Berengariis expulſis, Imperatoribus parebat: Hetruria præcipuè, & ea Galliæ pars, quæ Lombardia hodie dicitur, quas in provincias Imperatores ſuos mittebant Vicarios, qui jus dicerent; quinimmò & ipſi interdum cum vel hoſtes arcendos, vel Imperii coronam Romæ à Pont. Max. peterent, vel aliquid in melius reformare cogitarent, in Italiam veniebant. Sed cum aliquando electores Imperatoris electionem differrent, vel ipſi negligentes in provincia adminiſtranda eſſent, evenit ut nonnulli populi, qui eorum parebant Imperio, partim in Tyrannorum potentiam venirent, partim in libertatis ſpeciem quandam ſe vindicarent: quorum in numero & Bononia patria noſtra reponitur. Quæ cum Reipublicæ formam accepiſſet, prætoreſq;, & magiſtratus ſibi deligeret, ita vires auxit, ut interdum & ſæpe aliis Civitatibus terrori fuerit, finitimoſq; parere coegerit: qua in commemoratione cum annales noſtri plurimorum Civium mentionem faciant, domum quoq; noſtram ſilentio non prætereunt: & quando præcipuè ſcribere propoſui, quæ de gentilibus noſtris in eis tradita ſunt, ſerie temporum obſervata brevi, & dilucidè ea conabor exponere.

Tempeſtate, qua Innocentius II. Pont. Max. in Gallias, & in Germaniam conceſſerat, ut auxilium à Philippo Rege, & à Lotario II. Imperatore peteret adverſus Petrum Leonem Civem Romanum, qui illum ut ex Urbe, ſic etiam à ſede Beati Petri dejicere conabatur, ſuffecto in ejus locum Aga-
1130 peto filio, Bononienſium Civitas ſuos creavit Conſules, qui Reipub. præeſſent, quorum primus renunciatus eſt Artemiſius Beccatellus, ut annales noſtri, & acta teſtantur publica. Deinde turbulentiſſimis temporibus illis, quibus Imperator Federicus Barbaroſſa bellum in Italia concitarat adverſus Alex. III. Pont. Max. & Civitates, quæ illi, & Guielmio Siciliæ Regi adhærebant, Bononia opibus, & milite
1170 florens partes adverſus Federicum tuebatur. Cumq; non-

nullæ

nullæ Civitates Flaminiæ inter ſe diffiderent, adverſarenturque Faventini Ravennatibus, quibus Bononienſes favebant, Civitas ut illis auxilio eſſet, copias adverſus Faventinos eduxit: quibus alter præfectus eſt Artemiſius Beccatellus, eaq; in expeditione primo anno nonnulla ſunt ab hoſtibus damna illata, multiq; è Bononienſibus capti: ſed æſtate ſubſequenti, hoſtes fuſi, captiviq; recepti ſunt, & magna cum pompa primum eduxere Carrocium, quo exercitus præfectos, & vexilla vehebant, magnoq; erat dedecori, ſi illud in prælio deſeruiſſent: quod & nonnullæ Civitates Lombardiæ poſtea imitatæ ſunt.

Rebus tandem inter Pont. Max. & Federicum Imperatorem compoſitis, Bononia quoq; in Federici gratiam venit, qui cum in Orientem ad bellum Hieroſolymitanum proficiſce- 1185
retur, Bononiam pacificè adiit, ibiq; eſt magnificè exceptus, copiiſq; illius alias adjunxit Civitas, quas ad bellum pium ſuis miſit ſtipendiis. Eaque in expeditione defuncto Federico Henricus VI. Federici filius, antea Imperator deſignatus, qui in Germania reſederat, Imperium eſt adeptus: inde pacificè Italiam ingreſſus, ut Romæ à ſummo 1193
Pont. diademate Imperii ornaretur, Bononiam venit, civitatiq; privilegia monetæ cudendæ largitus eſt, utq; XII. ſibi crearet Conſules, qui urbi præeſſent, permiſit, qui ex optimatibus civium delecti ſunt: inter quos Thomas Beccatellus adnumeratus eſt. & fortaſſis hic eſt ille Thomas, qui tanta fuit authoritate, ut inuitis etiam Magiſtratibus in urbe permaneret. quod Albericus de Roxate Doctor celebris, & antiquus, in quæſtionibus ſuis ſcriptum reliquit, de eoque non ſemel mentionem fecit.

Adepto Imperio Federico II. Siciliæ Rege, & Henrici VI. fi- 1212
lio, & primi Federici Imperatoris nepote, magnæ in Italia turbæ ſunt exortæ: cum Federicus avitis inhærens veſtigiis ſummos Pontifices, & Eccleſiam magno proſequeretur odio, & bello, itaut civitates bifariam diviſæ, multæq; ex his, quæ ante Imperatoribus parebant, contra ipſum fœdus inierint, armaq; ſumſerint: ut Mediolanum, Vincentia, Bononia, & aliæ: Tunc enim primum horrificum & peſtilens nomen auditum eſt Guelforum, & Ghibellinorum, quod to-

tam Italiam pervaſit, altaſq; adeò fixit radices, ut & ad no-
ſtra pervenerit tempora, non ſine magna clade nedum pro-
vinciarum, & urbium, ſed etiam cognationum ipſarum.
qui enim Pontificibus favebant Guelfi, qui verò Imperatori
Ghibellini dicebantur. Hac peſte civitas quoq; Bononiæ in-
fecta, magnas paſſa eſt ſeditiones, quæ tamen opera optimo-
rum civium ſedatæ ſunt, nobiliumq; ordo Rempublicam ad-
miniſtravit cum magna univerſæ civitatis lætitia, qua in re
gentis noſtræ annalium ſcriptores multam fecere commemo-
rationem.

1248 Sed non multò poſt Federicus Imperator bello civitates inimi-
micas petens Parmam obſedit, quæ ab illo defecerat opera
Guelfæ factionis, quam cum biennio arcta cinxiſſet obſidio-
ne, novamq; urbem propè Parmam ædificaſſet, quam Vi-
ctoriam appellavit, eruptione ſubita Parmenſium fuſus eſt,
urbſq; Victoria incenſa. qua re perculſus Federicus ut exer-
citum reficeret, in Apuliam acceſſit, præfecto copiis, quæ
ſuperfuerunt, Entio filio, quem Regem Sardiniæ fecerat,
cui cum adhærerent Mutinenſes, & Bononienſes ex adverſo
Guelfis faverent, magnum inter eas civitates exortum eſt
bellum, cum aliàs ſæpe de finibus inter ſe contendiſſent. Et
cum utrinq; magnæ eſſent coactæ copiæ, adeſſetq; Mutinen-
ſibus Entius Rex, propè Mutinam prælium eſt commiſſum:
1249 in quo victores evaſere Bononienſes non ſine laude gentilium
noſtrorum, fuſiſq; Mutinenſibus Rex Entius captus. Qui
poſtea dum vixit, captivus fuit in Urbe Bononia per annos
XXII. ſepultus eſt in templo Sancti Dominici. Federicus Im-
perator Entii pater nuncio audito de captivitate filii, & ſtra-
ge ſociorum, mœrore confectus in Apulia obiit: tuncque
Bononienſium opera Flaminiæ pars, quæ Federico adhære-
1250 bat, ſub ditionem venit Eccleſiæ. Creſcebat Guelfæ, &
Ghibellinæ factionis ſeditio, itaut nobilium familiæ plurimæ
ad arma concurrerent, cum noſtri pro Guelfis adverſus Ghi-
bellinos pugnarent: ſed bellum externum, quod immine-
1260 bat, & Civitatem diu occupatam tenuit, peſtem hanc per
aliquot annos ab Urbe diſtulit. nam cum Veneti, qui latè
mari Adriatico, & Aegeo imperabant, portoria à Bononien-
ſibus exigerent, qui per Padum in mare Adriaticum naviga-

rent,

Digitized by Google

rent, ea res ita Civitatem commovit, ut Venetis bellum, ni ab incœpto deſiſterent, denunciarent. quo factum eſt ut Veneti claſſe inſtructa ad Bononienſes arcendos, qui ad primarium in Padi oſtio caſtellum muniebant profecti ſint. Bellum id fuit magnum, & difficile, cum Bononienſes toto illo triennio ſub ſignis haberent militum XL. millia, ut etiam Venetorum hiſtoria teſtatur, ſæpiuſq; de Venetis victoriam reportarent: cum quibus tandem rebus compoſitis, & oppido diſiecto domum redierunt. Ea in expeditione unum ex familia noſtra copiis præfectum nonnulli tradidere annalium ſcriptores.

Obſidente poſtmodum Bononienſium exercitu Forum Livii in Flaminia, Edoardus Angliæ Rex à bello rediens, quod Chriſtiani cum Saracenis in Syria gerebant, in caſtris Bononienſium benignè exceptus, nonnullos præfectorum Equeſtri dignitate ornavit: quorum in numero Galeatium Beccatellum fuiſſe commemorant. Creſcebant interim Civitatis diſcordiæ, itaut magna Civium pars, qui Ghibellinis favebant, ſint à Guelfis in exilium miſſi, non ſine cæde multorum, quæ ſtrages vires afflixit Civitatis: quæ non multo poſt tuendam ſe ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ tradidit, quando per ſe id amplius facere non valebat, ſedem Beati Petri tenente Nicolao III. Pontifice Maximo. Civiles tamen ob hoc non quievere ſeditiones, odioſo illo nomine Guelforum, & Ghibellinorum: quo nomine frequenter in Urbe Bononia modò hi, modo illi erant oppreſſi. & cum Bertoldus Comes Flaminiæ, & Nepos Nicolai ſummi Pont. Ghibellinis faveret, nonnulli ex nobilibus Azoni Eſtenſi amici facti ſunt, cum bellum cum eo civitas geſſiſſet. Mortuo itaq; Bonifacio VIII. Pont. Max. ſedeq; Petri diu vacante, amici Azonis ab adverſariis oppreſſi ſunt, exilioq; & morte mulctati, eorumque domus, & turres ſolo æquatæ: quorum in numero Ricardum Beccatellum reponunt.

1270 1273 1279 1303

Tranſlata deinde per Clementem V. Curia Romana in Galliam, civitates, quæ in poteſtate Eccleſiæ erant in Italia, magnis afficiebantur incommodis, utpote quæ freno & rectore carerent: quo factum eſt, ut Bononia ſe in libertatem Pepulorum authoritate, & noſtrorum etiam vindicare conata ſit, 1311

itaq; ab Eccleſia deſciverit. Sed cum Pepuli divitiis, & opibus aliis præſtarent, verita civitas eorum potentiam, Bec-
1321 catellorum auxilio nixa Romeum Pepulum civem primarium, & tota Italia celebrem ex urbe depulit: cujus rei nedum Bononienſes annales, ſed hiſtorici etiam externi mentionem fecerunt, Joannes ſcilicet Villanus Florentinæ hiſtoriæ ſcriptor antiquus, & locuples, & Beatus Antoninus. factaq; eſt gens Beccatella & domi, & foris conſpicua. Tuncq; Nicolaus Carrarius Paduæ Dominus Pollioni Beccatello præturam ejus Civitatis detulit, qui eo in magiſtratu ſeu inimicorum fraude, ſeu civium conſpiratione interfectus eſt.

Rtipub. Bononienſis præfecti, ut ſe ab exulibus defenderent, qui opibus, & auxiliis Paſſerini Domini Mantuæ, & Mutinæ juvabantur, ſuis præfecerunt copiis Gaſparem Radicofani Dominum, & quatuorviros rei militaris crearunt, quorum unus fuit Jacobus Beccatellus, utque præſidia exulibus imminuerent, octo miſerunt oratores Florentiam ad Carolum Calabriæ Ducem Ruberti Regis filium, cui Reſpub. Florentinorum metu Ludovici Imperatoris ſe tradiderat, horum in numero unus fuit Beccadinus Beccatellus. Fluctuabat Civitatis Bononienſis ſtatus, nam in Italia Ghibellini in dies magis prævalebant: Ludovicus Bavarus Imperator qui in Italiam cum exercitu advenerat, Mediolani Vicecomites in vincula conjecerat, Hetruriæq; formidoloſus Romam cum Caſtrucio petierat: quare Bononienſes, ut rebus ſuis conſulerent, cum Ludovici Imperium odio haberent, habitis comitiis ſummo Pontifici, & Eccleſiaſticæ poteſtati de-
1327 nuo ſe tradiderunt. Beltranuſq; Cardinalis Oſtienſis Legatus Joannis Pont. Max. ſumma omnium alacritate in urbem eſt receptus, ita ut Magiſtratus obviam illi prodierint cum Carroccio elegantiſſimè ornato, & multi nobiles veſtibus induti pretioſis, inter quos familia noſtra non ultimas tulit partes.

1328 Legatus Pontificis Civitatis Dominio potitus Tadeum Pepulum, & fratres, qui in exilio erant, Civitati reſtituit, treſq; legatos ad ſummum Pont. miſit, qui fuerunt Jo. Andreas Calderinus. & Bornius Samaritanus, & Beccadinus Beccatellus.

Civi-

Civitas interim curam oppidorum Mino Beccatello Nicolai fillo demandavit, ut cum octo nobilibus, & probis viris ea loca 1239 inviſeret, ibiq; quod è Rep. illis eſſe videretur ſtatuerent. Et anno inſequenti prædictus Minus in Magiſtratum, quem Antianorum appellarunt, eſt adſcriptus.

Sed non quieſcente civitate nobiles nonnulli, ut Pepuli, Guzadini, Bentivoli, & alii conſpiratione facta Legatum Pontificis ex Urbe ejecere, arcemq;, quam ille munierat, ſolo æquarunt, novæque Reipub. forma inducta eſt. Vexiliferum enim juſtitiæ, ut appellant, cum XX. Antianis crearunt, quo in numero duo ex familia noſtra fuere, Beccadinus ſcilicet, & Colatius Beccatelli: ſed diu non hæc ſtetere, anno enim ſubſequenti Schacheſia factio, illi ſcilicet qui Pepulis favebant, armati ſubitò forum occuparunt, mortem Ghibellinis, ac Maltraverſiis omnibus denunciantes, in duas enim à principio factiones diviſa erat civitas, ut jam dictum eſt, Guelfam ſcilicet, & Ghibellinam: ex quibus poſtmodum tertium quoddam genus exortum eſt, quod Maltraverſum eſt appellatum, nam cum cædibus, & incendiis ob Guelfos, & Ghibellinos civitas deformaretur, ex hiſq; factionibus qui principes erant facilè tyrannidem conſequerentur, multi conſpirarunt Cives pacis & Reipub. amantes, qui hanc, & illam reprimentes partem, incolumitatem, & libertatem Reip. conſervabant: appellatique ſunt à Guelfis, & Ghibellinis Maltraverſii, quaſi hi qui impedimento eſſent illis. Hujus tertiæ factionis Beccatelli magna pars erant, adverſus quos (ut dixi) tumultus excitatus eſt, cumq; Maltraverſii impræmeditati domibus ſe continerent ſuis, & inde adverſariis reſiſterent, ut oppreſſi, urbe ferè omnes ceſſerunt. Beccatelli tantum ſuas tutati ſunt partes, cum Sancti Stephani plateam, & regiones finitimas, quæ eorum nomini addictæ erant, defenderent. ſed rebus ſedatis, & ſpe pacis Colatius Beccatellus deceptus, qui tunc gentis noſtræ caput erat, cum illi permiſſum eſſet, ut quos vellet ipſe è gentilibus ſuis ab urbe removeret, donec Reſpublica in melius reformaretur, bona fide nixus, & patriæ pacis amans octo ex his, qui magis ad turbas excitandas propenſi erant, ablegavit. quo facto non multis in-

teriectis menſibus cum pars adverſa vires in dies magis colligeret, ut Colatium magis deprimeret, edici à Magiſtratibus curavit, ut nemo qui affines exules haberet, in forum accederet: quod & ſi in genere cautum fuit, hoc tamen præcipuè Colatii cauſſa factum eſt, ut adnotant annalium ſcriptores: interimq; Rempub. factio, quæ prævaluerat, ut ei videbatur, reformabat, urbiſq; mœnia, & portas muniebat, opibus, & authoritate in dies aucta magis. Quare
1336 anno ſubſequenti qui fuit 1336. die V. Aprilis Colatium Beccatellum cum reliquis gentilibus ſuis in exilium miſerunt, & quercus, quæ forum Beccatellorum ornabat, ab adverſariis ſuccisa eſt: & in oppido Sancti Joannis hi, qui Beccatellis favebant, qui multi erant, in exilium miſſi ſunt: & ita maximum paſſa eſt domus Beccatella naufragium. hincque multi è gentilibus noſtris feſſi tantis luctationibus & diſſidiis in alias, & pacatiores ſedes ſe receperunt. Ab hoc tempore arbitror Vanninum familiæ Beccatellorum Siculæ authorem Panhormum applicuiſſe, quod ſatis liquidò conſtat ex ea epiſtola, quam Antonius Panhormita ad Cambium ſcribit, cum annos ſupputet nonaginta fermè ab eo, quo illam ſcribebat epiſtolam ad Vannini adventum in Siciliam. erat autem Antonius tunc Papiæ Philippo Mariæ Mediolanenſium Duci inſerviens anno circiter 1430. itaut enumeratio annorum, quam ille refert, ab annalibus Bononienſibus cladem hanc referentibus non diſſentiat. Sed ad inſtitutum revertor meum. Colatio ab urbe pulſo, omnes ſunt Beccatelli ut dixi ejecti, eoq; in exilio Colatius mortuus eſt, & Imolæ adhuc ejus viſitur ſepulchrum in templo Sancti Dominici magnificis literis, & titulo exornatum.

Novam erat Reſp. Bononienſium formam adepta, novæque quotidie fiebant leges, fœduſq; initum eſt in quinquennium cum Rep. Venetorum, & Florentinis, & Vicecomitibus, & Dominis Mantuæ, & Ferrariæ. ſentiebant enim omnes hi contra Ludovicum Bavarum, qui Imperatoris nomine multas excitaverat in Italia turbas, Ghibellinamq; factionem maximè fovebat. Sed tandem cum Tadei Pepuli virtus, & nomen notum, & illuſtre eſſet, amicorum ſtudio,
1337 & populi, die XXVIII. Auguſti 1337. comitiis habitis Dominus

minus Bononiæ declaratus eſt, cujus honori ne obeſſent aliqui in exilium miſſi ſunt.

Et cum ſummus Pontifex, qui Avinioni reſidebat, ægrè ferret Legati Apoſtolici ab Urbe dejectionem, illam ſacris interdixit, multoſq; cives ad ſe citari juſſit.

Sed Taddæus Pepulus, qui domi quotidie magis ſibi benevolentiam comparabat, foris etiam amicos, & clientes invenit, à ſummo Pontifice venia impetrata, ejus etiam permiſſu in Dominio jam tradito perſeveravit, quin immo nuncio ob id à ſummo Pont. Clemente VI. Bononiam miſſo Vicarius generalis ſanctæ Eccleſiæ in Urbe Bononia, & territorio ejus declaratus eſt, cui pacificè præfuit dum vixit.

Sed inſequentibus annis cum peſtis, quæ poſtea univerſam vaſtavit Italiam, graſſari inciperet, duobus relictis filiis Joan- 1347
ne ſcilicet, & Jacobo, mortuus eſt: qui, cum ſe impares tanto oneri regendo ob civium voluntates varias, & Italiæ fluctuationes viderent, (mortuo enim Ludovico Bavaro in Imperium ſucceſſerat Carolus Rex Boemiæ, qui in Italiam venerat, ut coronam de more acciperet, vireſq; auxerat Joannes Vicecomes Mediolani Archiepiſcopus, qui magnam ſibi Italiæ partem adjecerat, mariq; bellum acerrimè gerebant Januenſes, & Veneti, & Innocentius VI. Pont. factus, Ægidium Cardinalem cum exercitu in Italiam miſerat, itaut omnia minis, & cæde ardere viderentur) populo id ratum habente Joanni Archiepiſcopo Urbem Bononiam tradidere, centum millibus Florenorum acceptis, quatuor oppidis ſibi retentis, ſancti ſcilicet Joannis, ſanctæ Agathæ, Crevalcorii, & Nonantulæ.

Adeptus Civitatis Dominium Joannes Archiepiſcopus, exules 1350
omnes revocavit cujuſcunq; factionis eſſent, quare Beccatellorum multi, quibus id placuit, in patriam ſunt reverſi: & anno inſequenti cum Archiepiſcopus Innocentium VI. Pont. Max. amicum habere cuperet, quatuor ex præſtantioribus civibus, qui Avinionem peterent, ad ſummum Pont. legatos delegit, fuerunt hi Ricardus Salicetus, Antonius Gallucius, Beccadinus Beccatellus, & Minottus Angelellius.

Vicarium Archiepiſcopus in Civitate conſtituit ſuum Joannem

Valegium illi affinitate conjunctum, qui arcem conſtruxit, & ad tutelam Urbis foſſas, & mœnia munivit cumq; in il-
1354 lum multi nobiles conſpiraſſent, re patefacta XXIIII. uno die ſecuri percuti mandavit.

Interim exercitus confœderatorum, quæ magna dicebatur ſocietas, agrum Bononienſium ingreſſus, omnia ferro, & rapinis vaſtavit. erant autem fœderati Veneti, Florentini, Patavini, Veronenſes, Mantuani, & Ferrarienſes, qui potentiam Joannis Archiepiſcopi timentes, cum illi Januenſes ſe dediſſent, fœdus adverſus illum inierant: ſed non multo poſt octobris menſe Jo. Archiepiſcopus interiit, tribus
1355 relictis nepotibus, Barnaba, Galeatio, & Matthæo, cui Dominium obtigit Bononiæ. ſed anno inſequenti Jo. Valegius, qui præerat urbi, ut diximus, auxilio plurimorum, inter quos noſtri quoq; adnumerantur, Dominium urbis adeptus eſt excluſo Matthæo, qui ei bellum intulir: ſed non multos poſt annos cum fortaſſe viribus ſuis Jo. diffideret, Bononiam Egidio Cardinali Legato tradidit pacto interpoſito ut
1360 illi Firmum in Marchia Anconitana à Legato Apoſtolico daretur, quod re ipſa præſtitit, eoq; in loco Joannes diem extremum obiit 1366.

1377 Paruit Eccleſiæ deinceps Bononiæ Civitas per aliquot annos, quo tempore è Gallia Gregorius XI. Pont. Max. in Italiam rediit: ſed cum adhuc rerum novarum aliqui cupidi eſſent Bartholomæo Saliceto id agente, Schacheſiorum factio, & Maltraverſa, ut appellabant, in amicitiam rediere: ſingulos enim domi Bartholomæus convenit, itaut multos, & Beccatellos præcipuè Pepulis amicos fecerit. paceq; hac firmata, Legatus Apoſtolicus, qui urbi præerat, eſt ejectus, noviq; ſunt Magiſtratus creati. XII. enim cives qui Antianorum nomine urbi præeſſent, ſingulis bimeſtribus ſunt delecti: ex quibus qui caput aliorum erat, Vexillifer juſtitiæ appellabarur: fuitque primus eo in ordine Taddæus Beccatellus. factiq; ſunt etiam Tribuni plebis, quorum in numero Lippus Beccatellus traditur.

Verum cum multis ſtatus is Reip. non placeret, ægrèq; ferrent ſe ab Eccleſia diſceſſiſſe, conſilium inierunt de civitate Pont. Max. reſtituenda: quod cum innotuiſſet, multi no-

biles,

biles, qui in id conſenſerant, capitali ſupplicio ſunt affecti: quorum in numero Matthæus, & Lippus Beccatellus fuere.

Paucis deinde interiectis menſibus, exercituq; Pontificio, qui è militibus Britannis maximè conſtabat, ad urbem accedente cum Legato Pontificis Cardinali, & Joanne Acuto Anglo copiarum Præfecto, nonnulla oppida in eorum poteſtatem venere. At cum civium factio, quæ Eccleſiæ adverſabatur, amicos Eccleſiæ in urbe timeret, multos ex his in exilium miſit, inter quos quinq; ex gente noſtra fuiſſe commemorant, ita ſenſim labefactata domus priſtinas vires & ſplendorem amittebat.

Sed cum interim nobiles, qui in urbe remanſerant, Remp. adminiſtrarent, & populo non ſatisfacerent, plebs indignatione commota arma capeſcens, omnes ferè ab urbe expulit, & quoſdam carceri addixit, ſtatumq; Reip. reformavit, quatuor Legatis ad ſummum Pont. Romam miſſis, res omnes controverſæ cum Eccleſia ſedatæ ſunt: receptaq; ſunt oppida, quæ ab exercitu fuerant occupata. 1378

Mortuo interea Romæ Gregorio Pont. Max. ſchiſma ortum eſt, cum duo creati fuerint Pontifices, Urbanus ſcilicet VI. Romæ, & Clemens VII. Fundis: quæ diviſio multos duravit annos, magno cum detrimento Reip. Chriſtianæ. Parebat Thuſcia, & Lombardia Romano Pont. alteri verò reliqua Italia: cumq; Bononienſibus ſuos miſiſſet Clemens Papa Legatos magnis cum pollicitationibus, & præmiis, ſi ſuas partes ſequi voluiſſent: Bononienſes, qui Urbanum, ut verum Pont. agnoſcebant, Clementis Legatos non admiſerunt. & cum è Repub. omnia adminiſtrarentur, miſſus eſt Joannes Beccatellus, qui oppidis, & agro omni Imolenſi præeſſet. Bellum deinde illatum eſt Ubaldinis, qui in Apennini 1385 jugo Bononienſium fines infeſtabant. Affuit ea in expeditione Vexillifer juſtitiæ cum nonnullis copiarum præfectis, quorum unus fuit Tartarus Beccatellus.

Latè tunc in Italia Jo. Galeatius Vicecomes Dux primus Mediolani dominabatur, Bononiamq; ditioni ſuæ adjungere cupiebat: cui cum multi ex nobilibus faverent, conſilio eorum detecto, nonnulli in carcerem conjecti, alii in exilium

miſſi

miſſi ſunt: quidam verò ultimo ſupplicio affecti. Bello deinde ſubſecuto inter Vicecomites, & Bononienſes, Tarta-
1391 rus Beccatellus, qui in ſuſpitionem Magiſtratibus venerat ob verba quædam magnificè dicta in quinquennium apud Jadrenſes eſt relegatus.

Pace deinde cum Jo. Galeatio facta Civitas cum Bonifacio IX. Pont. Max. pacto convenit, ut in ſingulos annos cenſus nomine ſanctæ Eccleſiæ Romanæ florenorum quinque millia perſolveret. Ita rebus compoſitis læti omnes vivebant, & eo maximè quòd Pontifex privilegia, & indulgentias benignè Civitati fuerat elargitus.

Sed hæc Reipub. quies diuturna non fuit: nam conſpirantibus pluribus ex nobilibus, adſcitiſq; exulibus Rempub. oppreſſere, & libros publicos combuſſerunt. Itaq; Carolus Zam-
1398 biccarius, qui tunc authoritate cæteris præſtabat, Bononiæ Dominus factus eſt, qui ſtatim ab exilio plurimos revocavit, in primiſq; Bartholomæum Salicetum, qui Ferrariæ jus civile publicè docebat.

Sed anno inſequenti, qui peſtilens maximè fuit, cum populi albis veſtibus induti, ſupplicationibus publicè decretis ad alios accederent, veniam à Deo Optimo delictorum poſcentes, Carolus mortem obiit, Civitaſq; libertatem nacta, exules, quos Carolus fecerat, revocavit: formamq; Reip. denuo renovare tentavit: ſed fatis neſcio quibus exagitata, id aſſequi non potuit.

Vivebat tunc Jo. Galeatius Vicecomes Dux Mediolani, formidabilis principibus omnibus, in Italia præſertim, & eò maximè, quòd Rubertum Imperatorem, qui in Italiam à Florentinis arceſſitus adverſus illum exercitu venerat, ad lacum Benacum fuderat. ratuſq; ſe poſſe Florentinos facilè in poteſtatem redigere, in eos caſtra movit: ſtatimq; Bononienſes eſt aggreſſus, qui cum Florentinis ſentiebant. Erat tunc in urbe Bononia Jo. Bentivolus potens, & civium ferè princeps, qui auxiliis Florentinorum nixus cum copiis Galeatii, quarum Dux erat Albericus Cunii Comes, congredi propè Bononiam eſt auſus, ſed prælio victus in urbem ſe recepit, in quam & hoſtes unà ſunt ingreſſi, biduoque urbe potiti; Joannes, qui latitabat, in forum eſt perductus,

ubi

ubi ſeditione populari vulneribus confoſſus occubuit. ſicq; 1401
in poteſtatem Joannis Galeatii Civitas devenit. Qui eodem anno mortuus eſt relictis filiis, à dominio quorum Civitas ſe exemit, & Balthaſſari Coſſæ Cardinali Legato tradidit: qui arcem propè Galeriæ portam renovari juſſit, nobileſq; quoſdam, quorum potentiam ſuſpectam habebat, exilio mulctavit.

Concilium interim, ut ſchiſma tolleretur, Piſis à Cardinali- 1409
bus eſt convocatum, in quo Alexander V. renunciatus eſt Pontifex, cum alii duo tunc etiam ſupereſſent Pontifices, Gregorius ſcilicet XII. in Italia, & Benedictus in Gallia. Qui Pont. Alexander anno inſequenti Bononiam venit, maximo à Civitate exceptus concurſu: ſed non multo poſt mortuus opera, ut creditur, Balthaſſaris Coſſæ Apuli Cardinalis, qui Bononiæ ab aliis Cardinalibus, qui cum Alexandro
erant, factus eſt Pontifex, dictuſq; Joannes XXIII. & anno 1410
inſequenti inde decedens ut Romam peteret, Legatum urbi præfecit, quem Civitas populari commota ſeditione ejecit. Quod diu nobiles non ferentes, iterum ſpontè ſub ditionem Eccleſiæ venere. Nec multo poſt Joannes Pontifex 1413
Bononiam rediit, cum ad Concilium Conſtantienſe proficiſceretur: ubi denique cum aliis duobus qui tunc vivebant
Pontificibus, dignitate Pontificia eſt privatus: creatuſque 1417
Pont. Max. ſummo totius Concilii conſenſu Martinus V. Columna. Cum interim Civitas Bononiæ ab Eccleſia deſciviſſet, arcemque illam jam multoties inſtauratam evertiſſet, potentes in urbe tum prævalebant Bentivoli, & Caneduli, urbſq; libertatis ſpeciem præſeferebat, & Magiſtratus creabat, qui Reip. præeſſent: in quibus noſtrorum nulla fit mentio, niſi quòd quatuorviros, qui luxui, & pompis præeſſent, creatos commemorant, quorum unum Philippum Beccatellum tradunt.

Sed in Italiam cum rediiſſet Martinus Pont. Mantuæq; ſubſtitiſſet, & exercitum cogeret, ut Bononiam obſideret, illa quibuſdam appoſitis conditionibus, in poteſtatem Eccleſiæ venit.

At non multis interiectis annis, cum Caneduli principatum in 1428
civitate appeterent, Antonio Bentivolo expulſo, Legatum

Pontificis ejecerunt: quo novum bellum eſt exortum, cum
1432 ad urbem obſidendam exercitus Pontificis cum Antonio Bentivolo acceſſiſſet, re tamen fruſtra pluries tentata. Sed vita functo Martino Pont. in ejuſq; locum ſubrogato Eugenio V. pax Bononienſibus data eſt, qui ſub poteſtatem Eccleſiæ redierunt, miſſiq; publicè Romam ad ſummum Pont. Legati IX. quorum unus fuit Beccatellus Beccatellus. Hæc aliquantò prolixius quam propoſueram recenſui, ut in crebris mutationibus patriæ noſtræ, quas paulo ante commemoravi, modicam, aut nullam noſtrorum mentionem fieri animadverteretur, cum illi ſuperioribus cladibus, ut puto, debilitati, recentioribus in turbis quieſcerent.

Canedulorum factio, quæ Eccleſiæ Dominium ægrè ferebat, urbem ſub poteſtate Philippi Mariæ Ducis Mediolani redegit: cujus exercitus copias Eccleſiæ, & Venetorum ad Imolam fudit. ſed non multo poſt Mediolani Dux pace cum Eugenio Pont. facta, urbem illi Bononiam reſtituit, à qua Caneduli receſſere, & Eugenius in illam ſuum miſit Præfe-
1435 ctum, qui arcem diſiectam denuò conſtrui mandavit, & nobiles quoſdam neci dedit, quod univerſam conturbavit Civitatem.

Anno inſequenti Eugenius Pontifex Bononiam venit, cum Ferrariam Concilii cauſa peteret: ſed poſtea Concilio Florentiam translato, factionum quorundam potentia Civitas ab Eccleſia diſceſſit, iterumq; in poteſtatem Ducis Mediolani venit, qui ſuum ad illam miſit Præfectum Nicolaum Piccininum: cujus filius Franciſcus Annibalem Bentivolum, & alios nobiles captos in oppidis quibuſdam agri Parmenſis carceri tradidit. Sed Annibale amicorum ope clam liberato,
1443 civitas à Vicecomite defecit, novamq; libertatis forma introducta arcem eſt demolita.

Erant Bentivoli, & Caneduli amicitia, & affinitate conjuncti: ſed cum utriq; principatum appeterent, per inſidias Caneduli interfecere Annibalem Bentivolum, quem amici ſtatim
1445 ulti ſunt, Caneduliq; in exilium miſſi. Er deinde Bentivolorum domus viribus aucta, principatum facilè in urbe obtinuit, ita ut Joannes Annibalis filius in ea veluti Dominus
1506 multos perſeveraverit annos, donec Julius II. Pont. Max.

aſcito

aſcito Gallorum exercitu, qui Mediolanum Duce capto obtinebant, illum vi expulit; à quo tempore ferè ſemper Civitas Bononiæ Eccleſiæ paruit, & gentiles noſtri, qui ſuperfuerant, in pace longum quievere tempus: nec Remp. attigerunt, niſi quatenus eis more aliorum civium aliqui Magiſtratus traditi ſunt. ſed rem ſuam privatam procurantes in otio honeſto, quæ laude digna viſa ſunt, non intermiſere. aliqui enim variis literarum ſtudiis ſe applicuere: alii foris magis quàm domi militiæ operam navarunt, ut Ludovicus avus, & Carolus pater meus: qui cum ab adoleſcentia Regis Gallorum ſtipendia meruiſſet, & cum Lautreco ejus exercitus Imperatore eſſet, quo tempore Neapolim infeliciſſimè obſedit, mari in Galliam revertens à piratis captus, Tunetum productus eſt: ubi in Muleaſſis Regis poteſtate per XVI. menſes fuit, donec ab avariſſimo Rege multa vi pecuniæ ſe redemit. Qua in captivitate, ut ab illo ſæpe audivi, multum vobis Beccatellis Siculis, & præcipuè Colæ Panhormi ſecreto debere ſe dixit, cum illi in omnium rerum inopia apud Barbaros conſtituto non defuiſſet. Noviſtis etiam, ut arbitror, Paullum Beccatellum, qui apud Vos in Sicilia ſuperioribus annis fuit, cum Illuſtriſs. Ferdinandus Gonzaga Regno illi pro Regis nomine præeſſet: qui adeo Paullum ob fidem, & ejus in re bellica virtutem amavit, ut illum veteranorum militum cohorti præfecerit in bello, quod in Aphrica geſſit: ubi Paullus ſe majori etiam honore dignum oſtendit, quo certè illum Ferdinandus ornaſſet, niſi immatura morte captus diem obiiſſet extremum. Non defuerunt etiam ex noſtris, nec deſunt adhuc, qui religioni, & pietati Chriſtianæ dediti, ſacris literis operam dantes, vitam ſanctiſſimè in monaſteriis degant, æterno potius Regi famulari, quàm terrenis principibus eligentes. Fuere & alii, qui dignitates Eccleſiaſticas in patria ſint aſſequuti: & qui etiam in curia Romana cum laude vixerint. nam patrum memoria ſub Alexandro VI. & Julio II. Pontificibus Max. Cæſar Beccatellus Federico Sanſeverinati Cardinali Illuſtriſs. à ſecretis, & familiaris chariſſimus, ingenii præſtantia & virtute nedum patrono, & univerſæ Romanæ Curiæ acceptus, ſed apud Prin-

cipes

cipes Italiæ omnes gratioſus fuit, magnoq; ſemper habitus in honore. Et noſtra ætate Ludovicus patruus meus, qui à Paulo III. Pont. Max. Epiſcopali dignitate ornatus, à Julio III. poſtmodum Legatus ad Remp. Venetam miſſus eſt: quo in munere quartum jam agit annum, &, ni fallor, non ſine laude & gentis, & patriæ noſtræ. Sed quando Beccatellorum hiſtoriam, & originem qua potui brevitate, ſum complexus, non ab re mihi facere videbor, ſi aliqua etiam de inſignibus ejuſdem gentis, quibus omnes utimur, ut à doctis viris quandoq; audivi, breviter attingam.

Memoriæ proditum eſt apud veteres in uſu fuiſſe, ut qui aliqua laude præſtabant, pro ingenii cujuſcumq; captu ſcuto quo in bellis utebantur, ſymbolum affigerent, quo ab aliis dignoſcerentur: hincq; factum eſt, ut ad poſteros cujuſq; gentis inſignia devenerint, varia, & diverſa, ut eorum fuerunt authores. Noſtri alam Aquilæ auream cruri, & pedi innixam in campo cœruleo geſtarunt: cujus rei duplex tradita eſt ſignificatio. Putant nonnulli hoc ſymbolo id contineri, quod aliàs alibi ſæpe in proverbio uſurpatum eſt. Tardè ſcilicet feſtinandum: hoc eſt omnia maturè agendum, cum alam celeritatem, pedem verò moram, & lentitudinem innuere ſit manifeſtum. alii verò ſignificationem aliam afferunt, cum dicant hoc emblemate illud oſtendi, Nobis ſcilicet à terrenis ad cœleſtia mentem levandam, cum pedem terram ingredi, alam verò cœlum verſus tendere ſolitam videamus. Utrum hoc ſit, an illud vel tertium quoddam author intenderit, ſanè conſtat inſignia hæc gentis noſtræ ſemper fuiſſe, quod & adhuc columnæ marmoreæ ſepulchra vetuſta Bononiæ præſeferunt.

Hæc in ſumma qualiacunq; ſint de gente noſtra tibi Reverendiſs. Pater expoſui, dum Patrui magis monita, quàm meas vires conſidero. Potuiſſem multa addere, & familias plurimas in patria noſtra nobilitate, & rebus geſtis inſignes adnumerare; at non Bononiæ hiſtoriam, ſed gentis noſtræ caſus tantùm attingere volui. Sunt illa ab aliis ſcriptoribus illuſtrata, è quorum libris facilè perdiſci poſſunt.

Upereſſet nunc, ſi Beccatellorum ornamenta, & ſolidas laudes complecti poſſem, gentis veſtræ, quæ Panhormi reſi-

det,

det, & virorum præſtantia, & divitiis, & dignitatibus ornata refulget, hiſtoriam ut adnecterem. ſed majori illa volumine, & ſtylo graviore indigent: non enim exigua, aut levia ſunt, quæ ducentis jam tranſactis annis, Siciliæ in Regno gens veſtra geſſit, quæ nedum familiæ, ſed patriæ etiam, à cujus nomine nunc cognominatur, ſplendorem affert eximium. Fuere in ea, & ſunt hodie Regni ejus dignitates præcipuæ, adeoq; ampla, & gratioſa eſt, ut ferè nemo in Sicilia ſit illuſtri ſanguine natus, qui illi non ſit affinitate conjunctus. Protulit hæc ſemper omni in genere laudum egregios viros, ut Simonem olim Archiepiſcopum Panhormitanum, & Bernardinum Meſſanæ Archiepiſcopum, & alios innumeros Eccleſiaſticis dignitatibus ornatos. Omitto Conſiliarios Regios, & præſtantem fratrem tuum Joannem Jacobum, Regni Siciliæ Regentem penès Carolum V. Imperatorem ſemper Auguſtum, qui illum cariſſimum habuit; & tuam hic tacebo virtutem, cujus ſplendore domus noſtra illuſtrata refulget, nedum Siciliæ & Italiæ omni, ſed Hiſpaniis etiam, libetq; ſperare majora, modo ſuperſit vita. Sed his, ut dixi, meæ ſunt vires impares, vobis altero opus eſt Antonio, & fortaſſe non deerit, qui ut meriti eſtis vos, & majores veſtros laudibus exornet dignis. Mihi ſat erit dum Patruo obtempero meo, ſi hæc tibi non ingrata fuiſſe intellexero, propinquorumque noſtrorum, qui & Panhormi, & Neapoli degunt, amorem excitavero, ut patriæ antiquæ non obliviſcantur, noſq; ut ex eadem radice ortos, licet felicius plantæ veſtræ creverint, caros ſemper habeant, & ament, quod nos ut bonos decet agnatos erga vos omnes facere non intermittemus. Vale ſacrorum Antiſtitum, & domus Beccatellæ decus egregium, & ſcriptis Antonii noſtri, quæ nunc edimus, fruere.

Bononiæ Calendis Octobribus MDLIII.

Digitized by Google

ÆNEAS

EPISCOPUS SENENSIUM

ANTONIO PANORMITÆ

POETÆ CLARISSIMO S.P.D.

SYlveſter Chimenſis antiſtes cujus conſilio in ſuam me curiam Fridericus Imperator arceſſivit, dictatas à me literas cum aliquando examinandas accepiſſet, remitteretq; plerumq; maculatas magis quàm emendatas, interrogatus cur aptiſſimo verbo remoto reddidiſſet ineptum, atqui non vidiſſe me inquit ſcripta tua ſuſpicari poteras, ſi nihil immutatum reperiſſes. Idem mihi in Alphonſo tuo faciundum fuit, Antoni oratorum & poëtarum limatiſſime. Nam quæ de rege maximo & optimo olim ſcripſeras, ut legerem corrigereque juſſiſti. Legere potui, quod feci, corrigere vero non potui. Nam quid eſt quod manu tua emiſſum correctione indigeat? Vulgo dicitur, nihil dictum eſſe quod nequeat dici melius. At hoc in rebus tuis falſum Virgilianum carmen quàm dicteria tua corrigi promptius fuerit. Legimus aliquando Socraticum Xenophontem, neſcimus qua eloquentia homo Græcus eluceat; ignoramus enim damno noſtro Græcas literas, de latinis ſi quod eſt judicium noſtrum, neq; ille translatus ſe Antonio, neq; Socratem Alphonſo parem facit. Nam & tu Xenophontem hunc eloquentia ſuperas & Alphonſus ſapientia Socratem antecedit Quid plura? Apophthegmata Plutarchi Philelphus in latinum vertit. Dicta illic factaq; memoratu digna breviter comprehenſa ſunt illuſtrium virorum, quos non Oriens modo, ſed Græcia ſimul & Roma protulit. Majora tamen & illuſtriora de uno Alphonſo tuus liber explicat. Felix tu igitur, cui tantus Princeps ſcribendus occurrit, felix Alphonſus qui te ad conſecranda ejus geſta idoneum offendit. Nam neq; tibi materiam uberiorem invenire, neq; illi ſcriptorem elegantiorem obtingere facile fuerat. Verum ego ut eò redeam, unde digreſſus ſum, Silveſtri tenebo morem, annotabo pleraq; non tanquam mutanda ſint, vel quòd meum judicium anteponam tuo, ſed ut me librum vidiſſe ac legiſſe intelligas, quod tunc verum maximè judicabis, cum per ſingula capita tui operis aliquid me videris eſſe commentum.

AU-

AUGUSTIS

PRINCIPIBUS

Eiſdemque Chriſtianiſſimis

CAROLO V.

IMPERATORI SACRATISSIMO,

AC EJUS FRATRI GERMANO CÆS.

FERDINANDO I.

Rom. Hungariæ, Bohemiæq; Regi inclyto

JACOBUS SPIEGELIUS

SELESTADIENSIS CLIENTULUS. S. D.

QUamquam is ſemper fuit Antiquitatis genius, ea dignitas ac reverentia, Principes Auguſti, Carole Imperator ſacratiſſime, ac Cæſar Ferdinande rex inclyte, ut quicquid hæc nobis commendat, gratius fit atque acceptius, ſive quia de remotiſſimis plerumq; excellentior opinio, ſeu quia proximis minus favemus tantum non nos gravantibus, adeò hinc exoleſcit invidia, tamen haud video cur recentiorum clarorum virorum vel facta vel dicta contemni debeant, quæ ipſa aliquando futura ſunt antiqua, præſertim literarum conſecrata monumentis. Nam ut donemus pluſculum autoritatis ineſſe veterum Apophthegmatis Laconum, Philoſophorum, Imperatorumq; ſi quis in oratione vel opere ſerio citet, certe quidem ex recentioribus ac nuperis non minus fructus percipere licebit, & haud ſcio an etiam efficacius nos admoneant tanquam de proximo viſa aut audita. Enimvero admirabilis exiſtit utrorumque utilitas, dum quid agendum ſequendumve ſit docent, aut quid fugiendum, æque commonſtrant. Itaq; magnam olim laudem Plutarchus ille Chæroneus meruit, qui Trajano Cæſari Apophtegmata virorum inſignium collegit: Nec multo minorem Antonius Panormita, deſcriptis avorum memoria Alphonſi Aragonum regis factis dictiſque memorabilibus. Cui ſuparem τῶν παραλλήλων libellum commentarii titulo Æneas Sylvius dicavit, is qui ex Aula Auguſtæ recordationis abavi tui Friderici Imperatoris ad ſummum tandem Pontificatum evectus eſt, Pii Secundi nomine orbi notus, haud diſpliciturum, ut reor, his quibus Germanica non prorſus ſordent, cujus generis ille permulta admiſcuit. Equidem prior libellus exemplis & ſcitè dictis Alphonſi Regis Majeſtatem veſtram inſtruet, poſterior non tam Alphonſi quàm majorum veſtrorum Rudolphi, Sigiſmundi, Alberti, Friderici Cæſarum aliorumq; Germaniæ principum cum facta tum dicta οὐκ ἀπροσδιονύσως recenſens, idem præſtabit: Imò non ſolum ea quæ in Germaniis, ſed & quæ in Italia, Britannia, Hungaria ac circumſitis regionibus nunc graviter nunc facetè geſta atque dicta comperit homo ferè πολύτροπος qui mores multorum vidit & urbes, quod de Ulyſſe ſuo ſcripſit Homerus, toties per nullas non provincias obitis legationibus

bus

bus & Cæſarei comitatus perpetuus aſſecla, ea, inquam, omnia in hoc commentario oppidò quàm faliciter applicat, cum Alphonſinis externa per ſingula capita conferens. Quorum lectio M. V. majori ni fallor delectatione afficiet. Quis enim non à domeſticis malit hujuſmodi exempla petere quàm ab alienis. Eſt ſanè aliquid tot illuſtreis heroas, imò Auguſtos habere in ſuo ſtemmate, quorum fortitudinem, prudentiam, acumen præ aliis hoc celebrat opuſculum, quod ego M. V. cui omnia debeo gratum facturus, & illuſtravi Scholiolis, & ab innumeris mendis quibus ſcatebat vindicavi Principes Chriſtianiſſimi. Movemini tituli novitate fortaſſis, qui tamen Auguſtorum eſt proprius, ut teſtimoniis ex antiquitate petitis conſtare poteſt, non alia ratione Galliarum regibus attributus, niſi quòd Germanicæ originis è Francis veteres illi reges Carolus Magnus & Ludovicus Pius Imperii Romani faſcibus ſciſcente Quiritum populo, fuere exornati. Quod ſuper eſt, quando patriæ meæ inter oblviviſci nequeo, cui ſecundum Deum & parentes plurimum debeo M. V. Rempub. Seleſtadienſem unicè commendo, tueri, conſervare, & evehere hanc ut pergatis tot jam ſeculis in fide Cæſarum permanentem, ac majoribus veſtris deditiſſimam. Licere id petere mihi à clementia veſtra haud temere puto, ob pridem cognitos eis fidem diuturnosq; labores, quos pro eiſdem pertulimus treis Seleſtadienſes, ego, Majus frater, Beatus Arnoaldus, à me ſub Cæſ. Maximiliano ad ſacri ſcrinii operas obeundas fideliter formati, quorum immaturi deceſſus recordatio & mihi & patriæ non poteſt non eſſe acerba ſemper, quæ ſit M. V. in omni re commendata. Datum Seleſtadii tertia Maji. Anno M. D. XXX. VII.

ANTONII PANORMITÆ
DE DICTIS ET FACTIS
ALPHONSI REGIS ARAGONUM
LIBER I.
PROOEMIUM.

Xenophon is, quem Græci non ab re Muſam Atticam vocant, dictorum & factorum Socratis commentarios edidit, quicquid à ſapientiſſimo viro diceretur, efficereturve memoria ac celebratione dignum exiſtimans; Cujus ego conſilium uſq; adeò laudo proboq;, ut mihi ſemper excellentiſſimorum hominum veſtigia atramento & calamo obſervari debere viſum ſit, nec quicquam eorum quæ dicerent, aut facerent fruſtra elabi permittare. Noſtris quidem temporibus etſi non contigit virum videre, ut quondam oraculo Apollinis ſapientiſſimum judicatum, certe contigit Alphonſum intueri, qui ſine controverſia regum principumq; omnium, quos noſtra ætas tulerit & ſapientiſſimus & fortiſſimus haberetur. Cujus dicta aut facta tanto cariora eſſe debebunt, & memoria digna majore, quanto pauciores vel omnibus ſeculis reges inventi ſunt, ingenio ſapientiaq; præſtantes. Nam philoſophi, quiq; doctrinam aliquam profitentur, ſtudiis tantummodo ſuis intenti aliena omnia contemnentes, haud mirum videri debet, ſi ſingulis ætatibus plures & docti & ſapientes evadunt. Reges vero ac terrarum principes rempublicam domi militiæq; gerentes, plerumq; aſſentatoribus circumſeſſos, atq; iis qui ad voluptatum potius exercitia admoveant quàm doctrinæ, firmos & conſtantes ſi invenias, neque à ſtudiis bonarum artium abhorrentes, non tu hos ſupra modum admiraberis & in cœlum uſq; laudibus vehes? Recte mediusfidius majores noſtri, illi quidem vetuſtiores, ſi regem aliquem inter voluptates moderatum, inter adulatores firmum, inter vana pleraq; principum exercitia doctrinæ ſtudia haud ommittentem animadverterent, inter Deos protinus referre conſuevere, quorum nomina ad noſtram uſque memoriam, & dies, & menſes, & ſydera in deos conſcripta teſtantur, ac celebrant. Itaq; nobis nec dicta nec facta literis merito tradenda deſunt, quinimo talia ſeſe offerunt, ut neq; de philoſopho, neq; de rege ferè ullo unquam graviora, vel jucundiora vel legeris vel audieris. Sed Xenophon planè ipſe nobis deeſt, qui ſua illa ſuaviloquentia Alphonſi regis præclara facinora monumentis atque immortalitati mandaret. Ego namq;, ut ingenuè fatear, imbecillitatem meam, ſat ſcio, me nequaquam tanti viri laudes pro dignitate conſequi poſſe. Majores aliquanto ſunt quàm ut mediocriter docti hominis vires patiantur. Sed quid? Erò ne ingratus in ſeculum noſtrum, aut in hunc, qui ſeculum noſtrum gloria exornat? Sanè ſi in altero de duobus percunctandum ſit, præſtabit utiq; indocti, quam ingrati nomen induere. Alios ſaltem præclaro & immortali ingenio viros ad honeſtiſſimum hoc certamen excitabo, quodque tubicinis officium eſt, haud equidem facere erubeſcam.

Aere ciere viros, Martemq; accendere cantu.

AL-

Adn. Syl. in Procem. *Alphonſus tanto eſt Socrate major, quanto gravior Romanus homo, quàm Græcus putatur. Et quanto difficilius eſt reges, quàm privatos homines philoſophari.*

ALPHONSI
REGIS
DICTORUM ET FACTORUM
LIBER I.

1 ORABANT, & quidem ſuppliciter Joannæ Neapolitanorum reginæ oratores Alphonſum, ut deſtitutæ omni ope reginæ auxilium ferret, iis refragabantur ferè omnes regis conſiliarii, durum & perquam anceps fore bellum dictitantes, apud genus hominum armis exercitatum, induſtria atq; opibus pollens potenſque, & præſertim apud mulierem ingenio mobili & incoſtanti. Tum rex accepimus, inquit, Herculem etiam non rogatum laborantibus ſubvenire conſueſſe. Nos reginæ, nos fœminæ, nos afflictæ, nos demum tantopere roganti opem ferre dubitabimua? Grave quippe bellum ſuſceptum eſſe fateor, verùm eò præclarius futurum. Sine labore & periculo nemo adhuc gloriam conſecutus eſt. *Fortiter.*

2 Illud graviter & juſtè dictum in nobilem quendam virum prodigum vel in primis recenſeamus. Quibuſdam à rege magnopere petentibus ne ſaltem in corpus lueret debita, quæ ille plurima per luxum libidinemque contraxerat: Reſpondiſſe ajunt, nobilem hunc neq; ſui regis gratia, neq; patriæ commodo, neque propinquorum & amicorum ære alieno ſuſcepto tam grande patrimonium profudiſſe, quinimo ſubſtantiam ſuam omnem corpori indulſiſſe; In corpus igitur luere æquius eſſe. *Juſtè.*

3 Cum Lucas medicus vir diſertiſſimus orationem apud regem habuiſſet, eumq; exquiſitis & heroicis laudibus extuliſſet, ferunt finita oratione regem dixiſſe. *Modeſtè.* *Reges de-*

---

1 Adnot.Syl. *Hunc novum Herculem ſibi auxilio eſſe & Senenſes erant, quibus tanto juſtius fuerit opem ferre, quanto indignius opprimuntur. Quòd ſi rex ſolitus eſt laborantibus etiam cum periculo ſubvenire, Senenſes certe non deſeret, quos vel ſolo verbo reddere tutos & quietos poteſt.*

2 *In Anglia, quæ quondam Britannia dicta eſt, qui extra matrimonium mulieribus commiſcentur, deprehenſi, ſacerdotis imperio die feſto in proceſſu cleri ac populi adeſſe jubentur, & retentis fœmoralibus nudi eccleſiam circuire ardentem cereum manu geſtantes. Si quem pœnæ pudet, is auro noxam redimit. Mannus quidam Florentinus qui ſæpe data pecunia effugiſſet pœnam, rurſus deprehenſus ſubire quàm dare argentum ſtatuit. Die dicto, ad eccleſiam longo pallio contectus venit, quo in media turba virorum fœminarumq; depoſito, omni ex parte nudus remanſit. Ac indignante ſacerdote, & fœmoralia ut reſumeret jubente. Minimè, inquit, gentium. Nam pudenda hæc, quæ peccaverunt, ea potiſſimum dare pœnas decet.*

3 *Baltaſſar Coſſa, qui pontificatum unde-*

cet ſe præ- xiſſe. Si vera ſunt Luca quæ de me prædicas, Deo optimo maximo gratias ago: *bere laudi-* Sin aliter, vera ut iſtæc faciat oro atq; obſecro.

bus dignos. 4 Navigabamus ex Sicilia in triremi cum ipſo rege nonnulli, quos ſingula-*Prudenter.* tim ille comites delegerat, quibus mos erat mane regem in puppi officii cauſa ſalutare, & offendimus eum aliquando demitantem gatrias aves triremim circumvolantes, attentaſq; ſi quis bolus triremi decideret, certatim illum arripere, quæq; arripuiſſet celeriter illam aufugere. Hæc contemplans rex mox converſus ad nos ait, perſimiles ſunt his garriis purpurati & curiales aliquot mei: ſimulac enim aliquod officium aut beneficium dimicantes invicem à me acceperunt, profugiunt.

Sapienter. 5 Hiſpanos vero quingentis atq; eo amplius annis à ſtudiis humanitatis, uſq; adeò abhorrentes, ut qui literis operam impenderent, ignominia propemodum notarentur, ad literarum cultum ſic revocavit, ut rudes propeq; efferatos homines doctrina quodam modo reformaverit.

Facetè. 6 Cum audiſſet quendam ex Hiſpaniæ regibus ſolitum dicere, non decere *Graviter.* generoſum & nobilem virum eſſe literatum, exclamaſſe ferunt, vocem hanc non regis, ſed bovis eſſe.

7 Erat Alphonſus in agro Matricienſi, nec dum ſatis deliberaverat utrum Franciſcum Sphortiam, an Nicolaum Picininum in amicitiam, & ſocietatem admiſſurus eſſet, & erat alterum duntaxat propter illorum inter ſe ſimultates admiſſurus. Cum interim Matricenſes legati regem adeuntes petierunt, ut ex ipſius voluntate Nicolao ne, an Franciſco gratificari deberent. Quibus regem reſpon-*Prudenter.* diſſe, qui aderant, perhibent, utroſque tanquam amicos habendos eſſe, ſed ab utriſq; tanquam inimicis cavendum.

Facetè. 8 Harpyis legebamus inſulas incoli conſuetas, cumq; inſularis quiſpiam id ægre ferret, dixiſſe ſcimus Alphonſum, Non eſt quod frontem obducas ò amice. Ex inſulis enim in curiam Romanam commigraſſe Harpyias compertum eſt. Ibiq; jam domicilium conſtituiſſe.

9 Bellum Neapolitanum ſemel ingenti atq; invicto animo cum ſuſcepiſſet, nulla poſtea vi, nullo periculo, nulla clade, nullis deniq; difficultatibus averti

aut

---

adeptus maximum, Joannes tertius & viceſimus dictus eſt, ſæpe numero ſupra modum laudatus inquit, quamvis mentita eſſe ſcio, quæ de me præclarè dicuntur, iis tamen vocibus me oblecta.

4 *Sapiunt mea quidem ſententia, qui accepto aliquo beneficio vel mediocri, curiæ valedicunt. Oſtendunt enim animum ſuum expletum eſſe, & periculos ſe ſubtrahunt, quod in curiales frequenter accidit, qui veluti ſues ubi ſaginati ſunt in cœnam domini mactantur. Cæterum qui opes adepti magnas apud reges perſeverant, non quidem id agunt ut gratias referant, ſed vel tuto abire nequeunt, vel eis nihil ſatis eſſe præ ſe ferunt.*

5 *Si Gothis ac Longobardis tales reges fuiſſent, neq; mutilatum Livium, neque aliorum detrimenta autorum deploraremus.*

6 *Cum Alphonſum ego ex Bajis Puteolos uſq; ſequerer, eſſetque illi ad me ſermo de literis. Ait ſe legiſſe librum Auguſtini de civitate Dei ex Latino ſermone in Gallicam linguam tranſlatum, in cujus proœmia ſcriptum eſſet, Regem illiteratum nihil alud niſi aſinum coronatum eſſe. Atq; ita ſibi videri affirmavit.*

7 *Pari, ut mihi videtur, prudentia erga Iacobum Picinini filium Alphonſus utitur. Cui ut amico ſubvenit, ab eo tamen, ut hoſte, cavet.*

8 *Harpyas arbitror fuiſſe quàm plurimas. Nam curiam ego adhuc nullam hiſce avibus vacuam vidi.*

9 *Cœptis quæ quidem juſta ſunt, decet regem invictum adhibere animum. Ac fortunam ferendo vincere. At ubi conatus iniquus eſt, præſtat vinci quàm vincere,*

10 *Hie*

aut deterreri potuit ab incepto: quinimo à fortuna nonnunquam projectum, vel in hoſtium poteſtatem perductum, ſurrexiſſe vidimus, multoque acrius quàm antè conſtitiſſe, incredibiliq; pertinacia bellum omnium fere difficillimum, poſt ſecundum demum & viceſimum annum confeciſſe, mortaleſq; omnes exemplo ſuo admonuiſſe, fortunam ferendo ſuperari poſſe. *Fortiter & conſtanter.*

10 Cum adhuc graviter ex febri rex jaceret, & Auriſpa ſenins doctus vir ad eum viſitandi gratia accederet, ſubito fores aperiri juſſit, & in cubiculum penitus admitti, inibi illum multa cum eo de ſtudiis literarum, multa de erroribus Hieronymi hæretici mirum in modum diſſeruiſſe tradunt, quamvis morbo vehementer implicatum. *Fortiter & ſtudioſè.*

11 Cum poculum quo rex ipſe biberat Gaſpari generoſo adoleſcentulo dari juberet, & Pirretus pincerna Gaſparis inimicus, quamvis ſemel bis & tertium juſſus dare renueret, permotum regem ſurrexiſſe ajunt, pugionemq; ſtrinxiſſe, ac fugientem Pirretum adſecutum, ne jam prehenſum iratus feriret, pugionem in media ira abjeciſſe. *Patienter & Modeſtè.*

12 Capuam vero cum exercitu tranſeunti Alphonſo miles quidam ira effervefcens in foro ipſo obviam factus, comprehenſis equi loris regem ſiſtere coëgit, neq; prius dimiſit, quàm quæ libuiſſet in regem etiam armatum petulanter effudiſſet: Rex nihilo magis animo commotus ire perrexit, convieiatorem ne paullulum quidem conſpicatus. *Patienter.*

13 Cum inter cœnandum à difficili & importuno quodam ſene uſque adeò interpellaretur, ut vix edendi poteſtas eſſet, ſubclamaſſe dicitur, Aſinorum conditionem longe meliorem quam regum, illis quidem comedentibus dominos parcere, regibus neminem. *Facetè.*

14 Cum Puteolos obſideret rex, atq; animi laxandi cauſa litus quotidie peteret, repperit viri Genuenſis cadaver è triremi hoſtium ejectum, litori appulſum: quo viſo, celeriter equo deſiliit, iiſque qui propè aderant omnibus deſilire juſſis, aliis negocium dat, ut terram effodiant, aliis ut nudum corpus obvolant: Ipſe vero crucem ligneam ſua manu fabricatus humati ipſius capiti affixit. *Piè.*

15 Cajetam urbem pertinaciter obſidente Alphonſo, coacti ſunt oppidani ob famem qua maxime urgebantur, pueros, puellas, & ætatem omnem bello inutilem è civitate expellere. Ejecti igitur paullulumq; progreſſi, neceſſariò ſubſtitere, *Miſericorditer.*

---

10 *Hieronymum hæreticum, de quo ſenior Auriſpa cum rege diſputat, intelligo Bohemum fuiſſe qui Conſtantiæ crematus eſt, cum impiè de religione ſentiret. Adde igitur ſi places Hieronymi patriam, ut quod nos ſcimus, poſteros haud lateat.*

11 *Venceslaus Rex Bohemiæ, Sigiſmundi frater, Caroli quarti Romanorum Imperatoris filius & heres, miniſtri offenſus verbo, è menſa conſurgens, arrepto pugione amicum interfecit. Alexander Macedo, correpto telo in Clytum per mortem chariſſimi hominis, iræ ſuæ ſatisfecit, ſibi ſe non ſatisfeciſſe pœnitentia facti docuit. Melior itaq; Alphonſus utroq; qui primo iracundiæ motui, ut homo ſuccubuit, ſed ſecundum ut rationalis homo pervicit, ac parvulos ſuos, ut ait ille, illiſit ad petram.*

12 *Sigiſmundus Imperator conviciantì Bajorario creditori calaphum incuſſit, mox pœnitentia ductus, debitum omne perſolvit. Modeſtior rex quàm Imperator, ſed fortaſſe non tam huic equiti regis modeſtia, quàm Bajorario Cæſaris ira ſalutaris fuit.*

13 *Si ſine literis eſſet Alphonſus, liceret cœnanti ſibi, ut aſino coronato, quietem expetere. At docti regis nullam vitæ partem quietam eſſe fas eſt, niſi quam ſibi ſomnus vendicat.*

14 *Quid facit in ſuos cives Alphonſus, cum etiam in hoſtes pius ſit.*

15 *Miſericordem regem unum vel hoc fa-*

tere, nam & redire à ſuis ferro, ſaxiſq; prohibebantur, & ingredi regis caſtra nondum facultas erat. Erat interim cernere miſerabilem illam multitudinem ad ſuorum ſimul & hoſtium ictus expoſitam, Parentum pariter & natorum comploratiönes, tum regis tum ſuorum fidem ac miſericordiam inclamantium. Interea exagitari, impelli, vulnerari, confici: tum rex ab iis abſtinere ſeſe milites ſuos juſſit, patrumq; concilium advocari. Cenſuerunt ferè omnes haud quaquam excipiendos eſſe. Si ferro aut fame interierint, ſuorum civium noxam non regis aut regiorum eſſe. Ego quoq; (ut errorem meum ingenuè fatear) ſententiam rogatus dixi, Lege militari recipiendos non eſſe. Quippe quæ obſeſſis ac fame laborantibus præcipit, uti bello inutiles ejiciant. Contrà verò qui obſident, ejectos omnino ne admittant, ſed rejiciant potius. Converſi eramus omnes in regem, deliberationem ejus avidiſſimè expectantes. Tum ille, & ego malo, inquit, Cajeta & Cajetanis nunquam potiri, quam tam fœdè tamq; crudeliter vincere: cum viris mihi dimicatio eſt, non cum mulieribus ac pueris. O Regem immortalitate digniſſimum, quiq; univerſum genus humanum gubernat & regat: victoriam quæ impia & luctuoſa eſſet nullam judicavit. Igitur omnem ſexum atq; ætatem imbellem excipi juſſit, exceptos omnes abundè refici atq; refocillari.

Studioſè. 16 Lectioni T. Livii qua vel maxime rex demulcebatur cum aliquando tubicines obſtreperent, abigi eos (quamvis Muſicæ dediti ſſimus) juſſit. Jam velut multo ſuaviorem, quam ipſorum harmoniam auditurus.

Modeſtè. 17 Parantem vero regem triumphalem currum inſcendere, non defuerunt *Facetè.* qui admonerent ut triumphantium more vultum minio illiniret, quibus reſpon- *Sic Comillus* diſſe fertur: minium Baccho ſoli convenire, qui non ſolum triumphi, ſed vini *triumphavit.* etiam repertor extitiſſet.

vid. Plinium 18 Virginibus vero omnibus Chriſti Dei veriſſimi ſacris initiari cupienti- *c.7.lib.33.* bus, dotem ſine qua haud recipi mos eſt, regem elargitum conſtat. Cumque *Liberaliter.* eſſent ferè innumeræ quæ dotis ſpe propoſita mundo renuntiarent, ſacraſq; nuptias adirent, nunquam tamen à tam liberali & religioſo propoſito deſtitiſſe. Imò vero quanto plures ſeſe quotidie ad ſacerdotium offerrent, eò libentius atq; benignius omnes excipere atq; dotare conſueſſe.

Graviter. 19 Amico & familiari cuidam regi ſuadenti, ut tranquillè & voluptuosè, dum poſſet, vitam ageret, nec corpus tot tantiſque periculis objectaret, Reſpon-

---

factum Deo optimo & maximo proximum facit. Verum cum victoriam rex abhorreat, fœditate & crudelitate partam exiſtimandum eſt. Neq; iis eum auxilio eſſe, qui bella per omne nefas gerunt.

16 *Cum Neapolim in arce nova de pace Tuſciæ, deq; mittenda in Albaniam Picinino per hos dies ageremus, ſtudioſum T. Livii regem animadvertimus, quem ſæpe teſtem citavit, dum cavendum eſſe diceret, ne primam belli fortunam adverſam experiremur. Nam præſagium finis ex initio concipi ſolitum autore Livio atteſtabatur.*

17 *Sigiſmundi Cæſaris proverbium fuit, Ignarum eſſe regnandi, qui ſimulare neſciret. Vera ratio, nec vultum nec animum mendacia obtegentem regem probat.*

18 *Simili liberalitate uſum regem accepimus in pauperes presbiteros, qui divinam rem primum faciunt.*

19 *Friderico Celejæ comiti, qui ob amorem concubinæ uxorem interfecit, atque deinde inter ſcorta vitam turpiſſimam agens abhinc anno proxima vita deceſſit, ait ex amiciſſimis annum jam ſupra nonageſimum agis, nec minus voluptati ſervis, quàm ſi ſis adoleſcens. Age jam demum moriturum te ſcito, atq; de ſepulchro cogita. Cui Fridericus iſtuc, inquit, ago. Nam ſepulchrali marmori hoc epigramma inſculpendum ſtatui. Hæc mihi porta eſt ad inferos. Quid illic reperiam neſcio. Scio*

quæ

Digitized by Google

ſpondiſſe dicitur, Non temere à Romanis illis quidem ſapientioribus, Honoris templo Virtutis templum conjunctum, in quod niſi per virtutis templum introire liceret nemini, ut intelligerent mortales ad ſummos honores non voluptatum via (quæ delitiis atq; illecebris affluens eſſet) ſed virtutis illa quidem aſpera & ſalebroſa enitendum eſſe.

20 Veneris autem quadam die pro tribunali ſedentem Alphonſum vidimus pauperibus tantummodo jus dicentem. Cur ita? ut tantæ majeſtatis præſentia (quam pauperrimo cuiq; adire facile liceret) abſtineant potentiores ab tenuiorum injuriis & offenſis, ac jus ſuum cuique & habere & poſſidere fas ſit. *Juſtè.*

21 Cum amœniſſimum Picentiæ agrum Surrentinum pervaſtaret Alphonſus, ingemuiſſe frequenter viſus eſt, crebroq; per caduceatorem oppidanos oraſſe, ne id ipſorum pertinacia committerent, quod poſtea ejus lenitate ac miſericordia corrigi non poſſet. *Juſtè & humaniter.*

22 Cum ſenex quidam & natura & ætate audacior ex ſenatorum numero regem argueret, quod contra patrum ferè omnium ſententiam bellum capeſſeret, magnificè locutum ferunt, regum conſiliarios aut reges eſſe, aut regum animos habere oportere: plurima interdum conſiliariis & privatis convenire, quæ regem non decerent: pecuniam capere Parmenioni licuiſſe, Alexandro non licuiſſe. Ignobilem profectò & obſcurum nociturum regi, qui non ſuo ipſius, ſed alieno duceretur arbitrio. *Sapienter & fortiter.*

23 Arcem regiam, quam novam Neapolitani vocant, à fundamento Alphonſus reſtituit, & ita demum novis operibus ampliavit, ut cum omni vetuſtate poſſit de magnificentia contendere. *Magnificè.*

24 Scimus Alphonſum regem veſtitu cultuq; corporis moderatè uſum, neq; hac in re multum diſcrepaſſe à popularibus ſuis. Illudq; ſæpenumero uſurpare conſuetum, cupere ſe moribus & autoritate potius regem videri, quàm diademate aut purpura. *Modeſtè. Graviter.*

25 Proficiſcebamur adverſus Capuam. Cumque rex itineris primus offendiſſet *Humaniter.*

---

quæ reliqui, abundavi bonis omnibus, ex quibus nihil fero mecum, nec quod bibi atque edi, Quodque inexhauſta voluptas exhauſit. Tum amicus Sardanapli epitaphium, inquit memoras, quod Ariſtotele teſte, non hominis, ſed bovis ſepulchro inſcribendum fuit.

20 *Ex ducibus tranſalpinis unum novimus qui ſingulis diebus venientibus facile præberet aditum, non quidem juris dicendi aut adminiſtrandæ juſtitiæ cupiditate, ſed ut munuſcula ipſe tolleret, quæ ad curiales ferebantur. Nec tres duoſve nummos, quos vocant Bohemicales, è manu pauperis auferre verebatur.*

21 *Hetruria nec agrorum amœnitate nec virtute virorum Picentiæ agro cedit. Ea nunc vaſtatur, non gemitu regis egemus, ſed voluntate quam dicis eum in Surrentinos habuiſſe, cum pacis & belli potens ſit.*

22 *Aut noſcere per ſeſe regem omnia optaverim, qualis Alphonſus eſt. Aut adeò dementem eſſe, ut catena conſtrictus conſiliariorum arbitrio regatur.*

23 *Fridericus imperator Viennæ & in nova civitate Auſtriæ arces magnificè inſtauravit. At Sigiſmundus olim Budæ. Cæterum Alphonſus & nova quæcunq; viderim opera & vetuſta ſupergreſſus eſt, neq; Darii regiam Neapolitanæ arci comparandam fuiſſe putarim.*

24 *Franci quibus rex eſſet ſola purpura & diademate conſpicuus, illi crines totonderunt, & retruſo in monaſterium nebulone, autoritate Zachariæ Romani pontificis Pipinum ſubſtituerunt, quem non veſtis aurea, ſed ſpectata inter bonos moderatio & autoritas regia culmine dignum fecerat.*

25 *Adjutor aſinario rex factus, non-nul-*

diſſet Aſinarium gementem, implorantemq; prætereuntium auxilium, propterea quòd aſellus ſibi prolapſus eſſet in luto farina oneratus, deſilire equo, qui non longo admodum intervallo ſequebamur, regem vidimus, atq; unà cum ruſtico, hunc à cauda, regem à pectore Aſinum cœno hærentem ſublevaſſe: eo appulſi regem exterſimus. Aſinarius vero qui regem prius non noverat prætrepidus veniam precabatur: parvi quidem momenti res, ſed quæ nonnullos Campaniæ populos regi conciliaverit.

Piè. El Fri. ordi-ser. 26 Exceptis à rege impuberibus, ſenibus, omnique ſexu bellis haud quaquam utili, quos Cajetani obſeſſi ob penuriam annonæ civitate expuliſſent, quidam regi dixit, ſi tu hos non admiſiſſes, Cajetani paucis poſt diebus ſeſe dediſſent. At ego, rex reſpondit, pluris facio eorum vitas, quàm Cajetas centum: facinus profecto regium & memorabile ac diis immortalibus in primis gratum acceptumque. Quam enim urbem per id tempus quadraginta fermè millium conatu capere nequiſſet, poſtea ſoluta, ac diu deſita jam obſidione, ſine vi, ſine armis, numinis tamen benignitate & gratitudine in ditionem redegit.

Facetè. fert. Criſpinus. 27 Triſponius juriſconſultus cum trecentos aureos Alphonſeos quod ſuperat doris, furto ſurreptos perdidiſſet, ac propterea animo angereretur, & eſſet ſibi viva adhuc uxor, & illa quidem admodum informis, dixiſſe perhibent regem, longe illi melius ſi uxorem quàm pecuniam fures abſtuliſſent.

Iuſtè. Fortiter. 28 Cum eſſet jam contra Venetos ac Florentinos potentiſſimos Italiæ populos ab Alphonſo haud quidem injuria bellum ſuſceptum, ac propterea Neapoli adverſus eos magna animi fiducia contendiſſet, Florentini primum, mox Veneti oratores in agro Pelignenſium facti ſunt obviam, pacem ab armato perhumiliter poſtulantes. Quibus regem prompto ac læto animo dixiſſe conſtat, neq; aliud ullum pacis datæ pretium exiſtimaſſe, quàm hoſtes genibus advolutos ad ſe, pacem dediſſe.

Graviter. 29 Cum regiorum pleriq; gloriæ ſtudio flagrantes permoleſtè ferrent, quòd rex Venetis ac Florentinis pacem dediſſet, velut in eo bello magnificum, ac glorioſum aliquod facinus edituri, à quo poſtea fruſtrati eſſent pace comparata. Rex id quod erat ſuſpicatus aliquando, jam nactus dixiſſe perhibetur.

Bo-

---

nullos Campaniæ populos ſibi conciliavit. At ſi Senenſibus opem tulerit pacemq; laboranti Tuſciæ dederit, & illius provinciæ, & univerſarum Italiæ civitatum tutor & pater appellabitur.

26 *Quos ſævitia & crudelitate territos ſubegeris, ut metuas ſemper neceſſe eſt, quos tua ſibi pietas miſericordiaq; conciliaverit, perpetuo fidos invenias.*

27 *Hugoni Senenſi, quem noſtra ætas medicorum principem appellavit, uxor fuit nomine Ladia ex familia Sozinorum. In qua frequens virtus, forma rara. Hanc Hugo quòd deformis eſſet Ladiam bonam vocitare ſolebat, atq; omni patrimonio privari quàm conjuge maluiſſet. Itaq; poteſt amari deformis, mala non poteſt. Criſpini fortaſſe nec morum ſuavitas, neq; forma fuit.*

28 *Armatus rex juſti belli cauſa dum contra Florentinos, Venetoſq; exercitum ducit, occurrentibus in agro Pelignenſi hoſtium legatis, & ſe victos profitentibus pacem dedit. At Senenſes antè ſe ſuperatos fatentur quàm rex armetur, & obvoluti pedibus ejus veniam petunt. Quippe tanto glorioſius his, quàm illis rex ignoverit, quanto potentiores ſunt Veneti & Florentini quàm Senenſes. Nam illis videri poteſt idcirco pax reddita, quòd cœpti regem pœniteret, tanquam magnas & opulentas civitates vincere deſperaret: Conceſſam Senenſi populo nemo ex clementia regia non profectam addubitabit.*

29 *Picinino quoq; permoleſtum fortaſſe fuerit, Senenſibus pacem reddi, qui*

mi-

Bono animo eſtote commilitones. Nam & virtuti veſtræ, mihi credite, neq; locus neq; honos deerit, & mihi per quàm ſpecioſum fuit petentibus pacem dare. Ita arma capere conſuevimus ut ſine cruore, ſi id modo fieri poteſt, victoriam adipiſcamur. Et quid aliud, pacem tam ſubmiſsè petentes confitentur, quàm ſe victos eſſe.

30 Affirmare ſolitum regem accepimus, ſi nullum omnino aliud regnum, *Facetè.* nullam provinciam præter Calabriam, aut haberet, aut habiturus eſſet, illam protinus ſe relicturum, privatumq; & civem vivere potius velle, quàm illorum qui nihil hominis habent præter figuram ineptias tolerare, quamvis dominum aut regem.

31 Super lectionem Annæi Senecæ, quem præcipuè rex coluit, atq; per- *Sapienter* didicit, quæſitum eſt ab Alphonſo Davolo purpuratorum humaniſſimo, Cur animus mortalium ita immenſus atque inſatiabilis foret. Cui ab Alphonſo his penè verbis ſatis eſt factum. Animum hominis à Deo profectum non prius conquieſcere quàm eò rediret, unde profectus eſſet. Eſſe procul dubio animum noſtrum Dei & æternitatis capacem, propterea neque impleri, neque ſatiari poſſe, iis rebus quæ fluxæ & incertæ eſſent. Sed Deum ipſum veluti naturalem ſedem & ſuum quodam modo perfectum bonum appetere, hoc eſt ſolidum & perfectum bonum.

32 Cum legeremus aliquando Didonis Virgilianæ mortem, & inter legen- *Facetè.* dum terra moveretur, atq; ob id qui aderamus omnes improviſa & repentina re perculſos, rex intueretur: Novum ne, inquit, vobis videtur, ſi in morte tam celebris reginæ terra intremiſcit.

33 Peroptare regem audivimus, uti popularium ſuorum unuſquiſque rex *Graviter* extitiſſet, quo demum illi, utpote experti, cognoſcerent principum occupationes & curas. Hoc uno forſitan modo fieri poſſe, ut deſinerent moleſti & importuni eſſe.

34 Confecto jam gravi ac diuturno bello, triumphoq; regi decreto atq; *Moderatè* parato. Jam negaſſe ajunt, regulos & nationes, quas viciſſet circumpræire de- *Clementer.* bere captivorum ſorte, quinimo tanquam ſocios perquàm honorificè ſequi juſſiſſe. Sed

mitiſſimi populi damna, ſibi & opes & gloriam quærit. Sed nec virtuti ejus ſi modeſtior fuerit & regis imperio ſeſe commiſerit, aut locus aut honor deerit.

30 *Regum primogenitis, qui reges futuri ſunt, non ab re hujus regimen ducatus committitur. Nam cum Calabrorum ineptias experti fuerint, eaſq; tolerare didicerint, aliorum populorum facile mores ferent.*

31 *Alphonſi quæſtio recte ſoluta eſt. At poterit ne ille amplius quærere, ſi Deum ipſum velut naturalem ſedem appetit animus? Cur tam invitus eò tendit, quò ire appetit, præſertim cum hoc bono in terris frui nequeamus?*

32 *Apud Julianum ſancti Angeli Cardinalem doctiſſimum atq; integerrimum patrem Flavianis ſupra Danubium, cui civitati nunc Vienna eſt nomen, cum cœnarem, fuiſſetq; de Baſilienſi concilio multus ſermo, & inter cœnandum terram moveri intueremur, diſcamberetq; ſimul Joannes cognomento Amicus Agrippinenſium legatus, qui diceret ſurgendum è menſa & in patentes campos abeundum. Bono animo, inquit Julianus, ô amici eſtote, de ſynodo Baſilienſi locuti ſumus, quæ omnem eccleſiam tremeſcit, non tamen illiſit. Ita nec nos terræ motus iſte conſternoverit.*

33 *Gaſpar Schlick, qui trium Cæſarum Cancellarius fuit, optare ſe dicebat, omnes reges aliquando privatos pauperesq; fuiſſe: neq; enim ſatis miſeretur, qui nunquam fuit miſer.*

34 *Gloria certe longe major eſt ſervati quàm cæſi hoſtis, tantoq; triumphus illuſtrior, quanto plures relicti ſunt,*

ſe. Sed & gloriari ſolitum accepimus, quòd non millibus hoſtium cæſis, ſed rectius ſervatis triumphandi legem imperatoribus primus dediſſet.

Magnificè Religiosè. 35 Ludos autem Chriſtianos magnificentiſſimo apparatu, devotiſſima ac ſolenni repreſentatione ingenti hominum frequentia, ac celebritate quotannis edentem Alphonſum perſpectavimus. Imò vero cum accepiſſet Hetruſcus hiuſmodi ludos ſingulari induſtria commentus eſſe, ne hac ſaltem in re, quæ ad divinum cultum pertineret, à quoquam mortalium vinceretur, omnia perſcrutatum atq; exploratum eò miſiſſe. Explorata longè præclarius atq; artificioſus expreſſiſſe.

Fidenter. 36 Admonuit modo Tuſcia, ut animoſi regis fiduciam, qua mortales omneis anteceſſit exprimamus. Coſmas Florentinus Alphonſo male pacatus vir, alioqui magnus & illuſtris, cum dono ei mitteret Livii libros utiq; præclaros, reclamatum eſt à medicis, qui aderant, ne per immortales deos librum attrectaret ab hoſte miſſum veneni ſuſpectum. Rex prima facie viſus eſt medicis aſſentiri, illis animo illudens. Nam cum Livius in medio conſtitutus eſſet, illum manibus accepit, legit, evolvit. Subinde medicos qui continuè adverſarentur rogitans, ut deſinerent ineptire. Regum quidem animas non privatorum libidini ſubjectas eſſe, ſed ſub Dei cura & tutela ſacras, lætaſq; agere inquiens.

Patienter Moderatè. 37 Nonnullos de ſe bene meritos, ſed ipſum probris clàm ſultos lacerare, rex cum audiſſet: Regum eſſe, inquit, non ſolum benefacere, ſed mala etiam patienter audire. Ingratos profectò nequaquam effecturos, quo minus ipſe & humanus & beneficus perſtaret.

Sapienter. 38 Erat inter purpuratos aliquando orta quæſtio. Cur Hyppocritæ natura ſuperbi eſſent, Publicani vero manſueti. Et quum alii aliud, ut fit, ſentirent, Regem demum ita definientem audivimus publicanorum vitia, ut plurimum, manifeſta eſſe: Puta luxuriam, gulam, illiberalitatem & cætera ejuſmodi, quæ quoniam hominum oculis ſubjecta forent ſolverentur in ruborem, verecundiam & humilitatèm: Hypocritarum vero vitia in occulto latere, ut potè odium, invidiam, melevolentiam, iniquitatem, quæ cum in arcano tolerari diutius non poſſint, erumpant in ſuperbiam, neceſſe eſt, iram item arrogantiam & inſolentiam.

Scho-

ſunt, de quibus triumphetur.

35 *Magnificentiſſimos eos fuiſſe ludos ex Friderico Imperatore accepimus, qui eo præſente per ſacram hebdomadam editi ſunt, anno poſt jubilæum altero. Nos autem ludos, quos Gallici perſonagia vocant, mirificos & nuſquam ſimiles Lauſannæ vidimus, quæ civitas Lemano adjacet lacui.*

36 *Pharmacum ſecurus Alexander accepit, paratum à Philippo medico, quem corruptum auro Perſico ſcripſerat Antipater: uterq; medicus, ille arte, hic familia, in ſuſpitionis periculum incidit.*

37 *In Fridericum Cæſarem tertium cum nonnulli dicta probroſa jactaſſent, referentibus aulicis: An neſcitis, inquit Fridericus, principes quaſi ſignum ad ſagittam expoſitos eſſe. Turres quidem fulgura præaltas feriunt, humilia tecta prætereunt. At nobiſcum bene agitur, ſi verbis tantum impetimur.*

38 *Hypocritarum vitam coràm Friderico Cæſare accuſabat Gaſpar Schlichius, abiturumq; ſeſe aliquando in loca dicebat, quæ hiſce hominum monſtris vacua eſſent. Cui Fridericus, ultra Sauromatas erga, inquit, & glacialem oceanum tibi eundum eſt. Sed cum eò veneris non omnino carebit hypocriſi locus, ſi modo & tu homo, non Deus es. Inter mortales enim nemo eſt, qui non ex aliqua parte fictus, fucatuſq; ſit.*

Ser-

39 Scholas & auditoria, in quibus maxime Theologia publicè legeretur magnificè adornari curavit. Nec adornari ſolum, ſed interfuit ipſe lectioni, non pallio & crepidulis inambulans in gymnaſio, ut Scipio ille, ſed attentiſſimo animo, & toto, ut ajunt pectore incumbens, quodq; & doctis imitandum, & ignavis rudibuſq; pudori ſit, pedes, & ſi ſatis longe diſtaret auditorium, ad lectionem venire non dubitavit. *Magnificè.* *Studioſè.*

40 Cum Calaciam obſideret Alphonſus omnium primus tormenta ænea inuſitatæ magnitudinis per aſperum & acclivem montem præter omnium opinionem muris admovit. Deinde me & Americum Sanſeverinum Capacii comitem virum illuſtrem legatos deſtinans, oppidanis renunciare juſſit, niſi propere, ac prius etiam quam tormenta laxari inciperent, deditionem feciſſet, nullum poſtea eis relinqui pœnitentiæ locum. Acceſſi, perſuaſimus: eumq; grati aliquid afferre putaremus, quòd Calacienſes imperata feciſſent, noſtrum fuit potius, quæ rex ipſe tunc diceret, & audire, & annotare. Erat in corona ducum atq; procerum Nicolai Picinini viri magnæ virtutis, partim videlicet animi magnitudinem, partim rei militaris peritiam, partim autoritatem, partim res præclariſſimè geſtas enarrantium, in quibus exorſus eſt Picininomaſtix quidam, primum quòd genere obſcurus foret, utpote Lanionis filius, eaque ipſa propalàm dicerent. Tum rex nebulonis illius impudentiam inique ferens, Ego mediusfidius malo, inquit, Nicolaus eſſe macellarii filius, quam aliquot regum, qui Europam incolunt, & filius & hæres: gloriæ enim genus haud quaquam officere, quin potius præcipuam eſſe laudem exiſtimo, ut poſſit ſe quiſque ut poeta dixit; Tollere humo, victorque virûm volitare per ora. *Graviter.*

41 Senex quidam male ſobrius regi obviam factus. Cum dixiſſet, iac ſenis *Facetè.*

---

39 *Sermonem habuit coram Alphonſo in Cœtu Domini Antonius quidam Siculus ordinem divi Dominici profeſſus, ſive facto gloriabundus ſeſe regi obtulit, & quaſi parum ex pulpito gannviſſet, novas de ſacramento altaris quæſtiunculas introduxit. Cui rex obſecro, inquit, Rabbi, vas aureum aperuit quiſpiam, in quo ante menſem eucharistiam condiderat, nihil ibi præter vermiculum reperit. Ex auro quod mundiſſimum puriſſimumq; fuit, & undique clauſum, non potuit vermis naſci, neq; ex accidentibus, quæ illic ſine ſubjecto aderant: Ergo ex Chriſti corpore productus vermis, ot ex ſubſtantia Dei quid aliud quàm Deus prodeot? Vermis igitur Deus: quid tu ad hæc? Obticuit Monachus. Nos qui eramus in corona, Theologicas ab rege ſcholas haud fruſtra viſitatas fuiſſe cognovimus.*

40 *Novitate gaudens Italia nihil habet ſtabile, nullum in ea vetus regnum, facile hic ex ſervis reges videat. Picininum lanionis filium, quaſi regem noſtra ætas venerata eſt. Det illi rei militaris peritiam, at inter homines, qui vel fugere vel capi, quàm mori nolunt: Joannem de Hunniad apud Hungaros, apud Albanos Scanderbechium, apud Bohemos Pogebratium, apud Theutones Albertum Marchionem Brandenburgenſem meo judicio belli duces egregios exiſtimes, qui cum ſæpe hoſtes vicerint, nunquam tamen incruentam victoriam reportarunt.*

At milites Italici mercatores videntur, ut equos & arma dedant ut liberi evadant: nimirum mercatorum ſtipendia merentur. Regis tamen vera ſententia eſt:

Malo pater tibi ſit Therſites, dummodo tu ſit
Æacidæ ſimilis, vulcaniq; arma capeſſas,
Quàm te Therſitæ ſimilem producat Achilles.

At ſæpius Herculem ex macellario, quàm ex Hercule prognatum Picininum reperies.

41 *Henricus Goriciæ comes militibus &*

nis vinum eſſe. Parvo igitur, inquit, tuum tibi conſtat alimentum, parvo &, ut video, Bacchi lætitia: verum hæc ſeni. Ad comites autem converſus, Regum, inquit, cibus eſt gloria, quam nobis non pecunia, ſed ſudoribus Dii vendere conſueverunt.

Graviter. Juſtè.

42 In Calaciæ obſidione cum adhuc eſſemus, & eſſet de Viriato Luſitano inter regem & me non injucunda diſſenſio, quod ego inter Viriati laudes maxime præferebam, quòd cibum veſtitumq; quibus paſtor aut venator uti conſueverat nunquam poſtea deſeruiſſet, licet imperator, & victor ille per continuos XIIII. annos conſules, exercituſque Romanos attriviſſet, ſupervenit huic ſermoni Simoninus Durrea purpuratorum princeps præfectus caſtris. Cumque locum, qui inter regem & me medius erat, equo invectus capere inſtaret, Rex vultu retinens prohibuit, aſſerens locum illum cum de literis, aut cognitione antiquitatis ageretur non purpuratorum, ſed togatorum eſſe. Ceſſit ergo Simoninus. Rex vero ad Luſitanum ſuum reverſus: Recte, inquit, nonnulli virum hunc Hiſpanorum Romulum appellarunt, recte item Romani eos, qui talem virum quamvis hoſtem interemiſſent, indignos præmio judicarunt.

Attentè Studioſè.

43 Ægrotabat rex Capuæ, & multi multa pro ſuo quiſque ingenio, ac ſtudio oblectamenta, muneraq; ægro regi cum excogitarent, ego quoq; à Cajeta arceſſitus ſtatim advolavi deferens & ipſe mecum fomenta & medelas meas, hoc eſt libellos, quos ego intelligebam, illi quàm maxime placituros, in quibus Curtium bonis, ut ajunt, auſpiciis legendum exhibui. Ilic res geſtas

---

& optimatibus fuit. Is duos ex uxore Hungara nobili & prudenti Fœmina filios, quos antequam pueritiam exuerent in thalamo ſuo apud ſe habuit, eoſq; inter dormiendum media nocte ſæpius vocitare, & an ſitirent interrogare ſolitus erat, quibus tacentibus (nam altus ſomnus eos oppreſſerat) ſurgens ipſe vinum ingerebat, illiſq; recuſantibus, ac evomentibus vinum, converſus ad uxorem, Ex alio concepiſti meretrix, neq; enim filii mei ſunt, qui noctem integram nil ſitientes dormiunt. Leonardus Felſechius nobilis eques, cum in Lipſienſem civitatem perveniſſet, in qua Saxones liberales artes ediſcunt, percunctareturq; Sobrinus ſuus, qui tum forte illic ſtudii cauſa degebat, quidnam & quantum profeciſſet. Homo qui noſſet eum & coauditor ejus eſſet, optime, inquit, ſe habet amicus tuus. Nam inter mille & quingentos qui adſumus ſcholares, hic unus bibendi palmam obtinet. Neq; ingrata ſeſe homo nunciaſſe putavit. Eſt enim mos apud Saxones dum conveniunt, hos primo loco ponere, qui plus adbiberint, cumq; ludum ad æquales hauſtus compotationem vocant. Hulderieus de nova domo inter Bohemos proceres, operibus & autoritate facile princeps liberos ſuos, quàm primum ablactatos novit, ad uſum vini exercuit. Neq; Auſtralia, neq; Bavarica quæ leviora ſunt, ſed Cretenſia, Tergeſtinaq; & quæ vocant Traminica his miniſtrari juſſit. Interrogatus à Friderico Cæſare qua ratione id ageret, aſſuefacti, reſpondit illi, liberi mei cum adoleverint, quantum voluerint bibent, neq; vino capientur. Sapis, inquit Fridericus, hoc ipſum Mitridates factitavit. At mihi ſi filius aliquando fuerit, niſi vinum oderit, eum ipſum oderim. Ceterum ſi regum cibus gloria eſt, ut Alphonſus ait, ea ſe gloria privari non ſinet quam conſecutus eſt Italia pacata, bellumq; ſi quod exoriri timor eſt, in Turcas vertet, illiſque formidabilem ſeſe oſtenderit.

42 *Viriatus non male Hiſpanorum Romulus appellatus eſt. Alphonſum vero ejuſdem gentis Julium, et ſi pacem Tuſciæ reddiderit Italorum Auguſtum non ab re vocaverimus.*

43 *Haud mirum ſi lecto Curtio rex ægra valetudine levatus eſt. Nam dum*

ſtas Alexandri à diſertiſſimo viro perſcriptas: ea hilaritate, ea aviditate, ea denique felicitate cœpit audire, ut quòd medici obſtupeſcerent eodem ipſo die, quo legere cœperamus, ægra omni valetudine levatus ac pene confirmatus evaſerit. Itaq; poſthabitis cæteris omnibus animi laxamentis, ſingulis diebus ternas facete lectiones pertexsimus breviq; librum abſolvimus. Exque eo die frequenter in medicos rex jocatus, Avicennam velut parabolanum parvifacere, Curtium laudibus cumulare.

44 Cum inclytam illam arcem Neapolitanam inſtaurare Inſtituiſſet, Vitru- *Studiosè.*
vii librum, qui de architectura inſcribitur, afferri ad ſe juſſit. Allatus eſt, *Facetè.*
quandoquidem in promtu erat Vitruvius meus, ſine ornatu aliquo, ſine aſſeribus; quem rex ſimul atque inſpexit, non decere hunc potiſſimum librum, qui nos quomodo contegamur, tam belle doceat, detectum incedere, eumq; mihi perquàm politè ac ſubitò cooperiri mandavit.

45 Scipionem irridere ſolitum regem accepimus, quòd ſaltatione animum *Graviter*
relaxaret. Saltatorem ab inſano nihil differre dicentem, niſi quod hic dum ſaltat, ille dum vivit inſanus eſt. Qua ex cauſſa Gallos potiſſimum leves eſſe, qui quo magis ætate provecti eſſent, eo magis ſaltatione, hoc eſt inſania, ſeſe oblectarent.

46 Jannotius Manettus Florentinorum legatus ad regem prolixam, nec mi- *Attentè*
nus elegantem orationem habens, dum pronunciaret, attentionem, patientiamq; regis apprimè miratus eſt, quòd ne oculos quidem à ſe diutiſſime dicente minimum deflexiſſet, nec manus moviſſet: ſed & illud in primis memoria dignum judicavit, quòd cum à principio ſtatim orationis naſo regia muſca ſuperſediſſet, non priuſquàm peroratum eſſet, rex illam abegiſſet. Ego quoque meis

---

dum legit apud illum Alexandri facinora, majorem ſeſe orbis domitorem cognoſcit, qui neq; iracundiæ neque vino vincitur, quibus Alexander ipſe ſuccubuit.

44 *Detectum eſſe Vitruvium, qui quo pacto contegamur edocet, indignum regi viſum eſt. At nec Senenſes ìntectos à rege relinqui docet, qui detectos ſibi hoſtes oſtenderit.*

45 *Dicentem ſæpenumero Fridericum audivimus, malle ſe febri teneri, quàm ſaltationi operam dare. At Galli ut quàm leviſſimè ſaltent, veſtium, quibus nec nates, turpe dictu, viſuq;, obtegunt, uſum invenere. Sequitur Hiſpania Gallicas ineptias. Italia vero damnat, deteſtatur, abhorret. Nam quid turpius, quàm ita veſtitum eſſe hominem, ut quaſi nudus pudenda quæq; in propatulo habeat.*

46 *Dantem ferunt ad ſpectacula ductum, apud venditorem librorum, quod ex ejus taberna in forum proſpectus eſſet, conſediſſe, librumq;, cujus fuiſſet cupidus inveniſſe, quem tam avide attenteq; legerit, ut domum rediens juramento firmaverit, nihil ſe vidiſſe, aut audiſſe ex iis, quæ in foro dicta factàve eſſent. Verum de muſca, quoniam mentio incidit, referendum eſt Gallici principis exemplum. Convivium illi cum optimatibus ſuis fuit apparatum in horto æſtate media, ſub opaca ulmo, circum quam provolitantium muſcarum agmina in dapes ac vina provolvebantur. Convivæ, quibus animantis fœditas ſtomachum moveret, mox ut muſca in poculum cecidit, vinum ſimul atque animal effudere. Ægrè id cernere princeps, jacturamque vini tacitus indignari. Nam queri palàm inter magnos, qui aderant proceres, non eſt auſus. Sed quos arguere verbo veritus eſt, exemplo admonuit. Puerum qui ſe coram flabello muſcas abigebat, ventulumq; faciebat, ceſſare paullulum jubet. Interea & in craterem ſuum grandior muſca incidit; tum latus princeps duobus digitis dextram alitis alam apprehendit, & aliquandiu craterem ſuprà excutiens, ne quid vini ſecum deferret, in terram projecit, exemplum*

Hom. Illiad 31. meis hiſce adnoramentis hujuſmodi factum propterea inſerendum exiſtimavi, quòd Homcrum legeram inter prælia deorum improbitatem muſcæ de-
Studiosè. ſcribere.

Facetè. 47 Allatum eſt à Cajetanis quibuſdam male literatis, M. Tullii ſepulcrum extare adhuc juxta Formias in via Romana vetuſtis literis inſcriptum. Quod rex ut primum accepit, lætitia penè perditus, ire nihil cunctatus eſt, & ſentibus rubiſq; primo tumulum purgans, mox legere incepians, non M. Tullii, ſed M. Vitruvii epigramma eſſe comperit. Irrito itaq; labore rediens ac vultum riſu ſolvens, Cajetanos, inquit, ex Minerva oleum quidem accepiſſe, ſed ſapientiam amiſiſſe.

Obſervanter. 48 In oppugnatione Cajetæ cum aliquando defeciſſent ad tormenta ænea portentoſæ illius amplitudinis ſaxa, nec aliunde haberi facilius poſſent, quam ex villa, quæ ab incolis inveterata opinione adhuc dicitur Ciceronis fuiſſe: ut alicunde diſquirerent iſtiuſmodi ſaxa juſſit, ſibi Ciceronis villam, ſi ſaperent, inviolatam ſervarent. Malle ſe dixit, tormenta & machinas valere ſinere, nulliq; uſui eſſe, quàm injuria afficere, vel ſaxa illius viri, qui tot tantoſq; homines ab injuria, ac capitis periculo vindicaſſet patrocinio ſuo.

Sapienter. 49 Legebamus Annæi Senecæ epiſtolas, atque aderat Franciſcus Sachetus Florentinorum legatus, vir eloquentiſſimus, ac Ludovicus Cardona celebratiſſimi nominis Theologus, multique præterea docti, & clari viri, quærebantque ſuper præcepto Hecatonis tantopere a Seneca laudato, Si vis amari, ama, Num quid in aliquo falleretur, eſſetque, videlicet, ut quis amaret, nec mutuo tamen amaretur. Hic cum multi multa fermeque omnes Hecatonis & Senecæ dictum probarent ſuſciperentque, Ego, rex inquit, pace omnium dixerim, aliter ſentio. Eſt mea quidem ſententia, ut quis amet, nec viciſſim redametur, & quis aut certius aut flagrantius diligit, quàm qui homines fecit, atq; hominum cauſſa omnia fecit? Cumq; id ita eſſe nemo vivus ambigat, quis tamen eſt qui mutua charitate Deum complectatur? Imò vero quod mirabilius, aut potius deteſtabilius eſt, cum aut hunc aut illum hominem amantibus nobis interdum in officio non reſpondeatur, Deum vero amantibus certiſſima ſit illius charitas, nec charitas ſolum, ſed amoris merces perpetua lux, & ſempiterna tranquillitas, nihilominus obdurati perſiſtimus, nec amantem redamamus, quod ego arbitror nobis evenire ob nullam aut certe exiguam in Deum fidem. Dum enim bonis hiſce præſentibus atq; voluptatibus delinimur & obcæcamur, cœleſtia quæ non videntur, neq; tanguntur non modo non curamus, ſed nec omnino futura confidimus, ut ſiquis admodum ſitiens audiat aquam limpidam & puram procul eſſe. Sed vicinam & propinquam potius bi-
bat,

---

plum convivæ omnes ſecuti dicere: noxium & importunum animal diis atq; hominibus infeſtum, non mirum ſi Domitianus ille Cæſar tantopere inſecutus eſt.

47 *Neq; M. Tullii, neq; Vitruvii inhonoratum eſſe tumulum decuit, cum alter à morte homines tuendo, alter à pluvia ſcribendo protexerit. Si modo is Vitruvius apud Formias ſepultus eſt, qui de Architectura librum reliquit.*

48 *Pium regem memoras, qui vel ſaxis Ciceronis pepercerit, quia ille reverentia tanti viri oſſa conſectatus eſt, utinam ejus marmora quæ triumphalis arcus habet, parem apud poſteros pietatem inveniant. At ego illis timeo in arcis aditu collocatis, oppugnabitur aliquando locus, neq; memoriæ magni regis, neq; artificio nobili venia dabitur, quando affectum quemvis excludit dominandi cupido: mallem ſapientia regis illic ſuam memoriam conſacraſſet, ubi ſolint vetuſtatis, aut invidiæ metum ſubiiſſet.*

49 *Hecatonis præceptum, quod Seneca magnopere laudat. Si vis amari ama, recte rex atteſtatus erga Deum*
non

bat, licet turbidam & lutulentam. Præclarè igitur quicunque dixerit, donum Dei ſidem eſſe.

Magnanimiter. Juſtè. Gratè.

50 Neapolitani cives ob virtutem ac clementiam Alphonſi cum decreviſſent uno conſenſu omnes, arcum illi triumphalem ad memoriam honorificè ſtruere, elegerunt locum ſuper gradus marmoreos majoris Templi. Id vero quandoquidem fieri non poterat, ne magna ex parte dirueret Nicolai Mariæ Buzuti magnanimi & ſtrenui militis domus, rex fieri omnino prohibuit. Haud tanti ſe facere inquiens, hujuſcemodi ſaxorum ſtruem ventis imbrique obnoxiam, ut amici veteris & familiaris domum, cujus opera in bellis, & pace, atq; omni fortuna fortiter ac fideliter uſus fuerat everti, pateretur.

Sapienter.

51 Quæſivit fortaſſe aliquis ubi rex aderat: Cur qui verè ſaperet taciturnior eſſet, qui minus, loquacior. Et cum alius aliud in cauſam duceret, regem tandem his penè verbis reſpondentem audivimus. Qui verè ſapit, habet hic intus unde gaudeat. Alitur quippe ejus animus ſapientia, qua maxime alimonia contentus requieſcit. Ex diverſo qui minime ſapit, ejus ipſius animus cum intus non habeat quicquam, unde impleatur, aut gaudeat, neceſſum eſt foris quærat, unde vana ſaltem jactantia ſapere videatur. Itaq; ille ad conſcientiam omnia refert, Hic ad oſtentationem. Hæc non inſcitè rex cum dixiſſet, Tibulli poetæ terſiſſimi verſus in medium prolati ſunt Regis, ni fallor, ſententiam confirmantes,

Tibul. in fine lib.4.

Procul abſit gloria vulgi.
Qui ſapit in tacito gaudeat ipſe ſinu

Rex verſus exoſculatus edidicit.

Piè. Facetè.

52 Quadam die cum corpus domini ſummi & ſervatoris Dei Jeſu pedibus ſequeretur, Sic enim Regi mos fuit ſanctiſſimam Euchariſtiam reverenter quocunque accederet pedibus comitari; Tandem ductus eſt in vetulæ cujuſdam pauperrimæ domum ſanguinis profluvio pene exanimatæ, cumq; ægritudinis cauſſam cognoviſſet gemmam inextimabilem morbo illi mirificè accommodam afferri juſſit, anuſq; illius digito aptari, ſimul & corpus regum Regis in templum, unde profectum erat, ſumma veneratione reduxit. Paucis vero poſt diebus anus illa cum revaluiſſet, egit quidem pro recuperata ſalute regi gratias quales potuit, Sed gemmam, quam Regem dicerent ſibi penè mortuæ commiſiſſe, ajebat, ſibi ne viſam quidem perdidiſſe; ſtomachari qui aderant cœpere, aniculam execrationibus & maledictis propalàm inceſſentes. Rex vero ſubridens: abi, inquit, mea mater, & cura tu valetudinem tuam: quoniam ſtulti quidem iſti, ut vides, parum ſanitatem ſuam curant.

Graviter.

53 Cum Syracuſanum equitem truculentis moribus Rex hominem barbarum appellaſſet, atq; ille quòd præclara, prima Græca origine eſſet, nomen barbari

---

non procedere, quem non omnes amant, qui amantur ab eo. Utinam ne Senenſes hoc dicto decipiantur, qui regem Alphonſum vehementer amant, atq; obſervant.

50 *Amici regi non minus Senenſes ſunt, quam Buzutus eques fuerit, ſalvam ipſius domum Alphonſus voluit, potius quàm triumphalem ſibi arcum apparari. Salutem igitur Senenſium anteponat Picinini triumpho.*

61 *Tacere ſapientis eſt. Nunquam niſi cum neceſſe eſt ſapiens loquitur, nec niſi ponderata menſuratave profert. Stulto nullum eſt tempus ſermoni clauſum, facileq; verba jactitat, qui ſine conſideratione profatur.*

52 *Sena vetus erit ea vetula confido quam regis gemma curabit, ſed non amittet gemmam, id eſt, beneficii gratiam. Nam regi & filio, & natis natorum & qui naſcentur ab illis, dum ſtabunt mœnia fidelis & obſequens erit.*

53 *Et in Græcia & in Italia nati educatiq; barbarizant. Nam quid magis*

ri abhorrens iniquo animo ferre injuriam videretur, Ego, rex inquit, non à prima origine ioſco, ſed à moribus barbaros definire.

Focetè.

54 Admiſit in colloquium ac patienter audivit ipſos etiam vecordi, ac obtuſo ingenio homines. Audiens vero illos ſubinde oculos ad eos conjicere ſolitus, erat quos proba norat ingenia, ac ſenſa hominum percallere, Ennianum illud levi voce ſubmurmurans. Vulturis in ſylvis miſerum mandebat homonem. Belliſſime enim non homines Ennium appellaſſe eos dicebat, quos vidiſſet ex homine nihil præter effigiem poſſidere.

Graviter. 55 Principes qui juſtitiam non colerent, iis perſimiles ſibi videri dicebat, qui morbo caderent comitiali. Nam cum animæ materia ſit ſola juſtitia, qua tenetur ad vitam teſte Lactantio: quid reſtat principibus ſublata juſtiria, hoc eſt ſublata nutricatione & cibo niſi caducarios videri?

Focetè. 56 Jacobo Alamano homini Chriſtiano ſed Judæis orto parentibus, Cum is divi Joannis aureum ſimulacrum vænale Regi exhibuiſſet, ac pro eo quingentorum aureorum precium poſtularet, Ita reſpondit: Non tu ſane ineptus es, & majorum tuorum longe diſſimilis, diſcipuli & ſervuli imaginem tanti æſtimans: cum illi Joannis ipſius magiſtrum & dominum & regem Judæorum triginta non amplius denariis vendiderint.

Clementer. 57 Joannes Fortis cognomine, miles veteranus ægerrime ferens, quòd oppidum ſuæ fidei commiſſum ſibi rex auferret ut alteri daret, ab eo diſcedens Italiam, Galliam, Germaniam, Hiſpaniam peragravit, omnibus in via regibus principibus ac populis ingratum Alphonſi animum & conficta etiam vitia diſſeminans, ac divulgans. Sed cum nemo omnium ejus maledicentiam, quamvis Alphonſi hoſtis tam gratanter audiret, ut vel panem modo & naſturtium offerret ad victum, inopia coactus ad Alphonſum retrò repetens Florentiæ reſtitit, regis animum quem probris immutatum atq; infenſum crediderat, explorans. Id regi ubi primum innotuit, Joanni renunciari juſſit tuto ad ſe redire licere. Se quidem potius benefactorum ejus, quàm maledictorum memorem eſſe, venientemq; viatico & pecunia juvit. Simili moderatione ac liberalitate uſus,

eſt

---

gis barbarum quàm rapto vivere, & omnem æquitatem omnemq; religionem proculcare, quem Italicum morem eſſe videmus.

54 *Ennius, ſi pleroſque noſtri ſæculi reges contemplatus eſſet, credo non reges ſed regones appellaſſet: Eccleſiæ quoq; prælatos, prælatones vocitaſſet, qui præter coronas & infulas dignitati quod reſpondeat, nihil oſtendunt.*

55 *Juſti eſt principis non ſolum officere neminem injuria, ſed eos, qui damna quibuſvis hominibus ſine juſta cauſa inferunt, ſi poſſint, prohibere. Nam teſte Tullio, qui non obſiſtit, ſi poteſt injuriæ, tam eſt in vitio, quàm ſi patriam aut parentes deſerat. Eam ob cauſam cum poſſit Alphonſus prohibere Picininum ne Senenſibus oneri ſit, ne bello impio pium populum afficiat, niſi id agat juſtitiam neglexiſſe, caducariuſq; non immerito videatur.*

56 *Coloniæ Agrippinæ pictor quidam inſignis, ſed prodigus & piger & amator vini, quàmplares Chriſti imagines cauponibus pignori dedit, eaſq; hoc pacto perdere quàm vendere maluit. Interrogatus cur non potius venderet. Ergo, inquit, me Judeum eſſe quam Chriſtianum vultis?*

57 *Joannes Gerſius Vueſtualus, qui Sigiſmundi Cæſaris Protonotarius fuit, Alberto Romanorum rege fatis functo, principes Electores apud Francfurdiam adiit, ac ne Fridericum eligerent ſuadere ſummopere conatus eſt, conficta in eum vitia multa diſſeminans, neq; contentus his, cum Romam Fridericus peteret imperiales infulas ſuſcepturus, Nicolao quinto Pontifici maximo epiſtolas dedit, quibus ne Fridericus coronaretur annixus eſt, nihil tamen horum imperatorem latuit, homi-*

nemq;

eſt tum erga alios multos, tum proximè erga quendam equitem Hiſpanum. Is enim cum apud reges occidentales ferè omneis Alphonſi nomen et vitam nulli maledicto parcens, paſſim propalamq; proſcidiſſet, tandem rediens ab Alphonſo perhumaniter ac benignè exceptus eſt.

58 Audivi ſæpenumero Regem dicentem tantum valere ad fidem debere principum verbum ſimplex, quantum privatorum hominum jusjurandum. *Graviter.*

59 Cicchum vinarium inter utres & dolia vini Græci per vindemiam mortuum inventum, regi cum renuntiarent, ſepeliri eum juſſit, et hujuſmodi diſtichon ſepulturæ inſcribi, *Jocosè.*

Hic ſitus eſt Cicchus, quem teſtas inter, & utres
Mactaſti Græco palmite Bacche furens.

60 Regna quæ plurima quidem haberet & poſſideret malle ſe perdere etiam perſanctè affirmabat, quàm literas, quas permodicas ſcire ſe, dicebat, neſcire. *Graviter.*

61 Vectigal quod ex meretricio, atq; alea multis antè ſeculis penſitabatur, ſuſtulit, Neapolitano civi, cui ad lucrum à ſuperioribus regibus conceſſum erat, priuſquàm vectigal aboleretur, ſatisfaciens. Portus pulcherrimam molem pluribus locis everſam reſtituit, aquæductus ſubterraneos expurgavit ac refecit, veteres fontes inſtauravit, novos nonnullos extruxit, aquas publicas diu jam magna ex parte diſperſas in aquæ ductus alveum reduxit, vias urbis propè omnes vetuſtate & frequenti vehiculorum tranſitu detritas atque convulſas nigra ſilice conſtravit, plauſtris penitus vehiculiſq; urbe ſummotis, & nunc diis bene juvantibus parat ad aëris ſerenitatem ſalubritatemq; paludes ſiccare, & lacus emittere. *Magnificè.*

---

nemq; cum poſſet corrigere atq; interimere, paſſus eſt Viennæ vivere partiſq; frui bonis, quæ illi non mediocria fuere.

58 *Apud reges nihilo magis juramentum quàm ſimplex verbum valet. Animo enim princeps obſtringi, non alia quavis arte poteſt. Sed pudet me plus hodie fidei tranſmontes quàm citra reperiri. Pleroſq; ex noſtris principibus, quos Italia genuit, adeò parabolanos, ut ita loquar, invenias, ut certiora ſint meretricum, quàm eorum promiſſa.*

59 *Alexander, qui ex ducibus Maroniæ erat egregius bibulus, cum mortem obiiſſet apud Viennam, diemq; illi triceſimum in temple divi Stephoni, cui præfuerant canonici, multique viri nobiles, celebrarent, ſacerdos qui ſitibundus cellam vinariam intraverat, vidiſſe ſe inter dolia deambulantem aſſeruit, & ad eccleſiam reverſus, cum orantes adhuc presbiteros inveniſſet, Quid hic Alexandro inferias, inquit, agitis? Ille in ſuo templo lætus agit, bibitq;, vos hic ſiti areſcitis.*

60 *Pœnituiſſe quàm plures adepti regni compertam eſt. At qui literas didiciſſent, neminem. Eſt enim doctrina ſapientiæ ſimilis, quam omnis anima concupiſcit, nulli oneroſa: regni moleſtiæ multos oppreſſere, quamvis Bononienſium inſania cuncta regno poſthabens, cupiat, cum capitis periculo vel diem regnare.*

61 *Apud Bohemos hoc vectigal exigi nequit, apud quos lupanaria & quævis pacta publica Huſſitarum lege prohibentur. Noſtrè minora mala tolerant, ut majora quæq; devitent. At bene cum Neapolitanis actum eſt, quibus hunc regem divina pietas dedit, quo regnante, & ditantur & extolluntur. Memoriam, ſi grati fuerint Alphonſo, æternam retribuent qui regnorum omnium ſuorum hæc opes contulit.*

Libri Primi Finis,

JACOBI SPIEGELII
SELESTADIENSIS
SCHOLIOLA
IN PROOEMIUM.

MUſam Atticam) Ob admirabilem ejus in dicendo venuſtatem autor Laertius in vita ejus lib. 2.

Socratis commentarios) Vertit eos Beſſarion Cardinalis latinè.

Et ſapientiſſimus & fortiſſimus haberetur) Ne id ad gratiam dictum putes: hoc ipſum profitentur Blondus, Fran. Philelphus ultima hecatoſticha Decadis decimæ, ac alibi ſubinde Platina, Pontanus in multis librorum ſuorum moralium atq; hiſtoriæ locis, Sabellicus, Baptiſta Mantuanus, tum cæteri qui res inſequentium temporum ſcripſere. Nec id Bracellus diſſimulavit iniquior aliquanto Hiſpanis, tametſi ejus regum gentis origo ſumma nitatur nobilitate: ut qui originem referant Germanicam. Conſtat autem Germaniam parentam altricemq; eſſe gentilitiæ nobilitatis, qua una re etiamnum Germanis nihil eſt antiquius, quum apud Gallos interciderit prorſus ſanguis vetuſtior, ſublato Carolingorum ſtemmate. Merovingicam originem, quæ & ipſa pura puta eſt Germanica, unde illuſtris Habſpurgiorum principum familia manavit, Cæſar Maximilianus contexuit libro ſingulari, quem noſtrata lingua ob veſtitum ad priſcum morem formatum inſcripſit de Zottenden-Menien, An dubitas nunc auſpice Deo ſervatam Merovingicam ſobolem mutato familiæ duntaxat nomine? tametſi eam Carolingi obſcurarant, quorum tamen diuturna ad modum non fuit dominatio.

Reges vero ac terrarum principes) Obſervandum cur pauci reges ſapientes evadant, Aſtipulatur Cælius Rhodiginus cap. 20. lib. antiq. lection. 12.

In Cap. I. Lib. primi.

JOANNÆ Neapolitan. reginæ) Ejus nominis ſecundæ. Hæc Caroli Dyrachii ducis Filia, ſororq; regis Ladislai, qui ad Hungariæ quoq; regnum evocatus fuit, amiſſo Geldriæ duce, cui nupta fuerat, Certior facta de morte fratris hæres ab eo ſcripta, non ſine variante fortuna in regno ei ſucceſſit.

Deſtitutæ) Nam Martinus V. Pont. eam judicans indignam, quæ regnum Rom. eccleſiæ feudatarium teneret, Ludovicum Andegavenſem Siciliæ regem declaraverat.

Et inconſtanti) Ferri potuit vitium ſexui agnatum niſi proceres regni nonnullos abalienaſſet fama pudicitiæ non ſatis incolumis, quam Ritius, Braccellusq; attingunt, Mirum eſt quàm varie luſerit fortuna in hoc, quod Sabellici verbis referam. Fuerunt duæ Juliæ mater & filia. Hæc Auguſto genita, altera M. Agrippa, ambæ adulterii damnatæ. Duæ Agrippinæ, mater Caligulam, filia Neronem genuit: teterrimas humani generis peſtes. Duæ Fauſtinæ, mater impudica, ſed quæ ex ea genita eſt impudiciſſima. Pari infamia notatæ noſtra memoria duæ illuſtres fœminæ, quibus Joanna nomen fuit, utraq; regina: nec tantum infamia reſperſæ: ſed infauſto quoq; matrimonio celebres.

Tum rex) Oſtendit exemplo Herculis afflictis ſuccurrendum eſſe à regibus. Notum eſt Herculem multis quidem maximas attuliſſe commoditates, ſibi vero nihil fermè fructus adduxiſſe, præter aliquantulum famæ, plurimum invidiæ.

a Relatum eſt ab Eraſmo noſtro illo magno in literaria re principe in fine lib. 8. Apophthegmatum num. 1.

Gar-

4 Garrias aves) Snapuogel. Quemadmodum Milvii vocantur qui divites audent aut accuſare, aut veneno tollere è medio: & Vultures, qui duntaxat obſequiis & adulationibus aucupantur, ut miſceantur teſtamento, vel alterius alicujus emolumenti ſpe inſidiantur cuipiam.

5 Doctrina reformavit) Solent enim literæ cicurare. Sunt qui idem de nobis ſcribunt.

6 Sed bovis eſſe) Diogenes innuit vitam ſine literis mortem eſſe. Quamvis non omnes literæ conveniunt principi, ſed eæ, quæ, ut Eraſmus lib. citato explicans hoc ipſum apophtegma; nu. 1. cenſet, politicen tradunt aut ethicen: quæq; recte ac ſecus geſtorum exampla commonſtrant. Relatum eſt & hoc ſcitè dictum ab Roterodamo nu. 3. lib. ſuprà citato. Sphortiam an Picininum) Horum comparationem pete ex cap. 59. Europæ Æneæ Silvii & Sabellico lib. 2. Ennead. dec. Recepit autem poſtea in ducem copiarum ſuarum Picininum patria Peruſinum.

8 Harpyias) Harpyiarum nomen inditum à rapacitate. Siquidem eo nomine indicatur Græcis rapina. Cujuſmodi fuerint monſtroſa Harpyiarum corpora, notum eſt ex optimi poëtæ carmine. Æn. 5.

Virginei volucrum vultus, fœdiſſima ventris
Proluvies, uncæq; manus, & pallida ſemper
Ora fame . . . .

Ideo virgines finguntur, quod omnis rapina arida ſit ac ſterilis. Ideo plumis circundatæ, quòd quicquid invaſerit rapina, celat. Volatiles autem quod omnis rapina ad volandum ſit celerrima. Unde à noſtris haud prorſus inſcitè raptor dicitur Snaphan, feſtive autem notavit rex Romanæ curiæ avaritiam.

9 Bellum Neapolit.) Attende, quiſquis es ò rex imitator Alphonſinæ virtutis, tuq; inprimis Chriſtianiſſime Cæſar omnium Chriſtianorum Imperator Carole, terq; maxime Regum Rex, fortunam ferando ſuperari. Hoc bellum ſcripſit Jacobus Bracellus Genuenſis cujus lib. 5. extant titulo belli Hiſpanienſis.

Hoſtium poteſtatè) Cum ſcilicet ex littore Cajetæ ſoluiſſet ad inſulam Ponti inito navali prælio victoria ad Genuenſes inclinante, Alphonſus ejuſq; duo fratres multiq; regni principes capti, à multis Genuenſibus ad Philippum Mediolani ducem perducti ſunt: á quo non ut hoſtes, admirabili clementiæ exemplo, ſed in ſummo habiti honore pluribus, magnificiſq; muneribus in patriam remiſſi ſunt.

10 Hieronymi) cognomento Pragenſis. Fuit illuſtri admodum ingenio eloquentiaq;, ſupra Boëmicam propè admirabili, ut de eo poſt Sylvium, teſtatur Jacobus Volaterranus Cardinalis Papienſis vir doctus et ſimul pius, cujus ſextus commentariorum liber Vuiclephitanam ſectam complectitur. Auriſpam autem, cujus primum meminit, Joannem illum eſſe puto, ad quem tot extant doctiſſimi viri Fr. Philelphi epiſtolæ, quemq; ille hecatoſticha quinta, Primæ Decadis placidis camœnis deditum, tertia autem hecat. tertiæ Decadis ipſi Auriſpæ inſcripta cecinit:

Quem principis aula ſuperbi . . . .
. . . . *celſior ad magnas res extulit.*

11 Cum poculum) Obſervatu dignum mehercle ſignum, idemq; maximum manſuetudinis ac patientiæ Alphonſi.

12 Ire perrexit) Hoc enim pacto majorem contumeliam maledicus eſt paſſus. Pythagoras magnam putavit diſciplinam, per quàm ferri indiſciplina poteſt.

13 Cum inter) Eſt et apud Eraſmum num. 17.

14 Cum Puteolos) Habes exemplum pietatis regiæ eximium in hoſte ſepeliendo, quod, ut argumento eſt non eſſe omnino victorem exitiali odio contra hoſtes, ita illorum animos non poteſt non compellere ad amandum. Prudenter igitur Jacobus comes Puliliarum admonet interfectorum cadavera hono-

nori-

notificè ſepulturæ mandari curandum eſſe ab imperatore lib. de re militari primo. Jam hinc decennium meâ ſunt operâ Purliliani libelli expoſiti cum epiſtolio nuncupatorio meo veteri amico D. Nicolao à Rabemhaubt nunc Cancellario Auſtriæ viro ornatiſſimo: id plagiarius quidam in ſecunda nuper editione, nunquam à me læſus reſecuit, quum ipſe tamen typographis hactenus non fuerim iniquior. Ejuſmodi injuria tametſi toleranda venit, non tamen niſi diſſoluto videtur eſſe diſſimulanda. Puteoli civitas ante Dicearchia dicta ob juſtam reip. adminiſtrationem. Sed nomen à Romanis ſecundo bello Punico mutatum, & à Puteorum frequentia Puteoli dicti, velut Strabo tradit: Ad hanc urbem Apoſtolus captivus cum à Rhegyo oppido ſoluiſſet, poſtridie delatus eſt: & repertis fratribus apud eos ſeptem diebus manſit, ſicut Actorum ultimo traditur.

15 Cajetam urbem) Parcit rex imbelli ætati ab hoſtibus civitate pulſæ ob famem, monſtratq; gloria carere fœdam victoriam. Similem humanitatem, quam & Ageſilaus ethnicus præſtitit, noſtra tempora deſiderant. Siquidem nunc homines ſibi videntur, qui trucidatis infantibus ac ſenibus eam ætatem abducunt, quæ vel libidini apta eſt, vel labori, vel utriq;, ut dixit Eraſmus.

16 Aſtipulatur Pontanus lib. de Obedi. 5. Quid dicam, inquit ille, de rege Neapolitanorum Alphonſo? Cujus regia nunquam non referta fuit viris ingenio & doctrina præſtantibus, quos penè quotidie aut lectitantes audiebat, aut diſſerentes: Et idem in Libro de Conv. ſcribit. Rex Alphonſus ſtatim poſt prandium, vel Antonium Panormitam, vel è doctis aliquem audiebat, ut qui dignum judicaret, animum quoq; cibo ſuo poſt paſtum corporis reficiendum eſſe.

18 Iccirco Neapolitano populo magis magiſq; acceptus factus eſt. Lege Pontanum in Lib. de Liberalitate.

19 Romanis illis ſapientioribus) Honoris templo Virtutis templum conjunctum) Hoc ipſum non ſolum Cæſ. Maximilianus dicere ſolebat, ſed peculiari etiam opere, quod ingenioſè expreſſit pictura, cui nomen Porta Honoris, poſteris ſuis teſtatum reliquit. Quamquam veterum Romanorum dicationes, quarum meminere inprimis Cicero lib. 3. de nat. Deo. & 2. de Legib. & Livius lib. 9. Decad. 3. divus Auguſtinus acutè confutavit lib. IV. de Civita. Dei cap. 20. & ſeq. Profecto regibus voluptatum admonitores, ut peſtis pernicioſiſſima, ſunt fugiendi. Habebat Nero Claudius plurimos voluptatum conquiſitores, quem tamen ipſe vitæ exitum habuit? quem & alii multi, ac ferè omnes ab eo non diſſimiles.

21 Corrigi non poſſet) Subindicans non eſſe ſitum ſemper in poteſtate ducis parta victoria militum rapinam prohibere.

22 Cum ſenex) Advertendum regum conſiliarios aut reges eſſe, aut regum animos habere oportere.

Qui non ſuo ipſius) Sic Imp. Maximilian. ſenatorum ſententiis tum auditis tum probatis nonnunquam abire in contrarium viſus eſt, ut ſtet, opinor, quia cor regis in manu Dei eſt.

24 Scimus) Diſcant ab Alphonſo monarchæ regiam dignitatem non veſtium ſplendore, ſed prudentia ac cæteris animi virtutibus æſtimandam eſſe.

25 Adverſus) Alii legerunt Averſa, mutata conſtructione. Eſt enim civitas quæ exiſtimatur à Roberto Guiſcardo Normanno ædificata, dum adverſus Neapolim & Capuam pugnaret, indeq; nomen Averſæ recepiſſe. Sic eam Volaterrannus vocat Blondum ſecutus. Ritio autem videtur quondam Atellana quæ dicta eſt.

Cœno herentem ſublavaſſe) Quæ res declarat, etiam magnis viris laudi dandum eſſe, dum aut res, aut caſus tulerit, ſi ad ſordidam etiam operam conſerendam deſcenderint. Carolus princeps Navarræ Joannis Alphonſi ejuſdem fratris filius, etiam infimis ac ſordidis homuncionibus opem ferre non recuſabat, cum ipſe morbi cujuſdam abdita medicamenta teneret.

Caja-

26 Cajetam, quam magna vi capere non potuit, ſola tandem elementia vicit.

29 Speciosum fuit) Ut Virg. nobili carmine moouit.

Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.

30 Præter Calabriam) In ea ſunt principes urbes Brunduſium, Tarentum, Canuſium, & Salentini campi.

31 Præcipue coluit) Exemplo priſcorum Chriſtianorum, qui eum propemodum pro Orthodoxo ſunt amplexi.

Purpuratorum) Sic legendum & non principatorum. Qui enim apud principes dignitate præſtant, purpurati vocantur. Nec ineleganter accommodabitur vox ad reges δημοβόρους, aut advocatos, qui purpurati omnia converrunt in fiſcum ſuum: & quocunq; ſe conferunt abradunt aliquid, velut tincta purpura, quæ omnia quibus admota fuerit, ad ſeſe rapit.

32 Didonis mortem) Legimus divum Auguſtinum nondum renatum librum Æneidos quartum non potuiſſe ſine lachrymis legere, quamvis ſciret totum argumentum de amore ac morte Didûs a poeta confictum.

33 Nota principatum ſollicitam eſſe rem.

34 Singulare dictum. Ob hoſtes ſervatos rectius quàm cæſos triumphandum.

35 Ludos Chriſtianos) Pietatis gratia ſuſceptos intelligit, ut apud nos in plerisq; urbibus in honorem divinæ Euchariſtiæ, vel Cœlitum aliorum, cujuſmodi frequenter exhiberi ſoleot ſpectacula in Brabantia, Hollandia, atq; Flandria. Chriſtianos itaq; dixit, ut oppoſitos veterum Romaoorum ludis Scenicis, qui fœdiſſimi & viſu fiebant & turpiſſimi auditu.

36 Vir magnus & illuſtris) Si Volaterrano credimus, non ſolum is majoses ſuos, quos memorat equites illuſtres, ſed omnes etiam ſua ætate rebus geſtis antecelluit, neq; unquam in privato talis potentia, neq; in erudito ſapientia par, neq; deniq; mercatori tot contigerunt divitiæ, neq; illis, quod magis mirandum, quiſquam & magnificentius & religioſius eſt uſus. Quumq; unus omnia poſſet, non omnia voluit, quantoq; ei plura licuere, tanto magis infra ſuam ſortonam victitando ſibi denegavit. Ex hoc ca. habes Fiduciam in hoſtes, Monus item ab hoſte acceptum. Poſtremò reges eſſe in tutela Dei.

37 Patienter audire) Dubio procul legerat Lacones Deos comprecatos, ut poſſint injuriam pati, quod neminem judicarent idoneum ad gerendum imperium, qui quavis injuria commoveretur.

38 Hypocritæ) Quiſquis quovis modo ſimulat ac fingit hypocrites vocari poteſt. Hypocritarum autem omnium (differunt namq; ſpecie) idem eſt propoſitum, ut quod ipſi minime ſint, id habeantur, atq; appareant. Vide Pontanum de Sermone lib. 2. Publicam vocem uſurpat more eccleſiaſticorum ſcriptorum, quum eum ſignat propriè qui publicum, id eſt, vectigal sedimit. Simpliciter autem publicum accipi pro tribunali notum eſt.

39 Scholas) Rex auditor theologiæ.

Scipio ille) Senior, ut opinor, qui Cicerone teſte ſemper doctos ſecum habuit, vacanſq; à negociis bellicis in literis verſabatur. Ejus illud eſt, quibuſcunq; remp. adminiſtrantibus memori menta tenendum. *Se nunquam minus eſſe otioſum, quàm quum eſſet in otio.* Sentiens ſe id temporis, ut explicat Eraſmus noſtar lib. Apoph. 5. non dare animum otio aut voluptatibus, ſed de ſeip, commodis multa ſuo cum animo tractare.

40 Calaciam) Vulgus Cajaciam appellat.

Picinini) id eſt parvuli, quo nomine Bracellus continuò vocat.

Quàm quorumvis) Notat ſocordes ignavoſq; ſuæ ætatis reges.

Poëta dixit) Georg. 3.

41 Lac ſenis vinum) Plato autor eſt. Vinum à Deo hominibus contributum quaſi remedium advarſus ſenectutem, ut redire ad juvantutem videantur, & mœſtitiæ eos capiat oblivio.

42 Simoninus) Pontano eſt Ximenus.

Præfectus caſtris) Idem & Siciliæ legatus ſub Ferdinando filio.

Hiſpanorum Romulum) Vide Florum lib. 2. cap. 17.

43 Ægrotabat) Alphonſo regi librorum amatori quum ægrotaret Q. Curtius prælectus.

Quàm maxime placituros) Secutus eſt avum Alphonſus Ferdinandi filius in excolendis libris, quos non ſolum multos luculenter ornatos habere voluit, ad quod tum alios quoſdam, tum etiam patrem provocavit. Lege Pontanum in de Splendore.

45 Parabolanum) pro fabuloſo ni fallor, accepit.

Alphonſo regi Galli leves propter ſaltationem. Notum illud, Gallorum levitas Germanos magnificavit.

47 Juxta Formis) Formiæ civitas quondam villa Ciceroniana inſignis, nunc Mola vocatur.

Quod Rex) Hic locus me ejus admonet, quod apud Pontanum legi de Alphonſo. Videlicet quod is cum perveniſſet in locum unde Sulmo poterat deſpici, percunctatus, an ea Ovidii eſſet patria, & qui aderant affirmaſſent, urbem ſalutavit, gratiaſq; genio loci egit, in quo tantus olim poëta genitus eſſet, de cujus laudibus cum non pauca diſſeruiſſet, tandem famæ ejus magnitudine commotus, Ego, inquit, huic regioni, quæ non parva regni Neapolitani, nec contemnenda pars eſt, libenter ceſſerim, ſi temporibus meis datum eſſet hunc poëtam ut haberent, quem mortuum pluris ipſe faciam, quàm omnis Aprutii dominatum.

Epigramma) pro epitaphio, ni fallor, uſurpat.

Ex Minerva) Nam ipſa eadem poëtis ſapientiæ dea, oleiq; inventrix tum omnium bonarum artium credita. Vide Naſon. lib. Faſt. 3. ibi, *Una dies media eſt*.

48 Honos villæ Ciceronianæ habitus. Patrocinio ſuo) Sed legimus Metellum Nepotem Ciceroni objeciſſe: quod is teſtimonio ſuo plures occidiſſet, quàm patrocinio ſervaſſet. Contrà Cicero mira ſolertia torquens convicium in laudem. Plus enim inquit, mihi fidei eſt, quàm eloquentiæ. Siquidem in teſte ſpectatur fides, in patrono valet eloquentia. Eraſ. lib. 4. Apoph.

49 Tantopere à Seneca laudato) Ejus verba nona epiſtola lib. 1. ſic habent: Hecaton ait. Ego tibi monſtrabo amatorium ſine medicamento, ſine herba, ſine ullius veneficæ carmine.

Si vis amari ama.

Dum enim) Collige charitatis parentem eſſe fidem, eandem autem donum Dei, quod docet Apoſtolus ad Eph. 2.

50 Rex fieri omnino prohibuit) Exemplo Ageſilai Lacedæmoniorum Regis, qui, cum Nationes, quæ id temporis Græciam incolebant, decreviſſent illi in clariſſimis quibuſq; civitatibus honoris cauſſa ſtatuas erigi, reſcripſit illis hunc in modum, Mei nulla ſit imago, neq; picta neq; ficta, neq; ullo alio artificio parata, Cetera Eraſ. lib. 1. Apoph.

Saxorum ſtruem) Adulationem ſerius quàm gloriam. Norat autem clariſſimus Rex veram laudem iſta non habere. Contrà Paullus ſecundus P. M. æmulator vanitatis antiquæ in titulis & numiſmatibus, quæ fundamentis ædificiorum parietibuſque admiſcuit, ut illis vetuſtate ruentibus exiliant poſt ſecula multa, *ludis item et epulis R. P. exhibitis*, ſtultè quæſivit æternitatis nomen. Alia namq; ſunt opera æternitatis in Pontifice, quæ ad eundem Paullum tam liberè quàm diſertè recenſet Jacobus Cardinalis Papienſis.

51 Quæſiit) Relatum cur ſapiens magis taceat quàm loquatur.

52 Eadem fuiſſe in Euchariſtiam veneratione Cæſ. Rudolphum Habſpurgium conſtanter referunt certi annales, ex quibus amicus noſter Hieronymus Gebuilerus ſuos Auſtriacarum rerum commentarios locupletavit.

53 Barbarum appellaſſet) Græci reliquas nationes contumelia nominabant Barbaras. Nunc quum Græcia nihil ſit barbarius, hæc philautia demigravit ad quoſdam Italos, quibus omnes aliæ nationes barbaræ ſunt. Sed meminiſſe eos opor-

oportuit, nec guttam ſanguinis, nec ſcintillam virtutis priſcorum Romanorum apud eos extare, majoreſq; ſuos è peregrinis nationibus referre, proinde ſ; rectius ipſos barbaros vocandos, quum barbarum dicatur quicquid eſt peregrinum. Legant Campanum ſuum licet Germanis iniquiorem & cognoſcent non eſſe ullam apud Italos nobilitatem, cui non ſit externa origo. Cæterum ſint Ciceroniani, ſi Diis placet: at ipſa res oſtendit Batavum barbarumq; noſtrum Eraſmum una pagina ſolidius quicquid voluit & dicere & docere, quàm illi ſinguli ſingulis ſuis libris adſequi poſſint.

Præclara patria) Syracuſæ, ſcilicet, quæ propius Pachynum Promontorium jacent ſuper omnes Siciliæ inſularum reginæ urbes, inſignes. Sed verè clara ob Paulli apoſtoli memoriam, quem Lucas tradit è Melite Alexandrina navi vectum, triduo Syracuſis egiſſe. Act. 27.

Græca origine) Circa annum duodecimum poſt urbis Romæ initium ab Archia è Corintho navigante conditæ ſunt Syracuſæ, autor Strabo.

54 Vulturis) Dicimus vultur & vulturis & vulturius, gravis & ſarcinoſa avis eſt vultur, & ideo tribus ſaltibus, ut prodit libro de animalibus vigeſimo tertio Albertus noſter, vel pluribus vix à terra elevatur, & ideo antequam à terra elevetur, frequenter capitur. Ego enim inquit Albertus, ipſe, inſequendo cepi unum, & propter eandem gravitatem libentius in terra ſedet, quàm in arbore. Addit idem omnia ferè rapacium genera, præcipue Aquilarum & Miluorum antiquos vocaſſe Vultures. Huic avi proprium cadaveribus tantum vivere. Unde & natura tantum illi ſagacitatis addidit autore Plinió, ut biduo aut triduo prævolet illuc, ubi cadavera ſint futura. Ægyptii tradunt, Plutarcho teſte, vultures omnes eſſe fœminas, nec aliter ex Euro concipere, quàm è Zephyro gravidæ fiunt arbores. Sed nos oculata fide convincimus ova & puellos vulturum in noſtra Germania eſſe frequentia. Mirum eſt autem hanc avem Innocentiſſimam apud homines tam male audire: quum neq; fruges attingat, neq; ullum animal, quantumvis imbelle occidat aut inficetur: tantum cadavera, val eorum, quæ ſponte interierunt, vel ab aliis relicta ſunt, depaſcatur. In quibus tamen abſtinet à ſui generis, id eſt, avium cadaveribus. Obſervandum quoq; in fine hujus cap. Homines qui Ennio.

55 Attende juſtitiam ſervare incolume regium nomen, & quæ deceat Chriſtianos excellenter diſſerit Lactan. lib. divin. Inſtitu: quinto. Breviter de juſtitia veniunt, innocentia, amicitia, concordia, moderatio, fortitudo, liberalitas, pietas, religio, humanitas, nec divelli poteſt a rege incolumi regio nomine. Prudenter igitur Maro Æn. 6. Phlegiam illum ſuum inducit, juſtitiam religionemq; collaudantem his verbis:

Diſcite juſtitiam moniti, et non temnere divos.

Juſtitia enim in quo fuerit, ejus imperium æquo omnes animo patiuntur, illiuſq; moderationi ſeſe etiam ſponte ſubjiciunt, quod de Cyro illo legimus, quem non juſtitiæ ſolum, ſed omnium etiam regiarum virtutum exemplum fuiſſe, creditum eſt.

Caducarios) pro facile caſuris & interituris intelligo. Ea vox jureconſultis ſignat, qui caducam adeunt hæreditatem.

Exemplum memorabilis beneficentiæ in calumniatorem.

57 Verbum principis jurisjurandi loco habendum. Turpiſſimum eſt omnino fallere, in regibus vero longe turpius.

Literæ præferuntur ab Alphonſo regnis.

Inhoneſtus & turpis proventus tollendus. Et Zaſius noſter vir immortalitate dignus præceptor meus recte cenſet turpe eſſe, nec ullo pacto ferendum, quod quidam Prælati feudum conſtituerunt ex quæſtu luſorio, vulgo Schalder. tit. Quæ res in feu. da. poſſ. Lampridius autor eſt, Imp. Severum vetuiſſe inferri in ſacrum ærarium lenonum vectigal, & meretricium & Electorum.

AN-

ANTONII PANORMITÆ

DE DICTIS ET FACTIS

ALPHONSI REGIS ARAGONUM

LIBER II.

PROOEMIUM.

Vereor ne quis me putet in his libellis pleraque locutum in gratiam Alphonſi Benefactoris, ac proinde vanitatis arguendum eſſe. Quod vitium à gravi viro præſertim ſcriptore longiſſimè abeſſe debet. Verum ille quiſquis eſt, modo eſt aliquis, neq; mores meos neq; Alphonſi naturam ſatis noſſe facile coargueretur, cum intelliget mihi quidem haud opus fuiſſe aſſentatione ad gratiam ineundam, quam, videlicet, aſſecutus eſſem etiam ſingularem viginti annorum perpetua lectione, conſtantiſſima fide, conſtanti obſequio, ſumma obſervantia, & puro conſilio, veritate incorrupta: quibus profecto artibus à ſummo, atq; humaniſſimo Rege potiſſimum dilectus, atq; probatus, ſine vanitate, aut blanditia aliqua. Qua in re teſtis mihi fuerit conſtantia ejus, quæ nihil magis averſata eſt quam adulatores, quos etiam peſtem Principum appellare conſuevit, & variis interdum pœnis affligere. Tantum itaq; abeſt ut ego me hujuſmodi levitate ſubinſinuem, ut nihil magis doleam, quàm permulta illum dixiſſe, aut feciſſe, quæ neſciam: & quæ ſciam, haudquaquam me ea ſuavitate ſcripturum eſſe, qua illum conſtat apud homines locutum fuiſſe. Fuit enim ſermone admodum jucundus, brevis & elegans, venuſtus & clarus. Ego vero ut quæq; in mentem veniunt, quanquam ſunt pauca è multis, ea tamen dicta aut facta literis mando, non loci non temporis ordine ſervato (neq; enim hiſtoriam ſcribo) ſed ea duntaxat excerpo atq; perſtringo, quæ ad exempla virtutis ac probitatis accommodari poſſe videantur, quæ illis maxime in promtu ſunt, qui de Alphonſo quotidie aut loquuntur aut ſcribunt, aut deniq; imitari eum ſtudebunt fortaſſis in poſterum. Sed de hoc hactenus, ad Alphonſi dicta & facta redeamus.

Qui norit Alphonſum, nemo te Antoni dixerit adulatum. Si adulari eos tantummodo dicis, qui mortalium facta, dictaq; ſupra verum extollunt. Libellus tuus quamvis elegantiſſime ſcriptus eſt, diminute tamen magis, quàm magnifice regis laudes attingit. Nec miror; quis enim ejus regis egregia facinora abunde retulit, qui annos quadraginta omnium judicio ſapientiſſimè regnaverit. Ego quidem ut de tuo Rege judicium meum proferam, omnes qui modo regnant, quiq; regnaturi poſt hac fuerint, Alphonſum tanquam ſpeculum quoddam virtutum contueri oportere arbitror. Si ſibi gloriam, et provincialibus ſuis quietem parare voluerint.

AL-

ALPHONSI
REGIS
DICTORUM ET FACTORUM
LIBER II.

1 CUM eſſet Valentiæ Alphonſus, appulerunt eò loci Caroli Regis Franciæ legati magnopere eum rogantes, ne per id tempus, quo Rex eorum bello Brittanico implicatus eſſet, contra ſe bellum aliquod ſuſcitaret. Quàm maximè enim verebatur Carolus, ne Alphonſus capto tempore & occaſione eum armis laceſſeret, propterea quòd jus ac titulum prætenderet in eam partem Galliæ Narbonenſis, quam incolæ Occitanam vocant. Quibus Alphonſus ita reſpondit. Et ſi certò ſcio plurimas Narbonenſis Galliæ civitates ad Aragoniæ Regnum pertinere, quas Carolus Rex jampridem occupatas detineat, nihilominus hoc tempore, quo illum intelligo bello ſuperatum, & à Britannis protritum eſſe, nequaquam me arma contra profligatum regem moturum eſſe vobis affirmo: neq; eo animo eſſe vobis affirmo, ut quæ majores mei in Caroli proſperitate non petierint, ego in ejus repetam calamitate. Quid regi indecentius, quàm victum provocare. Rurſus quid inhumanius, quàm naufragum ſubmergere. Hac ſecuritate legatos remiſit demiratos Alphonſi virtutem, & magnanimitatem. *Magnanimè.*

2 Cum adhue Valentiæ ageret, Heleonoram ſororem, quam unicè diligebat, Eduardo Joannis Portugalliæ Regis filio natu majori magnificantiſſimo apparatu nuptui tradidit. Ex quibus poſtea procreata Heleonora filia: dumq; hæc ſcriberemus Friderico tertio Romanorum Regi, quod fauſtè & feliciter eveniat, ejuſdem regis & avunculi opera deſponſata eſt. Ca- *Liberaliter.*

---

1 *Inter fratres qui beatæ Mariæ Teutonicorum appellantur, ac Poloniæ Reges de regni finibus magna ſæpe contentione certatum eſt, Cæterum arbitror Sigiſmundo Cæſare litem extinctam, pacem factam, juratum ſignatumq; fædus. Anno ab hinc tertia conſpirant inter ſe quinq; & quinquaginta Pruſſianorum civitates, impiaq; contra dominos arma ſuſcipiunt, & contra fratres univerſæ rebellant. Tum Caſſimirus Poloniæ rex portionem ſui regni Pruſſiam eſſe aſſerens, occaſione oblata bene gerendæ rei bellum fratribus indicit. Tanto divi Alphonſi, quàm Barbari regis modeſtia major. Sed non minori perfidia Picininus contra Senenſes uſus, quos bello quandoq; mole afflictat, quamvis ſibi patrique ſuo fuiſſent amiciſſimi, non eſt veritus armis laceſſere.*

2 *Ad hæc ſponſalia contrahenda nos huc ex Auſtria legati Cæſaris venimus, remque abſolvimus, quamvis collegæ noſtri Georgius de Populoſa, & Michaël de Plena villa adverſi eſſent, qui dotis nomine minus promitti, quàm par eſſet, arbitrabantur. At Leonora Auguſta, ſic enim eam vocitamus, regia neptis hoc anno filium peperit, Chriſtophorum nomine, ſcitum puellum & oris lineamentis Alphonſo perſimilem, utinam moribus.*

Conſtenter. 3 Capta ab rege Maſſilia, cum ſibi renunſiaretur matronas ferè omnes ac puellas civitatis pretioſiſſimis rebus omniſariàm onuſtas in templum Auguſtinianorum perſugiſſe, eas diligentiſſimè obſervari curavit: Cumq; & illæ vim, & contumeliam pertimeſcentes Regi per internuntium ſupplicarent, ut tradita omni earum gaza, ipſas omnino ſineret intactas, Rex ne viſas quidem cum univerſa ipſarum ſupellectile quantumvis pretioſiſſima, ad unam omnes abire permiſit.

Mirè. 4 Illud quoq; in obſidione Maſſiliæ admirabile extitit, quod ex inſula Pomatia quæ ad tria fermè milia paſſuum contra Maſſiliam ſita eſt, ſaxa tormentaria mille quingentorum pondo ad urbem vel ultra etiam urbem jecerit. Catenam portus ampliſſimam hoſte invito, ac renitente perfregit. Sed & id longè admirabilius, quòd opulentiſſima urbe vi potitus, nihil inde præter divi Aloyſii corpus deportavit. Indignum ſanè dijudicans tam venerabiles reliquias in urbe victa, direpta & incenſa remanere debere. Illud quoq; non omittendum quòd cum inde in Hiſpaniam enavigans aſperrima maris tempeſtate jactaretur, & nautæ, & ſacerdotes, & commilitones unà omnes conclamarent Aloyſii corpus velut periclitationis cauſam remittendum eſſe, illum in propoſito perſtitiſſe, & aut ſibi unà cum Aloyſio pereundum eſſa, aut in longè auguſtiorem Deo acceptiorem civitatem ſe ſanctiſſimi corporis reliquias conditurum aſſeveraſſe. Vicit conſtantia, pervenitq; Valentiam ulteriorem Hiſpaniæ inclytam civitatem, ut ſanctiſſimum Aloyſii corpus clariſſimæ victoriæ ſolam mercedem, ſed æternæ ſuæ gloriæ monumentum ſumma cum veneratione, ac gratulatione civium collocavit.

Religiosè.

Fortiter. 5 Gerborum inſulam, quam putamus Lotophagitem antiquitus dictam, ingenti admodum claſſe rex obſederat, & ne ulla incolis auxilii ſpes reliqua eſſet, pontem, qui continentem conjungebat, deſecuit, turribuſq; munivit. Quo facto relinquebatur Alphonſo nihil niſi ut levi momento inſulam populatus rediret victor, & voti compos. Cum interim ab Oſerio Tunicenſium Rege literæ in hanc ferè ſententiam deferentur, Rex regi ſalutem: Scimus, ô Alphonſe, te majo-

---

3 *Aphricanum ſuperiorem, qui unius virginis pudicitiæ conſuluiſſet, non ſatis à Livio laudatum arbitramur, quamvis in ea facto extollendo nihil obmiſiſſe videatur. Alphonſus Maſſilienſes omnes virgines ac matronas conſervavit intactas. In agro quoq; Vulturnano cum oppidum vi expugnaſſet, cui Ripa Malerantiæ nomen eſt pari moderatione in fœminas uſus eſt. Quas igitur huic regi laudes attribuemus? immortales certe. Si Picininum depreſſeris, apud quem virgines ac nuptæ bello captæ contumelia afficiuntur.*

4 *Ratiſpona ſuper Danubii ripa apud Bojoarios magna & inſignis urbs eſt, hic ſancti Emmerani vetue monaſterium cum viſeremus, Abbas qui loco præerat, reconditum nobis oſtendit corpus, quod divi Dionyſii Areopagitæ eſſe aſſeveravit. Cum nos Dionyſium apud Pariſios obſervari diceremus, Leonis Papæ literas in medium attulit, quæ teſtarentur Imperatorem, ſi rectè meminimus, ex Henricis unum, cum regem Franciæ inviſiſſet ac Pariſiis ageret, hæc oſſa furatum huc detuliſſe, appellatq; ſanctus Pontifex pium Imperatoris furtum, nos regis pium ſpolium dicere poſſumus, quo ſanctiſſimus Aloyſius ex Maſſilia in Valentiam translatus eſt.*

5 *Heri aliquot legati regem convenimus, incidit ſermo de Philippo duce Burgundiæ quòd votum voviſſet contra Turcas arma ſumere, laudavimus nobiliſſimi principis animum. Quid nam ipſe rex facturus eſſet ad religionem tuendam? percunctati ſumus. Tum ille, ſi vixero, inquit, in annum proximum claſſe Turcos in Græcia atq; Aſia laceſſam. Alphonſus ex ſorore nepos rex Portugalliæ in comitetu meo erit, quodrin-*

majori animo eſſe, quàm ut Gerborum populatione contentus decedas. Iccirco decrevimus ad te confeſtim accedere, & facie, quod ajunt, ad faciem intueri. Credimus interea minime receſſurum, quoniam fugere longe a magnanimo alienum eſt, vale. Alphonſus his literis acceptis, oblata occaſione majoris gloriæ, decrevit, contemta inſula, barbarum expectare. At ille tempori advenit, & quidem cum centum millium fermè armatorum exercitu, caſtraq; ad jactum teli contra pontem & turrim, quam noſtri milites tenebant, locavit, tormentis, telis, clamoribus noſtros continuo laceſſens. Conſtituerat Alphonſus poſtero die collatis ſignis decernere. Cæterum ardor militum, ut plerumque fit, contineri diutius nequivit: ponte tranſmiſſo in continentem eruperunt, ac profligarunt barbaros, nec procul fuit quin regem etiam ipſum caperent, qui à propinquis & neceſſariis quibuſdam ſuis in equum allevatus, inter noſtrorum militum manus propemodum apprehenſus effugit. Qui vero regem tutati fuerunt, quoniam fugæ locus non fuit, ad unum omnes trucidati ſunt ante regis pedes, prætorium captum, direptumque, tormenta ænea ac ferrea omnia confracta, ſigna militaria pleraq; ablata, inæſtimabilis atque omnis generis præda ex victoria relata.

6 Cum rex victoria illa inclyta Tunicenſium, aut magis Pœnorum regis, In Siciliam ſe recepiſſet, non milites quidem ſivit otio torpeſcere, ſed ſtatim, re frumentaria & aquaria reparata trajecit in urbem quam Pœni Aphricam vocant, ubi perſpecto & urbis & portus ſitu, abductis demum aliquot hoſtium navibus, quæ in portu erant, Siciliam primo, inde Ænariam petiit, quam inſulam incolæ Iſclam appellant. Cæterum in hac Aphricana expeditione illud relatu dignum mihi viſum, quod oppidani rege quàm primum cognito, inauditam gratulationem intra urbem ediderunt, tubis, tibiiſque ac vocibus affectum animi ſignificantibus, putarunt noſtri civitatem ſeſe dedituram. At illis mos eſt tranſeuntem regem quamvis hoſtem applauſu, & hujuſcemodi gratulatione venerari. *Diligenter.*

7 Vini autem omnino expers vixit, aut eo quàm dilutiſſime uſus eſt. *Abſtinentia.*

Eaq;

---

dringentis & eo amplius velis mare ſulcabimus, in beſtium terram quinquaginta millia pugnatorum exponemus. Jam tela, jam arma in promptu ſunt. Tritici modios quinq; & ſeptuaginta milia conſcripſimus. Naves onerarias triginta expedivimus, quarum unam in portu vidiſtis, qua majorem ævo noſtro non tulit Pelagus, animus bonus eſt, adſit modo cum vita bona valetudo. Si propoſitum rex tenuerit, treis orbis partis armatus inviſerit, ac triumphando percurrerit, Europam, Africam, & Aſiam. Idem Cæſar factitavit. At ille contra patriam, hic pro patria pugnaturus eſt, & pro catholica Eccleſia, in qua regenerati omnes ſumus.

6 *Naugardia civitas eſt inter Rutenos ampliſſima, & auro atq; argento abundans. Rutenos non illos dico de quibus Lucan. ait. Solvuntur flavi longa ſtatione Ruteni. Nam eos inter Galliam habitaſſe conſtat. Hi Germanos ultra & Sarmatas & Lituanos non longe ab ortu Tanais ſedes habent, ad quos Romanorum ducum nemo unquam penetravit. In media urbis fora lapis quadratus eſt, in quo rex & quidem ſtans jus populo dicit: ſed raro regia poteſtas in annum apud unum manſit, ſæpe in unum diem duo, treſve regnavere. Surgit enim ex populo, qui clientelis ſe ſatis armatum exiſtimat, Regemq; deturbans lapide, locum ejus invadit, atque e veſtigio rex ſalutatur, haud abſimilem & ipſe caſum ſubiturus, ſi quis ſe fortior adventarit regni cupidus. Mira diverſitas regionum, Septentrio ſuos inhoneſtat reges, Meridies non alienos tantum, ſed etiam hoſtis honorat.*

7 *Fridericus Imperator extra cœnam*

nau-

Eaq; abſtinentia factum, ut pleraq; regum exempla, ad curiales ac regios propè omnes propagarentur, potiſſimùm cum eos ſæpe admonens afferret Alexandri Macedonis gloriæ plurimum obfuiſſe vini intemperantiam; tum illud frequenter uſurparet, ſapientiam vino ubumbrari: neq; illud minus, ebrietatis filios eſſe furorem & libidinem.

Fortiter. *Piè.*

8 Præſtito jam auxilio Joannæ reginæ, ejectiſq; ejus adverſariis è regno, & tandem illa in priſtinam & dignitatem & tranquillitatem regis opera atque potentia reſtituta, allatum eſt Henricum fratrem a Joanne ulterioris Hiſpaniæ rege, dominatu boniſq; omnibus ſpoliatum in vincula conjectum eſſe, Rex celeri nuncio permotus, ſiquidem Henricum propter ejus animi egregia ornamenta, magis etiam quam fratrem diligebat, poſthabitis Neapolitani regni deliciis, quas ſibi multo & ſudore & cruore comparaſſe videbatur, ad liberationem fratris contendit, quem liberavit, & in priſtinam fortunam reſtituit.

Sapienter.

9 Cum eſſet Rex apud Ænariam, in quam unà cum victoria Aphricanam morbum intulerat, & inaudito genere peſtis laboraret exercitus, renuntiatur ei inter cæteros Antonium Picantem ordinis Eremitarum nobilitatum poſt mortem hypocritam per ſummos cruciatus animam exhalaſſe, jactando plurima in Chriſtum dominum, & virginem ejus matrem convicia, atq; blaſphemias. Hic eſt ille Antonius, qui quadraginta dies & noctes perpetuo jejunare ferebatur, qui Italiam, Siciliam, atq; Hiſpanias compleverat nomine ſanctitatis & abſtinentiæ, pluribus locis cella præcluſus, & a cuſtodibus obſervatus nihil edens aut bibens, quoniam in prævila, ac prætentata cella, in qua nihil quod vel obſervare liceret, ineſſe videretur. Cæterum angelos ei quotidie miniſtrare, ac confabulari ſolitos opinabantur. Verum ipſi intus in cella erant candelæ craſſiores, exterius quidem & ſuper ſuſoriè ceratæ, ſed in quibuſdam fiſtulæ cannarum concludebantur farina infartæ, quæ ex contritis phaſianorum, ac caponum

---

nunquam utitur vino. In cœna lectiſſimum bibit, & id aqua perdomitum. Leonoræ Auguſtæ quæ paterna in domo nunquam vinum guſtaſſet, ſuadebant medici in Germania regione frigida, ſi mater fieri vellet vinum biberet, quod cum accepiſſet Fridericus, me vocato, abi, inquit, atq; Imperatrici dicito ſterilem me conjugem quàm vinoſam malle. Proinde me ſi amat, vinum oderit, ad id nuncium Leonora: etſi viri juſſioni tam libenter pareo quàm vivo, ſi tamen vini uſum mandaverit Imperator, mori optaverim, quàm parere.

8 *Teutoniæ regibus, qui ad imperium eliguntur apud Belgas in Aquenſi civitate mos eſt coronari, atq; inungi. Huc dum Fridericus jam electus properat, Albertus frater ejus junctis cum omnibus Celiæ viribus Carnos invadit, Labacum inſigne ac munitiſſimum oppidum obſidione cingit. Cramburgenſes infeſtat, Tergeſtinis, ſe niſi dedant exitium minatur, apud Carenthanos, apud Stirienſes novas turbas excitat, Seniores qui apud Erneſtum patrem inprimis accepti, ac fideles fuerant, Friderico ſuadent patrimonii quàm imperii curam majorem gerat. Imperium rem communem, alia tempore curari poſſe, patrimonium rem proprium, & ad hæredes tranſiturum, niſi nunc tueatur, fruſtra in poſterum optari, quæriq;. Contrà Fridericus imperii communia negocia per ſeſe hæreditaria & privata per procuratores curanda ſtatuit. Cœptumq; iter proſequens belli duces elegit, qui ſe abſente patriæ conſulant: coronatus dum revertitur, fratrem cum comitibus profligatum reperit, ad ſe vocatum temerati fraterni hoſpitii et amoris urgens, rurſus in gratiam recipit, et quaſi nihil peccaſſet, in partem regni reſtituit.*

9 *Mulierem, quæ in dies quadraginta totidemq; noctes nihil omnino ederet ſe vidiſſe Patavii magnus Alber-*

ponum carnibus ſaccaro, ac aromatibus immixtis condiebantur. Ajunt & cingulum geſtaſſe fiſtulatum plenum nectare quod hyppocraticum vocant. His epulis clanculum veſcebatur, vir habitus æque ſanctus, & mortalium omnium qui unquam fuerunt aut eſſent vulgi opinione, abſtinentiſſimus. Is igitur cum renuntiaretur regi vermiculis ac acerbiſſimo genere mortis abſumtus, dixiſſe ferunt, propterea Deum in hypocritas tantopere ſævire, quod dum homines decipiunt, interponunt Deum ipſum tanquam ſceleris mediatorem. Ideoque, ut plurimum viventes adhuc plecti in oculis hominum, quos Dei nomine fefelliſſent, ut intelligant mortales à tali monſtro maxime ſibi cavendum eſſe, quòd Deum ipſum nedum poſt mortem, ſed etiam in vita ipſa haberent indubitatum ultorem.

Prudenter. Juſtè.

10 Acceſſit quidam ad Regem & in laudem & commendationem inimici ſui cujuſdam capitalis, verba coram faciens, admirationi erat iis maxime, qui ſimultatem eorum probè cognorant. Sed prudentiſſimo regi inſueta bonitas ſuſpitioni fuit. Dixitq; ſeorſum ad amicos & familiares. Hæc benedicentia, mihi credite, erumpet tandem in calamitatem inimici, ne adverterimus: nec eum ſefellit opinio. Sex continuos menſes benedicendo ille protraxit, ut è benedictis fidem adeptus opportunius inimicum opprimeret. At ejus malitia, quæ ſub ſpecie bonitatis in caput alterius ſerpendo graſſabatur, regis prudentia detecta eſt, & inſons ille à calumnia ſervatus.

Prudenter.

11 Cum audiſſet nonnullos Europæ reges ad Baſilienſe concilium deſtinaſſe miſiſſeq; oratores potentes, & progenie illuſtres, magna cum & equorum, & comitantium pompa, delegit ipſe è ſuis quos ad concilium mitteret, non quidem qui ſanguine, ſed qui ingenio, & ſapientia præcellerent. Hi fuerunt Ludovicus Pontanus juriſconſultorum eo tempore facile princeps, & Nicolaus Siculus Archiepiſcopus Panormitanus, & hic in jure pontificio ætatis ſuæ nemini ſecundus. Namq; haud decere inquiebat, quum de jure humano & di-

---

bertas ſcriptam reliquit. Neq; id contra naturam eſſe in fœmina ægrotante et frigida. Verum ſub Nicolao quinto Pontifice maximo ex ultimis Galliarum finibus presbiter Romam venit, qui ſe in quadriennio nullo uſum cibo dictitabat, niſi cum aliquando ab epiſcopis invitatus paullulum quid deguſtaſſet, inediaque ſuæ in multos dies, ſi quis optaſſet, periculum faciebat. Hic dum Senis eſſet Leonardo noſtro Imolenſi Romanam ſe curiam petiturum ait, ſcandalumq; ibi paſſurum, non periturum: cum venit Romam dict illic multos fuit, admirationem ſui turbis fecit, quaſi ſanctus, et Deo charus. Poſtremò captus, virgiſque cæſus, in exilium eſt actus. Suſpectum eſt enim quicquid prodigioſum.

10 *Comites de Vvirtembergo apud Germanos in Suevia late dominantur quamvis Principatus honore et appellatione careant, potentia tamen multos principes antecedunt. Ac inſolentes et improbi habentur, qui neque Romanam ſedem verentur, neq; obſequuntur imperio. Nobilis quiſpiam qui hos diu ſectatus fuiſſet ab eis tandem recedens ad curiam Cæſaris profugit. Henricus tum ſeptimus imperabat, avus Caroli quarti, qui Sigiſmundi pater fuit, Nobilis in conſpectu Cæſaris quotidie accuſare comites, nunc rebelles, nunc raptores appellare, hoſtes imperii, contemtores eccleſiæ. Cui Henricus, tace, inquit, veterator, neq; laudanti tibi, quos ſcimus peſſimos, neq; vituperanti, quos tu olim ſequebaris, fidem habemus.*

11 *Ludovici Pontani, et Nicolai Siculi bella legatio et digna tanto Principe, niſi diſcordes animæ et invidia laborantes, neq; Regi, neque Concilio utiles extitiſſent: fuimus et nos Baſileæ, notumque nobis eſt, non minus occupatam fuiſſe ſynodum ad reconciliandos inter ſeſe re-*

vino diſceptandum eſſet, nobilitatem, potentiamve jactare, ſed doctrinam, ſcientiam, atq; juſtitiam.

Obſervanter. 12 Numiſmata illuſtrium Imperatorum, ſed Cæſaris ante alios, per univerſam Italiam ſummo ſtudio conquiſita in eburnea arcula a rege penè dixerim religioſiſſimè aſſervabantur. Quibus, quoniam alia eorum ſimulachra vetuſta jam collapſa non extarent, mirum in modum ſeſe delectari, & quodammodo inflammari ad virtutem & gloriam inquiebat.

Studioſè. *Modeſtè.* 13 Caji Cæſaris commentarios in omni expeditione ſecum tulit, nullum omnino intermittens diem, quin illos accuratiſſimè lectitaret, laudaretq; & dicendi elegantiam & belli gerendi peritiam; inertiſſimum ſe præ Cæſare prædicare nequaquam veritus, tametſi à nonnullis tum ſtudiis humanitatis, tum militiæ ſcientia non in ultimis reponeretur.

Studioſè. *Modeſtè.* 14 Librum & eum quidem apertum pro inſigni geſtavit, quod bonarum artium cognitionem maximè rebus convenire intelligeret, quæ, videlicet, ex librorum tractatione atq; evolutione perdiſceretur, atq; ideo Platonem in primis laudare ſolitus erat, quòd reges diceret, aut literatos eſſe oportere, aut certe literatorum hominum amatores.

Studioſè. 15 In urbium direptione quicunq; ex militibus librum offendiſſet, confeſtim certatimq; illum ad regem quaſi ſuo quodam jure perferebant. Siquidem fama vulgaverat eum libris maxime delectari ſolitum. Itaq; nulla alia in re ma-

---

git legatos quam ut Bohemos ad eccleſiæ catholicæ conſenſum reduceret.

12 *Antonius S. Marci Cardinalis Eugenii quarti ſummi præſulis nepos, incredibile eſt quàm multa numiſmata veterum conquiſierit imperatorum ac principum, amator et hic vetuſtatis eſt. Nobis Alphonſus, cum eſſimus apud ſe Puteolis, ait inventum à ſe Neronis aureum nummum, qua peſſimus imperator eam ſibi laudem uſurpavit, qua divus Auguſtus in cœlum tollitur: Clauſi templum, quod veteres Iana dicaverunt; damnabatq; ſapientiſſimus Rex ſtultum principem, qui ſibi falſam gloriam vendicaret. Non eſt igitur Antoni cur vel tu, vel ego, tanti Regis gratiam conſequi mentientes ſperemus.*

13 *Bartholomæum Facium, qui geſta Regis ſcribit, non miror imitatum eſſe in genere dicendi C. Cæſarem, quando ejus commentarii regi tantopere placent. Verum Lituaniæ ducem Suitrigalum nunquam è domo pedem moviſſe ajunt, quin diſpenſatorem percontaretur, an librum quem ſibi de arte Popineria accuratiſſimè componi curaverat, ſecum afferret, quaſi Apicius exquiſitarum cultor epularum. Cœna apud eum non minus ſex horarum fuit, nec fercula minus quàm triginta & centum allata ſunt dum ligaris. Itaq; occidentales Reges Septentrionales edunt.*

14 *Quod jubet alternatim Plato, Alphonſus copulatim implet, qui & literatus eſt & homines amat literatos. At rara in terris avis. Nam ſeculo noſtro omnes fermè Reges Nurſini videntur, qui lectoratos (ſic enim literatos vocant) è conſilio procul arcent.*

15 *Vuenceſlaum Bohemiæ Regem inter purpuratos ſuos crebro ſermone uſurpare ſolitum ferunt, Ego ſi me diripiendis urbibus Italiæ ſors præſentem dederit, cæterarum rerum prædam militibus impartiar, vini tantum apud me ſpolia reſervabo. Si quis autem in cellam vinariam injuſſu meo fuerit ingreſſus, gladio ferietur. Hunc principes Electores velut inertem atq; ſocordem imperio dejecerunt, Ruperto Bajoario in locum ejus ſuffecto, ad quem Civitates Teutoniæ omnes defecere demtis Norimbergenſibus, qui Vuenceſlao juraſſent. Hi cum hinc juriſiurandi religionem vererentur, inde vim Baioarii timerent, legatos*

magis ſeſe regi gratificari dignius, aut facilius poſſe arbitrabantur, quàm in libris exhibendis, atque tradendis.

16 Diem illum in quo nihil legeret ſe perdidiſſe dicebat. Sed & cum audiſſet Veſp. Cæſarem eum diem ſe perdidiſſe ſolitum dicere, in quo nihil quicquam alicui donaſſet, egiſſe gratias Rex dicitur immortali Deo Jeſu Chriſto, quòd eo modo nec diem ipſe perdidiſſet. *Liberaliter.*

17 Gloriatum aſſiduè Regem ſcimus, quòd Biblia quater & decies cum gloſſis & commentariis perlegiſſet. Proinde illa memoria ita tenere, ut non ſolum res, ſed & verba etiam ipſa pluribus locis ſine ſcripto redderet. *Studiosè.*

18 Cum claſſis regia, tempeſtate abrepta, ad Inſulas Stæchades decurriſſet, atq; eòdem una ex diſſipatis triremibus adventare proſpectaretur, conſciſſo velo ac remo decuſſo, ſummo cum militum, & nautarum diſcrimine, inclamavit rex, ut advenienti illico omnes irent ſuppetias. Cumq; omnes periculum recuſantes inclamarent melius unam quàm univerſas triremes iri perditum, Rex nihilo ſegnius prætoriam ſolvit ipſemet, & ſi nemo ſubſequeretur, ſolus opem anxiis laturus. Quo facto cum cæteri poſtea pudore compulſi regem ſubſecuti, triremem propè obrutam non ſine omnium periculo moveri poſſe dicerent, Mihi profectò, Rex ait, ſatius viſum eſt unà cum ſociis viris fortiſſimis occumbere, quàm illos videre pati, & ante oculos interire. *Fortiter.*

19 Cum quidam ſtirpe illuſtris, quem hic honoris gratia non nomino, læſæ majeſtatis apud regem delatus, facinoriſq; convictus, & majeſtatis reus eſſet, non ſententia aliqua lata, non ſcripta, ut ſolet, ſed tacito quodam judicio in eum animadvertit, quo ex facto utrumque providit, & ne ſcelus impunitum remaneret, & ne generoſa reliqua domus unius noxa notaretur infamia. *Modeſter.*

Ur-

---

tos ad Vvenceslaum mittunt, qui ſe juramento ſolvi petant, ac ſi neceſſe ſit, auri viginti milia nummûm eu eum rem offerunt. Rex auditis legatis liberos Norimbergenſes dicit, ſi currus quatuor tradant onuſtos vino, quod Boccharacenſe vocant, hoc eſt inter Rhenenſia vina, ut putant, optimum.

17 *Ab eo principe, qui muſcam è crotere, ut ante relatum eſt, proripuit, petiit quiſpiam filiæ, quam haberet unicam, aureos viginti, quibus eam nuptui traderet. Sibi enim non eſſe unde corradere dotem poſſee. Id ubi negatum eſt, ad vicinum regem commendotitias literas impetravit, quas vir bonus & nobis amicus dictavit, ſignandaſq; principi tradidit. Cui princeps unde papyrum ſumſiſti? Ex tuo, inquit, armorio. Tum princeps, ſiccine me, ait, expilatis omnibus. Si ſic bona noſtra prodigemus, ad mendicitatem brevi redigemur. Malu hunc diem expendimus.*

18 *Pudeat Italiæ ſacerdotes, quos ne ſemel quidem novam legem conſtat legiſſe, apud Thaboritas vix muliereulam invenias, quæ de novo teſtamento, & veteri reſpondere neſciat.*

Si unius triremis liberandæ cauſſa in qua ducenti, vel paulo plures perire homines poterant, ingenti periculo ſeſe rex objecit, quid faciat pro beati Petri navigio? cum quo niſi procellam Turcorum evoſerit Chriſtianam perire ſocietatem oportet.

19 *Vitoldus dux Lithuaniæ læſæ majeſtatis reos urſorum pelle canſutos, urſis quos domi nutrierat laniandos objiciebat. Cujus ſeveritatem, ne dicam crudelitatem adeò provinciales extimuerant, ut cum dixiſſet aliquando duobus pluribuſve, Ite otius ac laqueo vos appendite, nemo imperium recuſaverit, auditumq; nonnunquam ſit, qui currens hortatus alios, eamus quàm properanter, dixerit, ne bilem domini commoveamus.*

Fri-

Clementer. 20 Urbem Neapolitanam pertinaciſſimè obduratam pugnando deniq; cum cepiſſet (Deus immortalis) quàm manſuetè, quàm humaniter, quàm liberaliter ſeſe geſſit, omnium primum milites à cæde, ac direptione coërcuit, & præter primos impetus, quos continere facile non fuit, poſtea cives omnes à militum furore, & avaritia tutos incolumeſq; ſervavit, ipſemet ſtricto enſe perequitans civitatem, proſpicienſq; ne quis alteri vim, aut contumeliam aſferret. Dein his, quanquam victis, liberorum jura conceſſit, injuriarum omnium etiam Petri jucundiſſimi fratris cædis oblitus.

Modeſtè. Fortiter. Clementer. Liberaliter. 21 Expugnata jam civitate Neapolitana, ne ex victoria, ut evenit, inſoleſceret exercitus, aut voluptatis reſolveretur illecebris, confeſtim compoſitis rebus recto ad hoſtes itinere protendit, quorum dux erat Antonius Cadola vir ſtrenuus, atq; in armis clarus, cumq; eos in agro Capuano nactus eſſet, prælio inſtructos intentoſq;, & numero & virtute plurimum exultantes, adhibito conſilio rex proponit, exquiritq; an prælium ſumendum ſit necne. Cumq; ex proceribus quidam ſuſcipiendum omnino eſſe cenſuiſſent, ſi rex ipſe præſens non eſſet: Ergo, quod maximè, inquit, opitulari dimicantibus ſolet imperatoris præſentia, nunc, ſi diis placet, affutura eſt. Statim ut, Deo bene juvante, prælium committerent, pronunciavit, mox intellecturi nihil eorum fortunæ ac gloriæ obſtituram præſentiam ſuam. Fit ergo prælium initio ſatis ancipiti marte, demum poſtea regis auſpiciis atq; virtute fuderunt, ceperuntq; hoſtes fermè omnes. In quibus Sfortiani equites propè innumeri capti, centuriones aliquot, Ipſe Antonius dux item captus. Accedit huc omnibus ſeculis memoranda clementia: Antonium Cadolam exitialem, & quaſi hæreditarium regis hoſtem, cum omnes morte mulctandum eſſe cenſerent, ſalvum eſſe Rex juſſit bonis & paternis & ſuis omnibus ſervatum reſtitutumq;. Nec Jacobi patris capitales inimicitias, nec Antonii filii pervicaciam jamdudum ſibi damnoſiſſimam vel minimi æſtimare viſus eſt. Milites præterea captivos miſſos fecit, nonnullos etiam, quamvis hoſtes, muneribus, ob egregiam virtutem, & integram famam, donavit, exornavitque. Qua manſuetudine & benignitate ipſos etiam hoſtes ſibi exinde benevolos reddidit, univerſoq; poſt hoc regno Neapolitano ab Aquila Marſorum urbe ad Rhegium uſq; Brutiorum ſine adverſario in pace ſumma & tranquillitate potitus eſt.

Iſclam

---

20 *Fridericus Imp. III. victis bello & vi captis Gunzienſibus LXXX. homines qui rerum novarum, ac rebellionis autores fuerant, in patibulum ſuſtulit, reliquæ multitudini vitam libertatemq; ac fortunas conceſſit.*

21 *Sequebamur Alphonſum ex hoſpitali beatæ Mariæ in arcem regiam, tum forte vir grandævus vultu habituq; venerabilis, regem ſalutat. Rex autem ad nos converſus, Sic, inquit, cum obſiderem hanc urbem ad me venit in caſtra atq; bono animo eſſem juſſit. Nam circa Calendas Junias, quæ tunc inſtarent, oppido potiturus eſſem, at non diu poſt futurum eſſe anceps prælium, ait, in quo dux exercitus caperetur, meque commonuit, ne illi pugnæ intereſſem. Prima vaticinii pars impleta eſt, quarto nonas Junias Neapolim in poteſtatem redegi. Copiæ noſtræ atq; Antonii Caudolæ in agrum Capuanum convenerunt, dubitatum eſt inter noſtros, an prælium committi oporteret, quòd vitæ noſtræ timerent, quod cum ad me relatum eſt, Ergo ea res vobis timorem, inquam, incutit, quæ præſtare animum, atq; audaciam debet? Induiq; me mox galeam, & ſigno pugnæ dato in hoſtem me converti, fregi acies, vici, profligavi, Antonium captivum abduxi. Nec me vaticinium, nec trepidum conſilium amicorum terruit.*

Nau-

22 Iſclam oppidum & milite & ſitu munitiſſimum pugnando cepit, captis *Fortiter.*
licet graviſſimis hoſtibus pepercit. In id poſtea ab eo colonia Catalanorum deducta, ut eſſent, qui cum virginibus aut viduis Iſclanis connubia copularent, ratus, videlicet, id quod evenit, animos illorum deliniri & conciliari poſſe prole ſuſcepta. Cæterum in eadem expeditione & hoc contigit, quòd eum victoriæ compos diis gratias acturus ad littus ubi templum extat Mariæ virginis trajiceret, Scapha nimio pondere regiorum preſſa ſubſedit, Rege uſq; ad vada ima dilapſo nandi penitus ignaro. Cumque ope Cajetani cujuſdam ab imo redditus fundo mox ſeſe collegiſſet, dixiſſe fertur, non parvo magna conſtare, tum adjutori ipſi ultimæ ſortis homuncioni ſalarium annuum conſtituit, pariter & filiabus quinq; dotem dedit. *Clementer. Gratè.*

23 Vicaro Apuliæ oppido vi capto, cum miles à direptione continere nequiviſſet, Rex veritus ne furor tandem baccharetur in mulierum pudicitiam, conquiſitas cum cura in locum extra muros procul à militum impetu, congregavit ſervandas, dato negocio Joanni Alzino viro ampliſſimo, & inibi ſervatas ſimul & illibatas cum præſidio, quo vellent, dimiſit, paucis poſt diebus ad lares, unde digreſſæ erant, pro ut libitum fuit, tutò redituras. *Conſtanter.*

24 Erat in Samnio rex haud procul Boviano, cum ſubitò affertur hoſtes adventare, ac jam propè eſſe, quo nuntio capere arma milites juſſit atq; hoſtibus obviam contendere, & jam ad tria milia paſſuum proceſſerat, inſtructus armatuſq;, tandem in campis apertis juxta Trojam in conſpectu hoſtium conſedit. Stabant omnes loco edito ad prælium & ipſi parati inſtructiq;. Cæterum rex conſultò haud movebat, quo hoſtes in æquum pelliceret ad pugnam. Illi vero numero fidentes quo ſanè præſtare videbantur, & colle deſcendunt, & magno impetu pugaam incipiunt. Tum regem exclamaſſe his auribus audivi (nam præſens aderam) O milites victoria noſtra eſt, oſtendens etiam à qua acie, à quòve luco victoria orir etur. Mox & ipſe inter primos concitatiſſimè in hoſtem ferebatur. Crederes fortunam præſidem ballorum adaſſe Regi, qui tam exiguo momento hoſtes viros fortiſſimos fuderit, fugaveritq;, & in portam uſq; civitatis perſecutus plurimos ceperit, nonnullos etiam in foſſam urbis præcipites egerit. Regiorum vero nonnulli hoſtibus mixti urbem introiere, qui ex porta altera ad regem incolumes redierunt. In hac victoria permulta quidem obtigere memoratu digniſſima. Quidam eques cum intueretur regem ornatu præter alios elegantiore, & quis nam eſſet ignoraret, ſtrictoq; enſe, eum quis eſſet percunctaretur, atque ille, Alphonſus rex ſum, etiam protenſo enſe reſpondiſſet, continuò ad regis nomen procubuiſſe dicitur, atq; illius poteſtati reducto gladio ſeſe permiſiſſe. Illud quoq; ad memoriam hujus victoræ inſigne extitit, quod reverſis militibus è prælio in caſtra, unde profecti erant, cæteris, ut fit, corpora paſſim curantibus, ipſe rex non prius aliquid guſtare, non prius exarmari aut pulverem extergi paſſus eſt, licet in mediis & æſtatis & diei & Apuliæ flagrantiſſimis caloribus, quam rem divi- *Fortiter. Religioſè.*

---

22 *Nandi ſolum peritia C. Cæſar Alphonſo ſuperior fuit, qui apud Alexandriam navicula penè ſubmerſa, nando ad claſſem evaſit. Batavos hanc artem odeò calluiſſe conſtat, ut Rhenum qui apud eos latiſſimus eſt fluvius armati tranarent, illorum hodie locum Trajectenſes tenent, viri bellaces & nandi peritiores quàm cæteri Rheni accolæ.*

23 *Servatæ apud Vicarum mulieres regis animum ab his alienum oſtendunt: quæ Picinini patravit exercitus violatis apud Orbitellum nuptis ac virginibus.*

24 *Præliis, quæ inter Chriſtianos acta ſunt, corpus objicere negavit Alphonſus, Non eſt igitur cur dubitemus contra Turcas eum arma ſumturum, & in tam glorioſam expeditionem iturum.*

divinam vel ſolenniter fecerit, Jeſuq; gratias pro victoria egerit armatus, jejunus, ac prælio defatigatus.

Diligenter. Fortiter.

25 Venabatur Rex in campis Leboriis, quos nunc Roſarum vocant, quo nuncius adfertur Ricium regiorum peditum ductorem ad hoſtes defeciſſe, ac per fraudem occupaſſe oppidum ſancti Germani cum monte Caſſinati, ac properare vicina omnia invadere. Quo nuncio permotus Rex dixiſſe fertur, facto non conſulto opus eſſe, & ut erat venationi potius, quam armis inſtructus, contra proditorem iter inſtituit, cum his tantummodo purpuratis, qui ſecum venationis gratia convenerant, Comitibus ſolum denuncians, ut qui eum diligeret properè ſequeretur, opinione celerius ad Ricium pervenit. Cujus veſtigia ultrò ſubſecuti ſunt regii milites, tantamq; trepidationem intulere proditori, ut facile intelligeres illum incœpti pœnituiſſe præventum regis ac regiorum celeritate incredibili. Nec dum enim arcem, quam Janiculam vocant, maximum illius expeditionis aut magis proditionis munimentum expugnaverat. At quoniàm quidem Rex acceperat ingens è Roma præſidium Ricio propediem adventurum, quo fretus Ricius in arce adhuc expugnanda perſeveraret, nocte in montem peditatum Rex dimittit, admonitum, uti ſub nomine Riciiſturtim templi, quæ Riciano præſidio tenebatur, pertranſeant, atq; inde ad Ricium ſub ipſum diei ortum deſcendant. Quo peracto Ricius auxiliares copias arbitratus, primo lætari, dein cum regios eſſe ex ſignis, armiſq; cognoſceret, antequam à rege circumveniretur, fuga ſaluti conſuluit, reliqui capti, quos ſua conſuetudine Rex omnes dimiſit incolumes: oppidum quarto poſt die quàm fraude captum à Ricio exiiterat, recuperatum.

Frugaliter.

26 Equiti cuidam prodigo, quippe cui nulla pecunia eſſet ſatis, & à Rege quotidie multa poſtulanti, dixiſſe tandem fertur, Amice ſi tibi plura date

indics

---

25 *Albertus Marchio Brandemburgenſis (quem Teutonicum Achillem non ab re vocitant) cum accepiſſet Nurenbergenſes octingentos equites, ac ſex millia peditum in agrum ejus prædatum miſiſſe, apud fluvium quem illi tranſmiſſuri erant, equitibus atq; peditibus uno duntaxat loco vadabilem ſagittarios inter arbuſta ducentos collocat, qui equitatu prætermiſſo, pedites vado arceant. Ipſe cum ſexcentis equitibus proximo in nemora latitat, miſſiſq; hoſtium equitibus, mox ſeſe oſtendit. Steterunt utrinq; acies medio trecentorum fermè paſſuum intervalla non ſine trepidatione. Tum Marchio cum duobus comitibus apprehenſa lancea in hoſtem advolat. Occurrunt totidem ſibi ex hoſtibus viri fortes. Marchio equitem eum, qui ſibi obvius ſit medium transfodit, ſternitque, at comitibus ſuis, ab iis, cum quibus congreſſi fuerant proſtratis, ipſe in hoſtium turmam ſolus erumpit, modo iſtum, modo illum conficit, ſtragemq; non parvam efficis, donec ad ſigna pervadit. Illic centum in eum gladii nudantur, & cum punctim eum ferire circumventum nequeant, ignari quis nam tanta auderet, cæſim rem agunt. Ille amplexatus utroq; brachio vexillum, nuſquam honeſtius quàm hic moriar, inquit. Dum ſolus hæc agitat reliquus exercitus ſuppetias venit, & verſis in fugam hoſtibus ſemianimum ducem apud vexillum comperit confractum quaſſatumq;, hoſtes aut cæſi aut capti; fuga admodum paucos eripuit. Pedites apud fluvium impediti nulli interim uſui fuerunt. Hæc nobis & Albertus ipſe cum ſimul è Nova civitate Auſtriæ Viennam pergeremus, & alii quàmplures viri graves retulerunt, dignus Albertus, qui prope Alphonſum locum habeat.*

26 *Præsbyterum, aiunt, montis Calvi, qui Viennæ imminet, cum ad meridiem uſq; bibiſſet, dormire uſq; ad occaſum ſolis conſueſſe, experrectum vero ad eccleſiam ire, ornare*

alta-

Indies perrexero, citius me pauperem, quàm te divitem effecero. Hoc enim perinde eſſe, ac ſi piſcinam perforatam implere quiſpiam contendat.

27 Cum me legentem aliquando Antonius Cathaeenſis Antiſtes ſeſe offerens efflagitaret, ut eum regi commendarem, atq; ego idipſum jocando ſuaderem, quod hic ille bonus eſſet, qui nunquam vidiſſet ſolem exorientem ſobrius. Subridens rex adjecit, multo minus hercule occidentem. *Jocosè.*

28 Cum peregre advenienti Ferdinando patri obviam progreſſus advertiſſet, illum lectica vectari valetudine affectum. Statim equo deſiliit, ut patrem pedibus comitaretur, & ſi opus eſſet, humeris aut cervice etiam ſuſtolleret. Cumq; è lectica pater identidem cohortaretur ut exemplo multorum procerum juxtà adequitantium & ipſe quoque equum aſcenderet: alii, inquit, ò pater quid ad ſe attineat ipſi viderint: Ego quidem adduci ipſe neutiquam potero, quin regem, quin patrem & eundem ægrotum pedibus ſequar. *Piè. Reverenter.*

29 Cum aliquis Alphonſum à nobilitate maximè laudaret, quòd Rex eſſet, regis filius, regis nepos, regis frater. At iſtiuſmodi Rex, hominem interpellans dixit, nihil eſſe quòd in vita minoris ipſe duceret, quàm quòd ille tanti facere videretur. Laudem enim illam non ſuam, ſed majorum ſuorum eſſe, quippe qui juſtitia, moderatione, atque excellentia ſibi regnum comparaſ- *Modeſtè.*

---

altaria, ſacerdotalia veſtimenta ſumere, campana plebem citare, ut qui Miſſam celebrare inſtituiſſet. Interrogatus cur tam ſero rem divinam ageret, verſum ad occidentem, quem putabat orientem eſſe, percontantibus reſpondiſſe fertur, imò vera ſubdubito an tam mane celebrare liceat ante exortum ſolem. Nam quamvis aurora rutilat, non tamen diem dicere poſſumus, niſi ſolis orbis ſuper noſtrum horizontem eluceat.

27 *Ludovicus Bajoariæ dux, quem Baſileæ Nurembergæque vidimus, ſtruma ingenti gibboq; deformem, ac facundum & audacem, adverſus Ludovicum patrem impia arma movit. Nec veritus eſt venerandum & grandævum ſenem dura & miſerabili obſidione vexare. Sed correptus vehementiſſima febre, ante diem ſuum obiit, quàm patrem poſſet in vincula conjicere. Neq; enim adverſus paterna jura impune cedit, neq; longævi ſunt ſuper terram, qui parentes inhonorant. Infamis ætas noſtra, quæ non Ludovicum hunc tantum, ſed alterum Ludovicum Franciæ Delphinum, & Alphonſum Caſtellæ primogenitum in patres armatos vidit.*

28 *Udalricus Ciliæ comes hoc anno cum Johannem Hunniadem regni Hungariæ Gubernatorem alloqui peteret, neque ille recuſaret, ſi apud ſe in caſtra conveniret. Non ego, inquit, princeps ex principe, altaq; familia notus ad te veniam novum hominem, & noſtra demum ætate nobilitatum. Cui Joannes: Non, inquit, tuis majoribus, ſed tibi me comparo, quanquam neque illis cedam, qui pugnando pro Chriſtiana religione nobilitatur, majus lumen poſteritati meæ comparavi, quàm illi, qui ad te detulerunt. Atque ut in te Cilienſis comitatus turpiter extinguitur, ita in me glorioſè Biſtricenſis exoritur.*

29 *Fridericus Marchio Brandemburgenſis, qui contra Bohemos ſub Juliano Legato apoſtolico fortem & numeroſum duxit exercitum, conditurus teſtamentum quatuor ad ſe filios evocavit, Joannem, Fridericum, Albertum & alterum Fridericum, Joannemq; quod is natu major eſſet, in hunc fermè modum allocutus fertur. Primus ego, ut noſti, dignitatem Electoratus imperii in noſtram familiam adduxi, cum eſſem Sigiſmundo Cæſari admodum familiaris. Nunc vocat me ſuprema neceſſitas, curæ mihi eſt, ne tantum decus in domo noſtra vileſcat, tibi, ut video, quietis, & tranquillitatis eſt unicum ſtudium; In Electoratu præter*

paraſſent, ſucceſſoribus quidem oneri regna eedere, ita demum honori futura ſi virtute potius, quàm teſtamento illa ſulcipiant. A ſe itaque, ſi qua modo extent, eliceret ornamenta, non à patribus jam mortuis extorqueret.

Piè. Liberaliter. 30 Ferdinandus pater & ipſe inclytus Rex moriens Alphonſum filium his penè verbis allocutus fertur. Optime fili, quoniam regna quæcunq; dum Deo placuit obtinui ad te ætatis prærogativa deferri & ſcio, & volo, optarim eas modo terras, quas ea parte Hiſpaniæ, quam Caſtellam vocitant, habemus, Joanni fratri tuo, ſi modo per te liceat, relinquere. Quod ne moleſtè feras à te peto, etſi pateris, etiam rogo. Tum Alphonſus, Ego, mi pater ac domine, ſatis intelligo iſtæc regna & tua ferè omnia ad me quidem pertinere, ſed non aliter quàm beneficio tuo. Iccirco & pluris ſemper voluntatem tuam & feci, & facturus ſum, quàm ætatis privilegium. Imò vero ſi pro tua ſingulari prudentia regnis ita demum proſpicis iri conſultum, ſi Joannem regni *Pietas.* ſucceſſorem reliqueris, nihil recuſo, quin ipſum vel ad omnia inſtituas hæredem, non aliter, mihi credas, voluntati per me tuæ uſq; ad poſtremum ſpiritum parebitur, quàm divinæ. Tum Ferdinandus Macte, inquit, eſto pietate & obedientia fili, & obortis lachrymis eum dimiſit.

Juſtè. 31 Rogerius Pallantiæ comes ampliſſimo atque ornatiſſimo genere natus, impiger vir & manu promtus, regem adiens, indicat in animo ſibi eſſe Joannem Caſtellæ regem ipſius hoſtem, contemto omni periculo, confodere, foreq; id ſibi, ſi modo annuat, factu perfacile. Cui Rex ſe non ſolum pro Caſtellæ atq; Hiſpaniæ dominatu, ſed ne pro totius quidem orbis imperio adipiſcendo, tam crudele atq; deteſtabile facinus permiſſurum. Dii melius, quam ut ejuſmodi ſcelere veram, ad quam tantopere elaboras gloriam, lædas atque contamines. Simili quodam modo reſpondiſſe dicitur exuli Florentino Coſmam Medicen occurſurum pollicenti, ſi xxx. non amplius manu militum a rege juvare-

---

ter curam, et aſſiduum laborem nihil invenias, eam ob cauſſam, ſi tua voluntate id poſſum, Marchionatum Brondemburgenſem cui jus eligendi apud Cæſarem eſt, conceſſum Friderico, qui tibi ætate ſuccedit, quiq; & valentior, & ad labores durior, quàm tu videtur, teſtamento relinquam. Tibi Voitlandiam, Alberto quicquid Franconici juris poſſideo, & alteri Friderico partem Miſniæ. Cui Joannes, exiſtimavi pater ante hunc diem chariorem tibi multo quàm me Fridericum eſſe, cum illi ſæpius blandirere, neq; id ferre non ægre potui. Nunc ſententiam muto, & te pater amo, coloque, qui mihi ocium, illi negotium ſuprema voluntate dimittis. Ex Joanne hoc nata eſt Ludovici Mantuani Marchionis uxor, inter matronas noſtri ſeculi forma & moribus præclara.

30 *Joannes Rudolphi regis Bohemiæ filius, Alberto Romanorum Imperatori patruo ſuo ſubiratus, qui petenti ſibi partem Auſtriæ non ſtatim annueret, cum non reperiret, qui prece vel pretio tantum principem occiſurum ſe promitteret, ad patruum ſeſe contulit, & amicitiam vultu præferens tranſeuntem apud Helvetios Rhenum conſecutus, ibi eum pugione tranſfodit incautum. Mox pœnitentia ductus ad Clementem V. Rom. Pont. qui ſe abſolveret, Avenionem perrexit. Ille tanti ſceleris autorem ad Henricum VII. Romanorum Imperatorem remiſit. Imperator reum apud Piſas in Monaſterio Auguſtinenſium agere pœnitentiam juſſit. Ibiq; Joannes mortuus ac ſepultus eſt. Nos cum Leonoræ Auguſtæ à Friderico Cæſare obviam miſſi eſſemus, tumulum ejus inſpeximus.*

31 *Bernardinum Senenſem quem Cælicolarum numero Nicolaus quintus Pontifex maximus adſcripſit, inter concionandum fabulam hujuſcemodi referentem audivimus, Accepit ex villico matrona quædam nobilis, recentia ceraſa, quæ in tbulamum re-*

varetur. Longè quidem acriores atq; ampliores hoſtes ſeſe & habuiſſe, & habere, quàm Coſmas eſſet, morte quorum vel regna conſequi ſe quidem potuiſſe, ſed abſtinuiſſe à ſcelere: iret igitur, & referret pòſt deinde meliora.

32 Cum familiares nonnulli ruſticum quendam humi proſtratum uvas edentem, digito velut ignavum demonſtraret regi. Utinam mihi, inquit, iſtas oclo comedere dii dediſſent. *Modeſtè.*

33 Acceperat aliquando à Maria ſingularis exempli uxore literas, quas cum ſemel atq; iterum attentiſſimè perlegiſſet, Mox, inquir, inſtitueram olim nihil de uxore extra thalamum dicere, ne benedicens uxorius, aut immodeſtior haberer. At nunc mihi prorſus mutandum conſilium, & quidvis homines obloquantur, quocunq; in trivio, cuiq; obvio, ſine modo & modeſtia de uxoris virtute atq; conſtantia prædicandum. *Gratè.*

34 Proceres ac purpuratos ſuos à rege reprehendi ſæpe vidimus, quòd amicos paulo inferioris ſortis ſuos ſervos appellarent, maximè eum hujuſmodi homines à Philippo rege non ſervos, non ſubditos, ut ab iſtis ſed amicos & familiares appellatos lectitaſſet. *Manſuetè.*

35 Alvarum Lunam ab Alphonſo cujus erat popularis, magnopere poſtulantem ut ſe ad Joannem Caſtellæ regem proficiſci cupientem illi commendatitiis literis notum & commendatum faceret, non modo notum & commendatum, verum adeò gratum & acceptum Rex fecit, ut brevi ad ampliſſimas fortunas, & Joannis uſq; intimam gratiam evaſerit. Sed benefactoris, & beneficii immemor. Iccirco cum ingrati animi aliquando Alvarus argueretur, Alphonſum ita dixiſſe accepimus, comperium ſe quidem habere, ingenti beneficio non niſi ingrato animo ſatis fieri, propterea plures quidem eſſe qui darent, ſed qui dare ſcirent, eſſe perpaucos. Nec ideo pigrius dandum aut benefaciendum eſſe. *Liberaliter. Graviter.*

36 Quanta fuerit Alphonſi exiſtimatio & gloria hine facile deprehendas, quòd nonnunquam etiam ab inimicis, & etiam eiſdem viris ſpectatiſſimis fuerit laudibus celebratus. Nicolaus Cardinalis Capuenſis Regi gravis inimicus, *Juſtè.*

Flo-

---

reclufa majori ex parte cum oſſibus ore avido atq; bianti manipulatim voravit, coram vira deinde allatis quæ reſidua fuerant ceraſis, prius quàm unum comederat terq; quaterque momordit. Quærens ex villico, qua modo ceraſa ruri ederentur. Cui villicus, qui per rimulam vorantem fœminam contemplatus eſſet. Quo tu, inquit, mulier paulo antea ſola in thalamo. Erubuit mulier, Bernardinum eos bene vivere ajebat, qui quæcunq; agerent aperta diis atq; hominibus eſſe putarent.

32 *Puellam balnearum cuſtodem perdite amavit Albertus Bajoariæ Dux, atq; ut voti compos fieret matrimonium promiſit. Cumq; de laudibus mulierum ſe coram aliquando eſſet ſermo, illamq; nemo nominaret, aut invidos purpuratos ſuos, aut formarum ignaros exiſtimatores appellavit, qui uxorem ſuam præteriiſſent. Ve-*

Tom. II.

rum illam Erneſtus Alberti pater apud Strubingum in Danubium præcipitavit. Indignum profecto facinus ob noxam filii, puellam quæ nihil peccaſſet, neci datam. Verax igitur Strabo, qui potentiorum commoditatem, jus eſſe deffinivit.

34 *Cœnantibus apud Angliam prælatis ac Baronibus miniſtri flexis genibus officium ſuum faciunt. Apud Germanos, nec Imperatori nec Regi tantum adulationis impendunt, prandentq; prandente domino famuli, duobus tribùſve, qui vel vina vel cibos apponant expectantibus.*

35 *Audivi Fridericum Imp. ſæpenumero dicentem ex iis, quos extuliſſet quàm pauciſſimos gratos fuiſſe, ſuq; muneribus ſuis datum eſſe, ut ex fidelibus infideles fierent.*

36 *Adverſus Albertum Marchionem Brandemburgenſem omnes ſuperioris Germaniæ civitates adjuvan-*

Q

Florentiæ cum eſſet, & conferret ſeſe per id temporis in regnum Neapolitanum contra Alphonſum, præclariſſimus copiarum ductor Franciſcus Sphortia, & ob hoc aliqui dicerent jam Alphonſo regi non cum Renato negotium fore, ita reſpondit, imò hercle intelliget nunc demum Sphortia cum alio ſibi, quàm cum Philippo Maria rem eſſe gerendam. Hæc cum audita retuliſſet regi Malphiatus, Si mei omnes, inquit, ita de me ſentiant, ut inimicus hic, & ſentit & prædicat, bello certe me nequaquam laceſſerent, ſed quo mihi nihil antiquius eſt, ſinerent pace me, atq; otio perfrui.

Urbanè. 37 Cum Regiæ bibliothecæ cuſtos obſerata libraria abeſſet. Rex ipſe legendi percupidus, forcipe ſeram excuteret, intervenit Matthæus Siculus eximiæ ſanctitatis ſacerdos, dixitq;, tu ne id Rex magne manibus propriis, tu ne? Cui rex ſubridens, quæſo, inquit, vir ſancte, nunquid Deus & natura nequicquam regibus manus dederunt.

Liberaliter. 38 Joannes Caſtricurti dominus, natione Gallus, genere, autoritate, factis, eques inſignis, ab Henrico Britanniæ rege prælio captus, carcere aſſervatus eſt, donec fide data grandi admodum ſeſe pecunia redemturum repromitteret. Cumq; is promiſſis haud ſufficiens, reges ac principes Europæ omnes adiiſſet, uti ab his ea pecunia, aut ſaltem quantulacunque relevaretur, unum deniq; ex omnibus Alphonſum reperit, qui eum tota illa quantumvis iniqua pecunia, & à fide obligata liberaret, & a captivitate redimeret.

Juſtè. Sagaciter. 39 Alphonſo adhuc adoleſcente poſt ſanctiſſimi ac optimi patris obitum regnorum, ac publicæ ſalutis gubernacula ſuſcipiente, accidit uti cujuſdam ſervula ex domino prægnans facta, mox pariens ad libertatem proclamaret, ex lege Hiſpanienſi quæ eſt, Serva quæ ex Domino liberos ſuſceperit, libera eſto; Dominus autem veritus ſervam amittere, negabat ex ſe filium procrea-

---

vandos Nuremburgenſes ſtatuerant, quibus ille bellum indixerat. Cumq; numeroſas exercitus inſtrueretur, interrogavit quiſpiam ut quid tantum populum adverſus unum principem & eum quidem non ditiſſimum armarent. Cui unus ex primoribus civitatum, deſipis inquit, homo. In Alberti namq; aſtutia & fortitudine omnium Germaniæ principum vires, opeſq; continentur. Niq; vana vox fuit. Septem et decem principes in partem ſuam traxit Albertus, civitateſq; multis incommodis attritas petere pacem coëgit.

37 *Henricus Goriciæ comes, abſente qui cellæ vinariæ claves haberet ſitibundus oſtium calcibus invaſit, arguenteq; eum Phœbo de Turri, qui ſecum nutritus erat, utq; ſe ſineret frangere repagulum orante. Tace, inquit, me ſitis, non te cruciat.*

39 *A Turcis modo captos redimere Chriſtianos non liberale modo, ſed piam opus ſanctumque fuerit, quod tunc futurum ſperaverim, ſi claſſem ut promittit adverſus Mahumetem Alphonſus duxerit, ſimulq; terreſtres copiæ in Turcas ierint.*

39 *Homini agreſti, qui ad Nundinas Novæ civitatis Auſtriæ venale triticum advexerat, dum parumper ad cauponet divertiſſet, equorum alter ex biga ſubtractus eſt; furti querela ad Fridericum Imperatorem defertur. Jubetur actor reum nominare. Is ſibi de furto conſtare ait in civitate regia facto, furem ignorare, hærentibus in conjectura conſiliariis, ſi forte in ſuſpicionem quiſquam veniret. Mirum, inquit Fridericus, cur etiam alterum equum homo non perdidit, tot ſunt hodie in hac urbe equites, qui equis indigent. Tum ruſticus equa eſt altera ò Cæſar, quæ belligerantibus nulli eſt uſui. At qui ergo, ait Cæſar, eam inſilito, atq; in omnes urbis viculos diſcurrito, ſubtractus equus in aliquo ſtabulo latitat, qui cum jugalem equam ſenſerit, mox hinnitum dabit. Paruit homo, eoq; pacto furtum compertum, agre-*

creatum, ratus hoc pacto ſe ſervam non amiſſurum, & filium ſimul habiturum. At illa acrius inſtare, & natum ex domino conceptum affirmare. Erat ſanè difficilis probatio & conjectura veritatis. Sed in ancipiti Alphonſi prudentia jam inde ab adoleſcentia ſtatim reſplenduit. Etenim decrevit ut infans ſub licitatione venundaretur. Cumq; & uni alicui, qui majus precium attuliſſet infans tradi aſſimularetur, pater pietate victus à lachrymis temperare nequivit, & ſuum eſſe filium faſſus eſt. Quare Rex & patri filium, & ſervæ libertatem non cunctanter adjudicavit.

40 Joannes Calaguritanus eques regius, ut primum ab hoſtibus carcere dimiſſus eſt, regem adiit, & liberalitate illius nonnihil abuſus, innumeras propè res ſimul & popoſcit, & impetravit, à quo Rex vix tandem divulſus. Mentior, inquit, ni inter tam multa & varia quæ petebat, timuerim ne uxorem etiam ipſam à me depoſceret eques meus. *Facetè.*

41 Cum inter ſophiſtas aliquando de regum felicitate diſceptatio eſſet, & ſuum quiſq; judicium afferret in medium, intervenit Rex, & quid ô amici, inquit, in id tantopere laboratis? Num putatis hoc ipſum quale ſit, aut plenius excogitari, aut luculentius exprimi poſſe, quam prodiderit vir divinæ ſapientiæ Auguſtinus? Mox illius verba ipſa, ut erat ſingulari memoria, pronunciavit. Quæ quidem ego commentariolis ideo intexui, quòd digna mihi viſa ſunt, quæ reges & principes terrarum univerſi memoria quidem & teneant, & obſervent. Reges utiq; felices Auguſtinus exiſtimat, ſi juſtè imperant, ſi inter linguas ſublimiter honorantium, & obſequia nimis humiliter ſalutantium, non extolluntur. Sed ſe homines eſſe meminerint, ſi ſuam poteſtatem ad Dei cultum maximè dilatandum, majeſtatis ejus famulam fecerint. Si Deum timent, diligunt, & colunt, ſi plus amant illud regnum, ubi non timent habere conſortes, ſi tardius vindicant, facile ignoſcunt, ſi eandem vindictam pro neceſſitate regendæ, tuendæq; reipublicæ, non pro ſaturandis inimicitiarum odiis exerunt, ſi eandem veniam non ad impunitatem iniquitatis, ſed ad ſpem correctionis indulgent, ſi quod aſperè coguntur pleruмq; decernere, miſericordiæ lenitate & beneficiorum largitate compenſant, ſi luxuria tanto eſt caſtigatior, quanto poteſt eſſe liberior. Si malunt cupiditatibus pravis quàm quibuslibet gentibus imperare. Etſi hæc omnia faciunt, non *Graviter.*

pro-

---

agreſtis, quod ſuum erat recuperavit, fur pœnas dedit. Omnes igitur qui juri dicendo præſunt non tantum juſtos, ſed etiam prudentes & peracutos eſſe oportet. Ziſcha Bohemus, qui cœtus Thaboritarum ductavit exercitum, villam quondam in Auſtria cum diripuiſſet, neq; inveniſſet armenta, nam illo in inſulam Danubio cinctam tranſvecta fuerant, conquiſitis à proximis villis duobus vitulis totidemq; ſuibus, eos è regione inſulæ tam diu verberari juſſit, donec mugitum, grunnitum, vaccæ ſueſq; exoudientes ad ripam ſuam tranarunt, quibus interceptis prædam non modicam abduxit, atq; ita docuit ingenio non minus quàm viribus res militares geri.

40 *Jacobus Archiepiſcopus Trevirenſis Princeps Elector, vir induſtrius ac magni conſilii, ſed multum cupidus, & ad extollendam eccleſiæ ſuæ potentiam nimis attentus, anno ab hinc ſecundo Fridericum Cæſarem apud Novam Urbem cum adiiſſet, & alia atq; alia petens impetraſſet, pluraq; petendo inſtaret, Si non facis, inquit Imperator, petendi finem, ego negandi principium inveniam.*

41 *Theodoricus Colonienſis Eccleſiæ Pontifex prudentia & autoritate inter Electores Imperii facile princeps, Quærenti Sigiſmundo Cæſari, quo nam pacto felicitatem conſequi poſſet, inter mortales ait, fruſtra requiris: petenti rurſum ad cœleſtem*

illam

propter ardorem inanis gloriæ, ſed propter charitatem felicitatis æternæ, ſi pro ſuis peccatis humilitatis, & miſerationis, & orationis ſacrificium Deo ſuo vero immolare non negligunt. Tales Chriſtianos Imperatores ac Reges dicimus eſſe felices.

Humaniter.

42 Cum Andreæ Panormitano viro & genere & juris peritia claro, ſe neq; cognitum neq; viſum unquam Rex accepiſſet, continuò illum velut fortunatum hominem & videre & noſſe vehementer voluit.

Fidenter.

Alphonſus Princeps non Tyran.

43 Alphonſum nonnunquam ſolum abſq; comitantium pompa incedentem vidimus. Cum ob hoc à pleriſque argueretur, ſuadereturq; ut more aliorum principum & ipſe armatorum manu ſtipatus graderetur, exhorruiſſe conſilium viſus eſt, atq; dixiſſe, ſe quidem minimè ſolum, ut iſti crederent, ſed innocentia aſſociatum vadere, neque eſſe quod benevolentia civium fretus, quippiam extimeſcat.

Graviter.

44 Perquam difficilem rem principatum ſibi videri, vel eo maxime dicebat, quòd principum vita popularibus exemplo cedat, illis quidem ad vitia quàm ad virtutes proclivioribus. Quapropter principibus non modo ſua cauſa à peccato abſtinendum eſſe, ſed multo etiam magis ne ſua vitia infundantur in cives ſuos. Nam veluti ad ſolis motum, ita populares ſemper in principum mores verti atq; formari.

Inter

---

illam quo itinere pergeret. Rectà, inquit: inſtanti tertio, quid agens rectà vaderet, Si vitam tuam ita inſtitueris, duxeriſ.: reſpondit, ut facturum ſe promiſiſti, dum calculus, aut podagra, ſive alia valetudo acrius te oppreſſit.

42 *Vellem audiſſe quid nam dixerit Andreas, ubi Panormum rediit viſo Rege. Ego cum hinc abiero, ſi quis me roget, quæ apud Neapolim, digna memoratu viderim, quatuor inprimis reſpondebo. Neapolim, ſcilicet, ſplendidam urbem, ſalubritate aëris, portu, templis, ædibus, agris, equis armiſq; apud Italos nulli ferendam. Arcem regiam, quam Novam vocant, amplitudine formaq; cunctas ſuperantem, multaſq; raræ magnitudinis naves, quæq; maria ſulcaſſe aliquando memorentur. Et cui talia quadrent, Alphonſum Regem adiiſſiam. Et quinto loco, ſi quis audire petierit, ſacrum illum divi Januarii cruorem, quem modo concretum, modo liquatum oſtendunt, quamvis ante annos mille ducentos pro Chriſti nomine ſit effuſus. Poſtremò Bajarum Cumarumq; & Puteolorum rudera ſabulo tectam, quæ Romanam videntur æquare ruinam.*

43 *Alberto Auſtriæ Duci, qui mortuo Sigiſmundo Cæſare, cujus erat gener, regnum Hungariæ ac Bohemiæ cum Romano imperio ſuſcepit, cum princeps amore civium tutos eſſe oportere, idq; ſolam innocentiam præſtare diceret, & fida cuſtodia, reſpondit ſoror, infortunium excludit.*

Alberto Ladiſlai patre vita functo, & Bohemi & Hungari Fridericum Cæſarem filii regem petiverant. Quibus ille, abſit à me, inquit, ſcelus hoc, ut patrueli meo paternam hæreditatem auferam. Fridericus quoq; Marchio Brandemburgenſis princeps Elector à Polonis in regem vocatus, Caſimirum, inquit, habetis mortui regis fratrem, hunc requirite quem ſucceſſio regem fecit. Quem ſi forte iſſe tædet regnare, ad me redite. Recuſavit & Albertus Bajoariæ dux oblatum Bohemiæ regnum, ne Ladislaum excluderet. Hanc nos temporibus noſtris apud Germanos principes moderationem & vidimus, & memoria dignam cenſuimus.

44 *Quærenti Leonardo Benevolenti collega noſtro, quo jure Picininus agrum Senenſem invaſiſſet. Militari, inquit Baccardus comes. Nam bello laceſſere omnes licet, quibus obligati non ſumus. At hoc jus ſumma injuſtitia eſt. Decet itaque*

re-

45 Inter Joannam Reginam & Alphonſum ſuborta diſcordia, complures tum arcibus præfecti, tum præſides terrarum ac principes adeuntes Regem, polliciti ſunt penè univerſum Neapolitanum regnum, regina inſcia, ſeſe dedituros. Quibus Rex habere ſe quidem gratias reſpondit, ſed pluris famam & honorem ſuum, quàm regnum quomlibet magnum æſtimare: ſuum quidem conſilium & fuiſſe & eſſe regnum non dolo aut injuria, ſed legitimo jure, cumq; & Deo & Joannæ matri placuiſſet, poſſidere. Quòd ſi Reginæ in ſe voluntas immutata videatur, id mollitudini & fragilitati fœminorum aſſignandum eſſe. Contrà ſe & virum & regem eſſe meminiſſe oportere. *Juſtè. Fortiter.*

46 Præſides provinciarum ac judices omnes à Rege præmonitos ſcimus, ne quod decretum aut reſcriptum à ſe factum ſervarent, niſi quod jure tantum & honeſtate niteretur. Interdum enim aut importunitate poſtulantium, aut ignoratione rei fieri, ut quidpiam contra juris ſanctionem emanet, propter quod, illud cuſtodiendo, cives ſuos offendant, non intelligentes ita ſeipſos pariter offendere atq; in ſemet impios, ac crudeles eſſe. *Juſtè.*

47 Cum argueretur aliquando Rex, quòd mitis eſſet, ac lenis nimis, ut qui nonnunquam etiam iis, qui vel graviter in ipſum deliquiſſent, ignoſceret. Se quidem paratum velle eſſe dicebat, Deo immortali ſi ad calculum vocetur, oves, quas in tutelam ab eo ſuſcepiſſet, annumerare, & ſi illas repetat, reſtituere incolumes omnes poſſe. *Clementer.*

48 Juſtitia dicebat ſe quidem bonis gratum eſſe, at clementia etiam malis. *Graviter.*

49 Qui nimis lenem & manſuetum Principem quereretur, expectandum iis eſſe dicebat, ut urſi ac leones quandoque regnarent, hominis ſanè clementiam eſſe, bellvarum feritatem. *Clementer.*

Tur-

Regem, qui nihil præter rationem & juſtitiam provinciarum præſides, etiam ſe jubente, vult facere. Picinnum prorſus deſerere, bonarum legum, et totius æquitatis everſorem.

46 *Milites, qui otii gratia curiam ſequerentur, ſemper in negotia futuros ajebat Sylveſter Chiemenſis epiſcopus, niſi ſeſe tandem vel cum periculo capitis inde amoverent.*

47 *Laudanti eum ſupra modum, et diis perſimilem eſſe prædicanti cuipiam alapas Sigiſmundus non paucas incuſſit: dicentiq; illi, cur me cædis? Cur me mordes? ait.*

In idem Caput.

Friderico Romanorum Imperatori Amadeus Dux Subaudiæ, quem Clerus apud Baſilæam congregatus Eugenio quarto à ſummo pontificatu depoſito, in illius locum ſuffecerat, Felicemq; Papam quintum vocaverat, filiam quam domi habebat viduam juvenem et forma præſtantem in matrimonium obtulit. Simulq; dotis nomine auri numûm ducenta millia, ſi Eugenio relicto Petri ſucceſſorem appellaret. Horruit Cæſar minimeq; ſacramento ſuo, eccleſiæ ſacramenta fœdare voluit. Atq; ad ſuos converſus, vendere, inquit, alii pontificalia ſolent, hic libenter emat, ſi reperiat venditorem.

48 *Cum accuſaſſent purpurati apud Sigiſmundum maledicentiam Germanicæ multitudinis, quæ de ſuo Principe paſſim obloqueretur. Subridens Imperator: an vobis, inquit, grave videtur illos male loqui, cum nos male agamus. Cumq; quidam ſe civem Budenſem diceret, ſibiq; tanquam membro parcendum arbitraretur. Et putrida, inquit Sigiſmundus, ſi ſit mea manus, abſcindatur. At à Deo, inquit Fridericus Imperator, cum oro, miſericordiam peto, non juſtitiam. Cur igitur me ſubditis clementem atq; miſericordem non exhibeam.*

49 *Qui duri atq; immites eſſent principes, his ajebat Fridericus Cæſar mortem nimis extimeſcendam eſſe. Nam quales ſi dum vixerunt aliis præſliterint, tales, cum moriuntur, in ſe judices inventuri eſſent.*

Graviter. 50 Turpe nimium valde eſſe dicebat, eum aliis imperare, qui ſibimet dominari neſciret.

Modeſtè. 51 Perabſurdum ſibi videri dicebat Reges ab aliis regi, & Duces ab aliis duci.

Piè. Liberaliter. 52 Pueros, quos ad ſtudia literarum aptos, ac propè natos intueretur, verum paupertate ac inopia ad gloriam adſpirare non poſſe, ut quiſque vel ad hanc, vel ad illam diſciplinam idoneus videbatur, partim rhetoribus, partim philoſophis erudiendos commendabat, fovebatq; ſumtum illis affatim miniſtrans. Simili pietate, ac liberalitate uſus in Theologos pauperes. Nam cum ad doctoratum aſcendere niſi magnis ſumtibus (eo quòd corrupta & depravata ſint omnia) non poſſent, eos & pecunia juvare & præſentia condecorare non deſtitit.

Modeſtè. 53 Pulchritudinis amator cum eſſet, nimirum juxta Chryſippi ſententiam, putabat pulchritudinem eſſe virtutis florem, nunquam licentia, aut contumelia in ætatem alicujus uſus eſt.

Urbanè. 54 Interrogatus aliquando Rex, quid ſibi ſine utilitate honor eſſe videretur. Conſimile id ſibi videri reſpondit, ut ſi peracutum & peracte quis cernat, ſed offenſus in caligine aberret in tenebris.

Sapienter. 55 Audivimus Regem de benignitate naturæ differentem dicere, etiam in vitiis quodam modo proviſum eſſe generi humano. Nam pro ſcortatione matrimonium datum eſt, pro Invidentia æmulatio, pro accidia ſive ocioſitate laxamentum, pro gula & ventris ingluvione cibus, pro avaritia parſimonia, pro ira admonitio, increpatio, pro ſuperbia vero nihil omnino ut intelligant ſuperbi non ſolum hominibus ſe, ſed etiam Deo & naturæ infeſtos ac deteſtabiles eſſe.

Facetè. 56 Cum aliquando impudentius ſaltantem aſpexiſſet, fertur ad circumſtantes dixiſſe. Attendite. Sybilla quidem eveſtigio edet oraculum.

Non

---

50 *Quas non didicerunt artes recuſant omnes exercere: imperare, quæ eſt artium omnium difficillima, nemo recuſat. Interrogatus Rudolphus Cæſar, qui primus in familiam Auſtriæ traduxit Imperium, cur ita fieret. Non mirum, inquit, ſtultos putant, qui regnare neſciant, ſtultum autem ſeſe nemo judicat.*

51 *Michaël Pfullendorfius Secretarius Friderici Cæſaris, qui in Eccleſia mea Senenſi ſepultus eſt, inter cætera quæ miraretur id potiſſimum eſſe dicebat; quòd animalium rationis expertia, nullum ſe ſupra Regem ferret, niſi cæteris virtute præſtaret; Homines vero qui ſe rationales dicant, iis ſæpe principibus obedire, qui brutis quadrupedibus ſtultiores eſſent.*

52 *Duos pueros miſerat Alphonſus Pariſios ut literas diſcerent, eramus in arce nova apud eum, cum Joannes Solerius illorum epiſtolas, Regi redderet. Vidimus eum miro modo geſtientem, poſtquam ſcriptis puerorum lectis proficere eos cognovit.*

53 *Bartholomæus Capranus Mediolanenſi Eccleſiæ Antiſtes, iccirco ſe miniſtros forma præſtantes quæſiviſſe dicebat, quoniam turpes animi turpia corpora incolerent. Improbitatem autem in egregia forma perraro compertam eſſe.*

54 *Interrogatus Sigiſmundus Imperator cur apud liberas civitates peculatus crimen adeò frequens inveniretur, Idcirco, reſpondit, quòd nudos honore civibus commendant, populus autem ad lucrum inhiat.*

55 *Neq; ſtultis, inquit Fridericus Cæſar, delectar ipoſſum, neq; ſuperbis eſſe amicus.*

56 *Leonoram Auguſtam è Piſis jubente Friderico Cæſare Senas deducebamus, ante diem cinerum, cum ſolent inſanire populi, offendimus apud Sanctum Miniatum Teutonicum, in agro Florentino choream agre-*

57 Non tam quod hoſtes vincere & ſciret & poſſet gloriabatur, quàm quod *Clementer.*
victis conſulere didiciſſet. Illud quidem fortunæ interdum munus eſſe, hoc
ſemper ſuum.

58 Cum aliquis Regi diceret, cave ne tua hæc miſericordia, lenitudo, & *Graviter.*
placabilitas in perniciem cedat. Imò vero, inquit, multa mihi perferenda
ſunt, ne in invidiam cadam.

59 Manſuetos & miſericordes amplecti & honeſtare conſuevit. E contrario *Rectè.*
ſuperbos velut Diis & hominibus exoſos horrere.

60 Arguebatur aliquando Rex, quod cum à ſaltatione tantopere ipſe ab- *Comiter.*
horreret, in adventum tamen Friderici Imperatoris tertii cum ipſo Imperato-
re & Leonora Auguſta ſaltitare propalam viſus eſſet, & is quidem eum argue-
retur, eum ſe purgantem audivimus, non voluptatis gratia ſe ſaltare, imò,
id ſibi nequaquam probari, cæterum in honorem Imperatoris et Auguſtæ id
factum à ſe. Plurimum namque referre, quamadmodum res fiat. Siquidem lu-
xuriæ aut laſciviæ cauſa qui ſaliet, ſtultum aut ebrium videri. Sin honoris
alicujus gratia reprehenſionem effugere, neq; eſſe inſanum, qui cum magnis
viris ſemel inſaniat.

61 Illud vel notabile præcipuè inter regis facinora fuit, quòd quotquot *Sapienter.*
viros aut re bellica, aut literaria illuſtres acceperit ad ſeſe penè omnes evo- *Liberali-*
catos, ampliſſimis honoribus, magnificentiſſimiſq; muneribus ornarit. Brachium *ter.*
ſui temporis præſtantiſſimum copiarum ducem, arctè familiariterque dilexit,
quem adoleſcens adhùc in diſciplina militari, magiſtri loco & habuit & ob-
ſervavit. Is eſt qui rei bellicæ gloriam apud Italos penè extinctam admirabi-
li arte, ac induſtria revocavit, atq; auctiorem fecit. Poſt hunc Nicolao Picini-
no ex Bracchiana diſciplina ſed nec inferioris gloriæ viro conjunctiſſime, &
amantiſſime uſus eſt, inter doctrina vero, & ingenio inſignes amplexus præ-
cipuè Bartholomæum Facium ſuavis & priſcæ eloquentiæ virum, à quo qui-
dem & res à ſe geſtas perſcribi cupidè appetivit. Maxime ejus libri ſuavitate
allectus, quem de vitæ felicitate regi ipſi antea dictaverat: Georgium Trape-
zuntium græcis, et latinis literis virum eruditiſſimum inter familiares, quos
cum admiratione diligebat, admiſit, dato negocio ut Ariſtotelis de naturali
hiſtoria libros omnes è græco in latinum traduceret, quoniam illi qui prius ab
neſcio quo traducti extabant, propter aſperitatem, barbariemq; orationis haud
ſatis probabantur. Leonardum verò Aretinum ætatis ſuæ diſertiſſimum, quò
minus apud ſe habuerit non voluntas, ſed valetudo illius atq; ætas ingrave-
ſcens impedimento fuit. At epiſtolæ quæ ultro citroq; extant, et extabunt
diu mutui et amoris et officii documenta præſtabunt. Poggium Florentinum
virum illuſtrem ob Cyropediam ſuo juſſu è græco converſam non ſolum bene-
volen-

---

*agreſtium puellarum, quæ ſæpe ſal-
tantes nudarent genua, ruraq; oſten-
tarent. Quod cum animadvertiſſet
Imperatrix, eamus inquit, meretri-
cum hic ludus eſt, non virginum.*

57 *Victis in Hungaria Gunziinſibus
magnum, inquit, Fridericus Impe-
rator actum eſt opus, nunc majus
reſtat, ut, ſcilicet, vincamus naſ-
metipſos, atq; avaritiæ, & ulciſcen-
di cupiditati frenas imponamus.*

58 *Severum, inquit Cæſar Rudol-
phus, & immitem, fuiſſe me ali-
quando pœnituit, lenem ac placabi-
lem nunquam.*

59 *Beatos eſſe in terris Reges, aje-
bat Sigiſmundus Imperator, ſi ex-
cluſis ſuperbis, manſuetudinis, hu-
manitatiſq; cultores in curiam aſci-
ſcerent.*

60 *Bernardus monachorum pater,
abſtinentiæ præcipuus magiſter, cum
aliquando, venientibus hoſpitibus,
extra ordinem cœnaſſet, idq; diſci-
puli crimini daret, Non ego, in-
quit, ſed charitas bibit, editq;.*

61 *Viros & armis, & literis claros
non ſolum vocavit ad ſe Alphonſus,
quo-*

volentia complexus eſt, ſed honoribns et opulentiſſimis donis ornavit. Sileo Theologos, quos ex ultimis terrarum regionibus arceſſitos legens ac diſputans quotidie audierit, et quorum nonnullos poſtmodum ad ſummas dignitates, mortalium omnium gratiſſimus, evexerit. Præterea philoſophos, medicos, muſicos, juriſconſultos, quibus regia omnis redundat, omnes à rege honeſtatos, omnes locupletiores effectos. Nam ſi ſingillatim eorum, non dico virtutes atq; præconia, ſed nomina duntaxat nuda percenſueris, hæc ipſa nimirum ſibi ingens volumen expoſcere videbuntur. Igitur ſingulos in alios locos rejiciamus, et tertium nunc Alphonſi dictorum atq; factorum librum aggrediamur.

---

quorum conſilio in adminiſtrandis rebus uteretur, iiſq; abunde providit, verum ex curia ſua tanquam ex officina virorum præſtantium & copiarum duces egregios, & venerabiles Eccleſiarum Antiſtites emiſit. Nam & Caliſtum tertium, qui modo ſummi pontificatus cathedram regit, ex Alphonſi ſchola ad Cardinalatus honorem maximus Pontifex Eugenius arceſſivit.

Libri Secundi Finis.

JA-

JACOBI SPIEGELII
SELESTADIENSIS
SCHOLIOLA
IN LIB. II.

1 VAlentiæ) Civitas eſt ulterioris Hiſpaniæ cujus cives honeſtatis nomine laudatos legimus apud veteres. Eodem nomine & in Italia, & Gallia, ſed hac, quod nunc regni nomine decorata eſt, minus celebres ſunt urbes.

Caroli) Ejus nominis ſexti, qui rebus adverſus Henricum quartum Anglorum Regem infeliciter geſtis mente captus inglorius vitam finivit.

Narbonenſis) à Narbone Colonia Provincia Narbonenſis dicta: omnium Galliæ regionum fertiliſſima: nomen Provinciæ adhuc retinet.

Aragoniæ regnum) Uſus effecit, ut quos vel citerioris Hiſpaniæ, vel Tarraconenſis provinciæ reges appellare rectius licuiſſet, eos jamdudum Aragoneos nominemus.

2 Dum hæc ſcriberemus) M. CCCC. LII. à nato Chriſto.

3 Capta) circiter annum domini M. CCCCXX. Cladem quam hæc urbs paſſa eſt tum, ſcribit Bracellus lib. 2. non admodum convenit iis, quæ referuntur cap. mox ſequenti.

Abire permiſit) Similem noſtra tempora deſiderant continentiam.

4 Divi Aloyſii) Epiſcopi quondam Tholoſani.

Velut periclitationis cauſam) Superſtitioſè.

Percundum eſſe) Fortiter.

Pervenit Valentiam) triumphanti ſimilis: autor Bracellus.

5 Lothophagorum inſula in Numidia, quæ hodie Barbaria cum reliqua Africa.

Tuniceenſium) legendum Tuniſienſium: Tunis enim oppidum vetus adhuc nomen retinet in ſinu Carthaginenſi.

6 Pœnorum) Horum regionem Herodoto in Melpomene autore, quatuor nationes incolunt: quarum duæ ſunt indigenæ, totidem non indigenæ, Indigenæ quidem Pœni atq; Æthiopes, quorum alteri ad Aquilonem Africæ, alteri ad Auſtrum incolunt. Advenæ vero Phœnices & Græci.

Africa civitas Barbariæ.

Iſcla) Volaterrano iſchra.

Alphonſi in Africam expeditio.

At illis) Reverentia regii nominis.

7 Dilutiſſimè uſua eſt) Mos eſt etiamnum Hiſpanorum procerum apud nos agentium aqua macerare vinum.

Ut pleraq; regum) Juxta Claudiani ſententiam.

Componitur orbis Regis ad exemplum; nec ſic inflectere ſenſus Humanos edicta valent, quàm vita Regentis.

Macedonia gloriæ) Obſervandum temulentiam eſſe inimicam gloriæ. Pittacus Mytilenæus tulit leges, ut qui per temulentiam ſceleris aliquid commiſiſſant, duplo plecterentur.

8 Joannæ Reginæ) quæ per id tempus Ladislao fratre mortuo Neapoli regnabat, & Alphonſum ſibi adoptaverat. Hic Joanna etiam vivente primum cùm Ludovico, deinde ea mortua cum Renato Provinciæ & Andegaviæ re-

gulis plures annos bella vario eventu adminiſtravit, tandem Neapoli per vim capta, Renato etiam pulſo, victor regno potitus eſt.

Ulterioris Hiſpaniæ, ſcilicet Caſtellæ & Legionis.

Dominatu) Magiſtratum intelligit divi Jacobi, qui etiamnum ampliſſimus eſt apud Hiſpanos.

Quàm fratrem) Intelligit Joannem Regem, qui Alphonſo defuncto Aragonum regno potitus eſt, ejuſq; Ferdinandi pater fuit, qui cum conjuga Eliſabetha noſtra memoria bellum, & ad pietatem ſimul & ad gloriam maximum geſſit, partoq; Granatenſium regno ſibi poſtariſq; Catholici cognomentum tulit.

9 Hoc ipſum ſcribit Pontanus libro de Sermone ſecundo, tradítq; & ſub Ferdinando Rege F. Alphonſi Cajetanum quendam cœnobitam fuiſſe Gerardum, qui ſeptimum in diem cibo abſtinere conſueviſſet, ac potu, indeq; ſanctum habitum ac Deo charum, ac demum induſtria Regis hypocriſim detectam, lege eum omnino, ut devoveas ſanctimoniæ oſtentatores.

Ant. Picens Auguſtinianus hypocrita nobilis in morte in Chriſtum Virginemq; Deiparam blaſphemus.

Opinabatur) pro vulgo receptum erat, ut ſequitur. Cur hypocrita fœdo mortis genere perierit.

Habes hic nobile exemplum de eo, quod laus inimici ſuſpecta dicitur.

11 Ad ſynodum non illuſtres genere aut potentes, ſed viros doctrina præſtantes, juſtitiæq; cultores eſſe mittendos.

Ludovicus Pontanus) quem Romum nonnulli appellant, cujus in magna ſunt dignatione conſilia, vir ſummi laboris & ſtudii, tum memoriæ ſingularis.

Nicolaus Siculus) Catania urbe oriundus cognomento de Tudeſchis primi nominis inter juris Pontificii interpretes. Vulgo Panormitanus, quod Epiſcopus Panormitarum fuerit, dicitur. Scripſit præter notiſſimos commentarios in Decretales librum pro Synodo Baſilienſi minime contemnendum.

13 Nullum omninò) Nimirum cum exemplo ipſius Cæſaris, quem legimus in maxima difficultate itinerum & in mediis bellorum æſtibus ſcripſiſſe libros, tum Scipionis Africani ſuperioris, qui ſine literis nunquam arma exercuit, ſemper enim ejus, ut Claudianus in præfatione lib. 4. de laudibus Stilíconis meminit.

Hærebat doctus lateri, caſtriſq; ſolebat
Omnibus in medias Ennius ire tubas.

Breviter quod eſt dixerim, ſupellex regia & auguſta, & ornamenta ducum & principum erant olim libri & literæ.

14 Liber Alphonſo fuit pro inſignibus.

Atq; ideo Platonem) libro quinto de republica colligit pulchrè. Si reſp. debeat eſſe felix, aut philoſophos regnare, aut reges philoſophari oportere. Eraſ. in explicatione adagii. Aut regem, aut fatuum naſci oportere.

15 Libris delectari) Theophraſtus Alexandrum monuiſſe traditur, ut libros quàm plurimos compararet, ut ſcriptis horum admonitus, quæ amici principibus dicere verentur, quid ſequendum, aut non ſequendum ſit, teneat.

16 Veſp. Cæſ.) Vide Suetonium in Tito cap. 8.

17 Mirum eſt tantopere delectatum occupatiſſimum Regem toties repetita lectione ſacrorum voluminum.

18 Stœchades) repoſui pro Scocades nihili voce, Sunt autem maris mediterranei inſulæ tres adverſus Galliam, ita aliquando appellatæ, quòd ordine jaceant, Maſſilienſium littori appoſitæ. Nomina earum pete apud Plin. ex cap. 5. lib. 5.

Prætoriam) ſic legendum, ſignificat enim triremem.

19 Cum quidam) Temperata ſupplicii ſeveritas, quo nec amicos læſit, nec inimico parſit.

Læſæ majeſtatis) Adnotatum eſt apud priſcos hoc crimen majeſtatis eſſe

voca-

Digitized by Google

vocatum, non læſæ majeſtaris, nullumq; juriſconſultum præter Papinianum læſam majeſtatem dixiſſe. Majeſtatis autem crimen duplex erat: unum læſæ, & alterum imminutæ, cujus nulla in jure mentio extat.

20 Cum cepiſſet) Ingreſſus per tubos occultos à muliercula ex infima plebe monſtratos, quòd Renarus Andegavienſis orantem, ut ſibi parvuliſque filiis fame pereuntibus ſucurreret, torvo vultu repulerit. Cætera Bracellus lib. 5. quo teſte capta eſt Neapolis anno à nato Salvatore Chriſto M. CCCC. XLII. octavo Id. Jun. Pontanus hic Renati impudentiam accuſat, lege eum lib. de Obedientia quinto.

Quanquam victis) hoc eſt jure belli in ſervitutem adactis.

Petri fratris Sylvius poſtremo cap. Europæ ſcribit è Carmelitano templo, dum paullulum è caſtris ſpeculandi gratia in littore vagatur, tormento ictum caput, repente occubuiſſe. Meminit item facti hujus Pontanus in priore lib. de Fortitudine tit. de officio victoris.

21 Antonius Candola) ſed quem Renatus de proditione ſuſpectum in carcerem trudi juſſit, magno rerum ſuarum detrimento, dimiſſus enim mox ad Alphonſum tranſivit, à quo tamen paulo pòſt deſcivit. O ſolidam conſtantiam!

Jacobi patris) Æneas Silvius Jacobutium vocat ingeniiq; laude dignum, ſi quanta induſtria, & rei bellicæ cognitio, tanta illi fides & in promiſſu conſtantia fuiſſet. Ex Bracello conſtat eum inter regni proceres maximarum fuiſſe virium.

22 Iſelam) Situm lociq; naturam exponit Pontanus in principio lib. ſexti belli Neapolitani.

Catalanorum) Unde nomen eis inditum docet Bracellus lib. primo Hiſpani belli. Volaterranus lib. geograph. ſecundo.

Colonia deducta) Sumto à veteribus Cumanis exemplo, qui vel ob infrequentiam urbium, vel in pœnam, qua veteres coloni male de repub. meriti, mulctabantur, deducebant veteranos, qui pro diutinorum laborum mercede, unde ſenectutem tolerarent, iugera bina accipiebant.

Regiorum) pro aulicorum.

Dixiſſe fertur) Attende non parvo magna conſtare.

Salarium conſtituit) Pontanus in lib. de liberalit. ſcribit remigi, cujus beneficio liberatus eſt, Alphonſum ex ærario ſtatuiſſe pendendas quotannis dum viveret duodecim uncias. Satiſq; hoc fuiſſe remigi, parum tamen Regi, tale præſertim ob meritum cum nullam ei præſentem pecuniam numerari tum juſſiſſet, ac ſæpenumero etiam ob leviſſimas cauſas aliis atq; aliis magnam pendi imperaſſet. Sed puto relationem Panormitæ eſſe veriorem. Nam ſine numerata pro quinq; filiabus dote à liberaliſſimo rege data, veriſimile non eſt: ait enim: dedit.

23 Vicaro) Pudicitia mulierum ſervata, ne licentia victoris militis violaretur.

25 In Samnio) Sic legendum opinor. Ejus populi Samnites, qui longè ſequuntur in Apennino. Caput eorum Bojanum Ptolemæo, Bovianum Plinio.

Juxta Trojam) Troja hæc ædificata à Bubagano fertur Anno M. VIII. Græcis colonis inductis in locum, qui caſtra Hannibalis vocatur.

Victoria Alphonſi Trojana ſingularis.

Procubuiſſe) Regis enim nomen ſacroſanctum eſt.

25 Leboriis) Agri tres in Campania celebrati Leborinus, Falernus, & Stellates.

Roſarum) Sunt & Virgilio ſed ad lacum Velinum roſea rura. Æn. 7.

Caſſinati) nobilitato unà cum oppido divi Benedicti.

Sua conſuetudine) Clementia perpetua Alphonſi in captos.

28 Ferdinando patri) Joanni ejus nominis primo, qui Aragonum Rex fuit, currentiſq; equi lapſu oppreſſus interiit, duo filii fuere ſuperſtites, Henricus & Ferdinandus, quorum natu major Henricus patri ſuccedens, cum difficilem

in morbum incidiſſet, in ipſo juventæ flore præreptus eſt, relicto unico filio Joanne admodum puero, quod eum præter omnem ſpem ſuſcepiſſat. Cujus tutelam, ſimulq; & regni curam fratri Ferdinando, quem liberaliter habuit & multis maximiſq; donis proſecutus eſt, moriens commiſit. Ferdinandus vir fide ac ſanctitate memorabilis, neq; regni adminiſtrationem ſegniter geſſit, neq; puerum ſecus ac filium habuit, & ipſe numeroſæ prolis pater. Nam priuſquam regno potiretur, ſuſcepit Alphonſum natu maximum: cujus hic mentio eſt, Joannem, qui Alphonſo defuncto ſucceſſit. Henricum de quo ſuprà cap. 8. Sanctium, magiſtrum de Alcantara, atq; Petrum omnium juniorem, qui, ut diximus, ictu petræ excuſſæ tormento occubuit, in annot. cap. 20. Mariam item Reginam Caſtellæ, Eleonoramq; Portugalliæ Reginam. Hunc principem jure inter optimos quolvis referendum Alphonſi patrem, qui ſuſcepto bello adverſus Maurum Granatæ regnantem, pluribus eum præliis attrivit, ad petendamq; pacem coegit, expugnatis pleriſq; oppidis ejus, Siciliæ regem omnium regni ordinum conſenſu declaratum ſcribit Bracelius.

29 Regis frater) Adde regis patruus ac ſocer.

Non a patribus) Innuit glorioſius à ſe inclareſcere quam niti avitis imaginibus, itemq; regnum ſua virtute partum clarius habendum, quàm quod hæreditate obvenit.

30 Obſervanda verba pientiſſimi patris jamjam morituri ad filium Alphonſum minime degenerem.

Ætatis prærogativa) In regnis & principatibus bene conſtitutis omni jure procedit & probata eſt conſuetudo, quòd primogenitus ſuccedat in totum, & cæteri illi ſubſint, dummodo primogenitus aliis fratribus provideat honeſtè ſecundum conditionem perſonarum & patrimonii de victu. Vide Joannem Cirierium Pariſienſem, qui latiſſimè ſcripſit ea de re, jurecunſult. non contemnendum.

Prepoſit. in c. jus naturale 1. diſt. refert ab Hiſpanis jus primogenituræ appellari majoritatem. Sed eam Germani proceres ægrè recipiunt.

Idcirco & pluris) Memorabilis vox filialis obſervantiæ erga patrem.

31 Interfecturos ultrò ſe offerentes Alphonſi inimicos deteſtatur Rex magnanimus, recte putans virtute non per ſcelus quærendam eſſe gloriam.

32 Cum familiares) Simile quiddam narratur de Ptolemæo rege Ægyptiorum, vide Eraſmum enarrantem hoc ipſum apoph. num. 9.

33 A Maria) Henrici tertii Aragonum regis filia, muliere longe ſapientiſſima, quæ annos XXV. Aragoniæ regnum Alphonſo Rege viro abſente, adminiſtravit.

Benedicens) pro laudans, quo in ſignificatu hæc vox paſſim occurrit in arcanis literis Vid. Eraſ. in Annotat. in Matth. cap. 21.

Uxorius haberer) Dicitur uxorius qui uxori ſervit. Virgil. Æn. 4.

. . . . *Pulchramq; uxorius urbem*
Extruis . . . .

De uxoris virtute) Fortaſſe quod, ut quæ nihil unquam liberorum pepererat, tot annis ſterilis, viri jam in ſenium vergentis intempeſtivum amorem tulerit æquiore animo. Nam, ut Ritius ſcribit, Lucretiam ab Alanio præſtanti forma, nec obſcuro genere puellam deperire cœpit, adeoq; impotenter ardere, quod ab ea legatos ad pontificem mitti ſuſtinuit, ut ejus nomine peterent, Alphonſo liceret ejus uxorem Mariam dimittere per cauſam ſterilitatis, & ipſam Lucretiam matrimonio ſibi jungere. Ex ea genuit Ferdinandum, quem Siciliæ regem moriens appellavit, relicto Joanni fratri Aragonum regno. Res hujus Ferdinandi ſupra XXX. ann. fortiter geſtas Joan. Pontanus ſex libris, quibus Neapolitani belli titulum fecit, complexus eſt.

34 A Philippo rege) Macedonum, ſcilicet, patre Alexandri magni. Sunt qui tradunt ex Græcorum regibus nullum fuiſſe, qui cum Philippo conferri queat. Extat ejus vita apud Diodorum Siculum, ut & filii ſui Alexandri. Utramq; latinitate donatam Angelus Coſpus Bononienſis Cæſ. Maximil. dicavit.

Caſtel-

35 Caſteliæ regem) Ejus nominis ſecundum.

Intimam gratiam evaſerit) Ad invidiam uſq; adeò, ut ejus gratia multa bella paſſus ſit a propinquis Regibus. Sed ea ſortuna diuturna non fuit, nam ad extremum a Joanne Rege capitali ſupplicio affectus eſt. Vide Ricium. Profecto viri cordati eſt non inſolenter geſtire ob rerum ſucceſſum, ſed fortunæ indulgentiam ſuſpectam habere. Nam ingenium ejus eſt, ut quibus exitium molitur, his prius nova rerum proſperitate blandiatur. Lege Hecatoſthicam 3. quæ eſt ad Coſmum Medicen Florentinum ditiſſimum, prima Satyrarum decade Fr. Philelphi. Lego autem hunc Alvarum è ſorte populari ad principatum evectum militia, quæ apud Hiſpanos divo Jacobo dicata eſt, ſummoq; loco habetur.

36 Franciſcus Sfortia) De hoc vide Volaterranum in rebus Mediolanen. Joannes Simoneta geſtis Fr. Sfortiæ gratiſſimus fuit, Sfortias opus heroici carminis, quod non tam laudant qui legunt, quàm admirantur qui ſciunt quanta id celeritate & facilitate abſolverit.

Malphiatus) Opinor Malfitanus legendum, qui tum ut inter proceres regni ita & apud regem locum obtinebat non poſtremum.

37 Legendi percupidus) Regibus nil utilius eſt, dum vacat, lectione. Mirum eſt enim quantum valeat ad optimam vitæ inſtitutionem aſſidua, & diligens lectio. Nam ſi ut Scipionem dicere de ſe ſolitum ſcribit Criſpus, majorum imagines mirum in modum intuentes, ad virtutem excitant, quanto magis illorum dicta factaq; imitatione digna, ſæpius animo repetita & ante oculos poſita commovere debeant. Prodeſt item lectio vel regibus præcipuè. Nam quæ principibus timidi vereantur amici ac dominis dixiſſe ſuis, hæc docta virorum ſcripta monent, & quæ ſequuntur Hecatoſt. ad Joan. Olzinam aulicum primi loci, cujus autoritas apud Alphonſum lectu digna: ſexta ſecundæ Satyrat. decad. Fr. Philelphi.

38 Henrico Britanniæ Rege) Sexto ejus nominis, qui varia fortuna regnavit. Lege Polydorum ſcriptorem Anglicæ hiſtoriæ lib. 23. & ſeq.

Liberalitas Alphonſi permagna in redimendo capto, à cæteris Europæ Regibus deſerto, ſingulariter enituit.

39 Notandum quod lege Hiſpanienſi ſerva, quæ ex domino ſuo liberos ſuſceperit, in libertatem proclamat, & ſimul ſolers Alphonſi medium, quo in dirimenda re dubia, Salumonis inſtar eſt uſus.

40 Calaguritanus) Indoctus ſcriba in duo vocabula depravarat Calta cognomen putans & Gizonius gentilitium. Id perpetuum ferè ei fuit cum in propriis, tum in agnominibus tum hominum, tum locorum.

41 Auguſtinus exiſtimat) Vide eum in cap. 24. lib 5. de Civitate Dei.

43 Cives benevolentes regum cuſtodes ſunt. Proinde ſtudendum Principibus eſt, ut clementia, liberalitate, humanitateq; ſubditorum amorem conſervent, augeantq;, ſuperbos namq; difficiles avidoſq; alieni manet odium malus & vitæ & principatus cuſtus.

44 Docet cur res difficilis ſit principem agere.

Quapropter) Quanto flagitium conſpectius, tanto offendiculum gravius.

Nam veluti) Vulgus imitatur quòd à principibus conſpicit factitari.

Heliotrophium) Sic emendavi vocem ridiculam Elitroperiam. Heliotropium herba ſic dicta, quòd ſecum ſole convertat. Leg. Apul. de hiſt. herb. cap. 49.

45 Reginam) quæ cum adoptaverat, dictitans ſe jam non matrem, ſed captivam potius eſſe.

Mollitudini) lenitati.

Fragilitati) pro inconſtantia, muliebri vitio.

Regem eſſe) Cui honeſta tantum licent.

46 Præſides) Sic Antiochus tertius ſcripſerat civitatibus, ut ſi quid per literas juberet, quod adverſaretur legibus, ne curarent, perinde quaſi ipſo neſcio ſcriptum eſſet.

47 Incolumes omnes) Sic Theodoſius junior rogatus cur neminem eorum à quibus lædabatur, ſupplicio capitis afficeret, reſpondit: Utinam mihi liceret & mortuos ad vitam revocare.

Propterea illud modo) Apparet hunc locum corruptum, unde quo ſenſus aliquis utcumq; extrahatur, dum emendatior lectio ſubſtituatur, ſic reformandum putavi, propterea illud non cuſtodiant, nec cives offendant, verum intelligant in illis &c.

48 At clementia) Dum tamen meminerit, ad privatas injurias oportere eum eſſe facilem ad ignoſcendum, in iis quæ lædunt rempublicam decet eſſe ſeverum, in facinoroſos, & eos, quos pœnis afficiendos leges ſanxerint, ſic animadvertat, ut non nomen, ſed crimen inſectari, ac punire videatur.

50 Qui ſibimet) Sentiens gerendo in alios imperio minime idoneum, qui non poteſt imperare ſuis cupiditatibus.

52 Pueros) Idem refert de Alphonſo Pontanus in L. de liberalitate. Eodem autore non potuit aut beneficentius aut utilius excogitari liberalitatis genus: itaq; inprimis commendandum putat pecuniis ſuſtentare adoleſcentes, quorum anguſtiores ſunt res, & in quibus ingenii vis & indoles aliqua prælucet ad virtutem. Sic noſter Eraſmus ille magnus, cujus nomen jure in auguſtam regum principumve illuſtrium memoriam referendum eſt, & in vita in ſtudioſos inopia preſſos liberalis fuit, & in morte. Lege adjectam Origenicis operibus ex officina Frubeniana epiſtolam nuncupatoriam Beati noſtri Rhenani, viri, & quod externis quoq; conſtat, doctiſſimi, & quod norunt ei familiarius conjuncti, maximè integri.

53 Virtutis Florem) Gratior & pulchro veniens in corpore virtus.
Virg. Æn. 5.
Comparatio honoris inutilis.

54 Pro accidia) Emenda pro acedia.

55 Superbi non ſolum) Haud inſcite colligit cur & Deo & hominibus ſuperbi odio habeantur.

56 Cum aliquando) Vituperationem ſaltationis pete ex philologia Volateranni.

Edet oraculum) Sentiens ſaltationem inſaniæ genus eſſe. Sibylla autem vates non edebat oracula niſi furore correpta.

57 Non tam quod hoſtes) obſervandum refocillare victos vere regium, debellare hoſtes fortunæ eſſe. Ad eam rationem non raro Cæſ. Maximiliani clementia enituit poſterius, præcipuè in Palatinenſes & Bohemos, quos redeuntes ad cor, oblitus mox injuriæ omnis nullo non benevolentiæ genere atq; amore proſequi cœpit. Et Bohemi quidem beneficii avi in nepote Ferdinando, principe clariſſimo, nobiliſſimo potentiſſimoq; viſi ſunt ægregiè memores fuiſſe, declarato eo Rege tot competitoribus etiam regibus regumq; filiis præteritis.

60 Alphonſus iniquus ſaltationi, ſemel cum magnis inſanire reprehenſionem effugere honoris ergo, pronunciavit interpellatus.

61 Brachium ſui temporis) Hujus geſta ſcripſit Campanus. Is tandem multis confoſſus vulneribus occubuit, in Aquilonum manus delatus, quorum nunc civitatem Aquiloniam, ſive ut nunc loquimur Aquilam, obſidione premebat, qui ob hoc unum arma Aquilonianis intulerat, Alphonſianarum partium pertinax fautor, quòd ab Andegavenſium fide nunquam dimoveri poterant. Martinus V. Pont. ejus memoriam execratus eſt, exhumatum cadaver, oſſa ſolo ſparſa, quod in excommunicatione extinctum fuerit.

Ex Bracchiana diſciplina) Vid. Volaterranum in rebus Piſanorum lib. 5. & eundem de morte Bracchii de reb. Mediolanenſium lib. 4.

Inferioris gloriæ) Idem ſcribit Sabellicus de eo, etſi adoleſcente.

Facium) Notus is eſt recriminatione Laur. Vallæ.

Auctiorem fecit) Sabellicus id Alberico Cunii Comiti tribuit, cui uni plus debeat Italia, quod omnibus ea tempeſtate ducibus militiæ, quòd primus quoq;

Ita-

Italos ſub uno ſigno militare docuerit, quibus poſtea uſus Germanos, Britonnos & Anglicos Italia expulerit, Hiſpanis unde ejus majores erant oriundi, duntaxat in ea retentis. Hinc Sfortianos, Bracchianoſq; ortos, qui tantum nominis in re militari ſunt adepti, ut exteræ gentes hos veriti, jamdiu Italia abſtinuerint, aut eam adire auſi, tam male habiti ſint, ut fama deperdita, & re parum integra abierint.

C. Leonhardum Aretinum) Is Romanam eloquentiam ſuis temporibus à ſorde primus vindicare in ſplendorem eſt conatus. Autor Pontanus libro de Magnanimitate ſecundo.

Ob Cyropædiam) Lege Cyri Pædiam. Vertit & eam Fr. Philelphus, & quidem ut non dubito felicius, tametſi Poggiana interpretatio mihi neq; lecta neq; viſa eſt unquam.

Donis ornavit) Audiatur & Pontanus, cujus in lib. de Liberalit. hæc verba ſunt, Abundavit eruditis viris Nicolai Quinti Pont. Max. & Alphonſi Regis aula, hic ad ordinariam in Antonium Panormitam benignitatem, illud addidit, ut mille eum aureis ob ſcriptum de dictis & factis ſuis librum donaverit. Poggium Florentinum quingentis ob converſum è Græco in latinum Xenophontis librum, qui Cyri Pædia inſcribitur.

ANTONII PANORMITÆ

DE DICTIS ET FACTIS
ALPHONSI REGIS ARAGONUM

LIBER III.

PROOEMIUM.

Repetenti mihi quotidie Alphonſi dicta atq; facta mamoratu digna, tam multa ac præclata ſeſe exhibent atq; oſtendunt, ut tum eorum copia penè obruar, tum magnitudine planè obſtopeſeam. Nam per immortalem Deum, quale illud eſt, quod nuper ab eo dictum audivimus? Nam cum quidam ab eo ſiſcitaretur, quomodo in tot divitiis pauper effici poſſet. Effici poſſe reſpondit, ſi ſapientia venditarentur. Quo ex dicto utique p anum fecit pluris ſe rerum cognitionem, quam regna, aut divitias æſtimare. Alexandrum Macedonem in hoc, ut in plerisq; quodam modo imitatus, qui laudem ex ſapientia potius, quàm ex armis quærere concupiverit. His accedit quòd ſapientiam filiam Dei appellare ſolitus fuit, eamq; ſolam rerum omnium eſſe immortalem, atq; ex omni genere animantium ſoli homini eſſe conceſſam. Qua potiſſimum ex re (uti ego arbitror) Joannem Eſernitanum tum omni virtute præſtantiſſimum, tum acerrimi judicii virum de Rege ſolitum dicere accepimus: Alphonſum ſi Rex non fuiſſet, philuſophum & quidem eximium futurum fuiſſe. Ad ſapientiam enim unicè natum eſſe ſibi videri. Neq; enim inter ardua, ut ſunt plerumq; Regum negotia unquam ſapientiæ ſtudium intermittere, quotidieque Poëtas, Philoſophos, Theologos, aut legentes, aut diſputantes, aut orantes audire, atq; adeò in divinis maximè diſciplinis doctum & clarum evaſiſſe, ut in rege aliquid etiam præter regem ineſſe videretur, quod demirari poſſes, & ad felicitatem & veri cognitionem ribi excerpere. Ego præterea ita explanaſſe difficillima pleraq; regem ſcio, ut quæ viderentur aut haberentur obſcura, luce, ut ajunt, meridiana clariora redderet. Ideoq; Hiſpanos contertaneos ſuos amaſſe & reſpexiſſe, quod epiſtolas Senecæ ex latino in patrium ſermonem verterunt, quò divini illius libri cognitio etiam literarum rudes non lateret. Sed & quod dictum & ſæpius dicendum, ſapientes viros incredibili benevolentia atq; obſervantia coluit. Quare doctos & ſapientes præcipuè monitos & oratos velim, uti quiſq; pro viribus gratiam referat, meamq; imbecillitatem ſua eloquentia atq; opera ſuſtentent, ſulfulciantq;, neq; divini hujus viri, deq; eis tam benemeriti facta, aut dicta perire ſinant; ſed celebrent potius & certatim laudibus efferant, haud inſcii ingratis pœnam à veteribus inſtitutam eſſe, ut hi murænis votandi diſcerpendiq; vivi objicerentur.

Negat Joannes Eſernitanus philoſophum eſſe Alphonſum quia Rex eſt. Ego iccirco philoſophum eſſe affirmo, quia regno potitur. Nam philoſophi mea ſententia, non qui facienda dicunt, ſed qui dicenda faciunt, babendi ſunt. Qui quum peccare poſſint, non peccant, & quemadmodum de Alphonſo refers in omnium rerum licentia, ſibi ipſis frenum injiciunt. Abſtinentiam in vita privata ipſa neceſſitas parit.

AL-

ALPHONSI REGIS

DICTORUM ET FACTORUM

LIBER III.

1 OPtimos conſiliarios eſſe mortuos dicebat, libros videlicet deſi- *Graviter.*
gnans, à quibus ſine metu, ſine gratia, quæ noſſe cuperet fide-
liter audiret.

2 Si Romanis temporibus natus eſſet ſe conſtructurum fuiſſe di- *Graviter.*
cebat contra curiam Jovi Poſitorio templum, quo patres conſcri- *Juſtè.*
pti ſententiam dicturi, antequam curiam ingrederentur, odia atq; alias ani- *Juppiter*
mi peſtes deponerent. Plerumq; etenim fieri uti regna atq; reſpublicæ priva- *Poſitorius.*
torum contentionibus, atq; affectionibus peſſundentur.

3 Dicenti cuidam id decere regem non ſolum quæ permiſiſſet, ſed quæ *Juſtè.*
capite annuiſſet, etiam præſtare debere. Reſpondit, recte ſanè, verum dece- *Graviter.*
re quoq; petentes, ut juſta & conſentanea à regibus poſtulent.

4 Divites ſine cultu literarum aureum velus appellare ſolitus fuit. *Graviter.*

5 Cum eſſent qui apud Regem cauſſam beſtiarum contra homines defende- *Sapienter.*
rent, & modo turturis caſtitatem, modo cornicis, quæ mortuo compare no-
vem hominum ætates vidua perduret, modo formicarum providentiam, mo-
do canum ſagacitatem, modo ciconiarum pietatem, modo apum in Regem
obſervantiam, & id genus multa pro brutis animalibus afferret in medium,
Regem ita reſpondentem audivimus, ſive id brutis inclinatione naturæ, ſive
Dei dono datum ſit, ſe non alia cauſſa datum ac conceſſum eſſe exiſtimare,
quàm

---

1 *Juliano Cardinali ſancti Angeli, qui Baſilienſi conſilio præfuit, libros veterum lectitanti, cum diceret Oddo de Variis. Quid tu hic inter mortuos lotitas? ad nos tandem qui vivimus exi. Imò, inquit, in fama vivunt, tu neq; nomine, neq; re vivis.*

2 *Cum vocarentur in curiam Senatores, Fridericus Imperator utinam, inquit, duas res conſiliarii mei in palatii veſtibulo deponerent. Sic enim & ipſi recte conſulerent & mihi inter conſilia dijudicare facillimum eſſet. Interrogatus quæ nam res illæ eſſent? Simulatio, & diſſimulatio reſpondit.*

3 *Exigenti promiſſa veterano militi cum diceret Sigiſmundus Imperator. At immoderata fuit petitio tua: Reſpondit miles, poteras negare cum peterem. Nunc ſine turpitudine quod promiſſum eſt, reſcindere non poterit. Tum Sigiſmundus, ſi ex duobus alterum me ferre oportet, levius rerum, quàm famæ jacturam ſubibo.*

4 *Ladislaus Rex Hungariæ, ac Bohemiæ quamvis adhuc puer cum eſſet Romæ, non videri ſibi, ait, homines, qui literas ignorarent.*

5 *Barbaræ, quæ Sigiſmundi Cæſaris uxor fuit, ac fatis functo vidua ſuperſtitit, cum ſibi diceret aliquis imitandam turturis exemplum, quæ mortuo marito perpetuam caſtitatem ſer-*

quàm ut homines turpiter nequiterq; viventes, erubeſcant à brutis & à rationis expertibus ſuperari.

Facetè. 6 Cum aliquando Rex Ludovicum Podium Putium appellatum in veſte lugubri, fronte ſubtriſtem intueretur, & quid ſibi vellet luctus ille ſuſcitaretur. Ac Putius ob uxorem mortuam mœſtum ſe eſſe reſpondiſſet. Adjecit lætum potius atq; hilarem eſſe eum convenire, ob illius mortem. Nam, ſi cognata mortua eſſet, fratrem à mortuis ſuſcitatum eſſe. Erat enim mulier illa intractabilis, difficilis, & viro, dum vixit, admodum moleſta, & infeſta, ac mariti propè mors quædam.

Urbanè. 7 Matrimonium ita demum exigi tranquille, & ſine querela poſſe dicebat, ſi mulier cæca fiat, & maritus ſurdus.

Prudenter. 8 Quemadmodum argentarii ad aurum atq; argentum probandum cote judice utuntur, ita ſe Rex uti magiſtratibus ad cognoſcendum civium mores, atq; animos dicebat; magiſtratu quidem maximè homines demonſtrari atque cognoſci.

Fortiter. 9 Lupus Simoninus Durreæ dominus per id temporis Neapoli Proregem agens, cum per nuncium Regi abſenti ſignificaſſet navem alteram ex duabus quas inſtar montium Rex ædificaverat, nautarum negligentia deflagraſſe, reſpondit: Scire ſe eam navim quamlibet magnam atq; magnificam, paucis tamen poſt annis, aut labe, aut teredine perituram fuiſſe. Proinde ſecum æquo animo, ſi ſapit, ferat infortunium.

Urbanè. 10 Dicenti cuidam ſapientem virum ſe tandem repperiſſe. Quomodo, inquit, ſapientem dignoſcere ſtultus poteſt?

Liberaliter. 11 Philelphum poëtam ad ſe Satyras diutiſſimè evigilatas deferentem, illaſq; canentem, ac propè agentem, non prius quàm militiæ honore decoratum, præmiiſq; auctum remiſit.

Cum

---

varet, Si me ratione carentes imitari volucres jubes. Cur non columbas potius paſſereſq; proponis?

6 *Gregorius Hanniburgenſis ſcientia juris ac facundia inter omnes Germanos facile Princeps, Cum domum ex curia Cæſaris in qua diu fuerat verſatus revertiſſet, atq; non longe ab oppido Nurembergenſi amicum offendiſſet, qui uxorem ſuam vivere & bene valere diceret. Si vivit uxor, inquit, ego abii.*

7 *Ottacharus Rex Bohemiæ cum de pudicitia conjugis ſiniſtri ad ſe rumores delati eſſent, Lex, inquit, naturæ eſt. Cornua qui faciunt, ne cornua ferre recuſent.*

8 *Joannes Varadienſis Epiſcopus regniq; Hungariæ Cancellarius, tam morum elegantia, quàm literarum ſcientia regnicolarum nulli ſecundus, Cum præfecturas urbium & provinciarum ad novos & incognitos deferri homines animadverteret. Poſt annum, inquit, videbimus, bonà ne fuerit Regis electio, quòd ſi mihi fides fuerit, probatos adhæc munera, quàm probandos potius aſſumam.*

9 *Ulrico de Roſis inter Bohemos proceres opibus, & autoritate pollenti cum Sigiſmundo abſenti mortem fratris, & rebellionem Pragenſium ſignificaſſet, fratrem ſuum reſpondit Sigiſmundus naturæ tributum ſolviſſe. Pragenſes vero ſibi tanto glorioſius ſoluturos, quanto fortius vinceretur.*

10 *Paraſitus Alberti Marchionis Ciliauus nomine dicenti ſibi cuipiam, Cur te ſtultum aſſimulas, cum recte ſapias. Heu quàm iniquè fortuna, inquit, mecum agit, quanto magis ſtudeo me fatuum oſtendere, tanto prudentior exiſtimor. Contrà filium meum, qui videri ſapiens nititur, ſtultiſſimum omnes judicant.*

11 *Legerat Philelphus, ut opinor, cum Satyras Alphonſo mitteret, quod ſcribunt veteres de Antonino pio, qui Oppianum poëtam de natura piſcium canentem, per ſingulos verſus aureo nummo donavit. Unde-*

ſunt

12 Cum aliquando navali prælio Rex deſperatis rebus, poſſet ex onerariis navibus in triremium ſuarum claſſem facile evadere: etenim præfectus illarum Joannes Eſernitanus vir ſtrenuus (qui profecto ſemper Regis voluntatem ac nutum obſervabat) voluit tamen in triremes deſcendere. Sed ex navi ſua primus in hoſtium navem tranſilit, ſeq; dedidit, ratus id, quod poſtea effectu probatum eſt, cjus jam capti autoritatem, ad ſociorum ſalutem, & liberationem plurimum valituram. *Piè. Fidenter.*

13 Lupo Simonino quòd ejus opera in bello Neapolitano viginti annos fideliter pariter, ac fortiter uſus eſſet, id quod magnanimum & generoſum appetere intelligebat, ſummos quoſque honores, novoſq; & ampliſſimos magiſtratus ei Rex contulit. Siquidem eum proregem aut, ſi mavis, præſidem Siciliæ, ſimiliter & in toto regno Neapolitano, quod antea nulli alii contigerat, fecit, ſeq; alterum appellari juſſit, exemplo uti ego arbitror Alexandri in Epheſtionem, gratitudine quidem & officio neminem unquam ſe vincere paſſus eſt. *Gratè.*

14 Alphonſus cum à Ludovico Podio Roma certior factus eſſet, Ritium regiorum peditum ductorem ad hoſtes oppidis aliquot occupatis ſtatim tranſiturum, operæ pretium fore, illum re adhuc integra capere ac cuſtodire: malle ſe, inquit, à ſuis prodi damnoq; affici, quam de illis unquam minus conſilum videri. Deſciſcat Ritius, ut lubet, ſe nequaquam de beneficiariis ſuis tale aliquid, niſi comperto ſcelere, eſſe crediturum. His adjiciens, quòd Ritius proditionis occaſionem quærens, à Rege grandem quandam pecuniam efflagitaverit, Rex illam, vel ut eum a propoſito deflecteret, vel ne quid culpæ in ſeipſum rejici poſſet ad Ritii excuſationem, è veſtigio quantamcunque tradendam curavit. *Conſtanter.*

Re-

ſunt illius poſtmodum aurea carmina nuncupata.

12 *Interea Auſtriam cum remearet ex Italia Fridericus Imperator, renunciatum eſt Auſtriales in armis eſſe, & aſſumptis ſecum aliquot Bohemorum militibus Novam civitatem obſidere inſtituiſſe. Proinde caveret ne montes Syriæ tranſmitteret, ſimiliterq; amici omnes uno ore conſuluere. Nam fugæ cum in Auſtriam veniſſet nulla ei facultas dari poterat. Ad ea Fridericus nec mihi veriſimile ſit Auſtriales, ait, eò perfidiæ prolabi, ut me dominum ſuum exercitu petant, neq; ego is ſum, qui fugiam ante ora eorum, quin capi vel occidi malim. Exin quid illi petant, niſi Ladislaum pignus hoc, quo reddito liberi ſumus? tenerum adhuc puellum inviti ex tutela noſtra remittemus. At ſi pergunt petere in mediam Auſtralium, Bohemorum, & Hungarorum id pomum dabimus de quo treis deas inter ſe contendiſſe fabulæ Iunonem, Venerem, & Minervam tradunt.*

13 *Pippanem Florentinum ex domo Strozioram, qui cum plurima bella fideliter feliciterq; confeciſſet, adeò Sigiſmundus Imperator apud Hungaros magnificavit, ut ſecundum illius regni caput omnes faterentur, pleriq; primum putarent. Dixiſſe quoq; Sigiſmundam aliquando ferunt, facile Pippo, ſi velit, ſcipione in manum meam dato, regni fines egredi me ſolum ac nudum videbit.*

14 *Romam cum peteret Fridericus Imperator ex præfectis quos Viennæ reliquit certior factus eſt, Vlricum Eitzingerum, inter proceres Auſtriæ opibus, & induſtria nulli ſecundum, trans Danubium profectum eſſe, ibiq; clandeſtina colloquia cum Moravis habere, timendum eſſe, ne res novaret abſente principe. E re igitur fore, Vlrico cum rediret vincula injicere, quibus Imperator reſpondit clarum ac potentem hominem periculoſum eſſe in carcerem rapere, quando neq; nocentem plectere eum, neq; innocentem dimittere*

Fortiter. *Fidenter.* 15 Redeunte Alphonſo è Cajeta Neapolim, cumq; una in claſſe regia Joanna Regina, & Joannes Caraciolus vir primarius, pluresq; præterea proceres ac reguli navigarent, ad eum propius acceſſiſſe Sphortiam ajunt atq; dixiſſe. Nunc ò Rex ſi vis, & velle debes, potes univerſum Neapolitanum regnum abſq; adverſario, atq; diſcrimine aliquo extra omnem dubitationem obtinere. Hoc eſt, ſi quos tecum ipſe ducis, eos omnes in Siciliam captivos dimiſeris, ac regnes ſolus. Cui Rex, ſi quidem id neſcire, ſe eo propoſito ex Hiſpania diſceſſiſſe, ut veram & abſolutam gloriam, quantum in ſe eſſet reportaret ad ſuos, quam non perſidia & dolo, ſed virtute & conſtantia ſeſe poſſe aſſequi, Dei optimi maximi benignitate confideret. Reges quidem fortunæ omnis minime indigere; ſed laude potius hoc eſt hominum perpetua commendatione, & fama.

Juſtè. *Graviter.* 16 Maxima cura intentum Regem ad exolvendum levandumque ſeſe ære alieno nuper vidimus memorem, uti ego arbitror, dicti illius, litis atq; æris alieni comitem eſſe egeſtatem: per bellum etenim Neapolitanum quinque & quinquaginta millia ſuper quinquies centena aureorum mutuo contraxerat, à quo debito, dum proderem hæc, propè liberatum vidimus. Ac proinde reſpirantem, & meritò lætum dicere, Regibus qui pro reditu ſumtus metiuntur, bona omnia cedere, amari à civibus, non metui, cives ipſos à ſuſpitione novorum munerum levatos, alacres agere, ſuaq; bona oſtentare, ac denîq; principis vitam votis, ſuppliciiſq; expetere.

Graviter. 17 Adulatores autem lupis haud abſimiles dicebat eſſe. Nam quemadmodum lupi titillando ac ſcalpitando aſinos vorare ſoliti eſſent, Sic adulatores ad perniciem principum, blandiriis ac mendaciis contenderent.

Fortiter. 18 Cum in prædicatione cujuſdam viri ſancti ſomno Rex admodum gravaretur, nec id dignitati, aut attentioni ſuæ convenire intelligeret, digitis digitos

---

re audeas. Ulricum deinde quia conſiliarius ſuus eſſet, jusjurandi immemorem haud quaquam ſe credere, prius quàm experiatur.

15 *Ladislaum Hungariæ, ac Bohemiæ Regem cum educaret Fridericus Imperator, non defuerunt perverſæ mentis homines, qui perdendam ſuaderent puerum, cujus vita ingentes moleſtias Cæſari, mors exigua, & opes maximas allatura eſſent. Ad quos ille, ergo me inquit, opulentum magis Regem, quàm piam, quàm juſtum cupitis? At ego bonum nomen cunctis divitiis antepono.*

16 *Joannes S. Angeli Cardinalis natione Hiſpanus cum in Auſtriam Sedis Apoſtolicæ Legatus veniſſet, cognoviſſetq; Friderici Cæſaris, qui reditus & qui ſumtus eſſent. Rumor erat, inquit, Fridericum ad rem nimis attentum eſſe. At meo judicio perliberàlis eſt, qui facultatibus ſumtus metitur. Cæterum Sigiſmundus & Albertus qui ante eum imperavit, Bohemiæ & Hungariæ ditiſſimis regnis præfuerunt, propemodum prodigi Principes, largitatem ejus obfuſcant.*

17 *Cum diceret aliquando Sigiſmundus Imperator, aſſentatores ſe veluti peſtem odiſſe: imò, inquit Brunorius Veronenſis, nullum genus hominum magis amas. Nam quid apud te poſſent Marcus Bunus, Laurentius Palatinus, Urſacius Michaël, Caſpar Schlickius, niſi aſſentando tuam gratiam meruiſſent? Tum Sigiſmundus, Brunori ait. Sic enim comparatum eſt: cum vitandos eſſe adulatores dicimus, tum maxime illis aures damus. Nec tu mecum tamdiu fuiſſes, niſi mihi blandiri aſſueviſſes.*

18 *Animadvertit religioſus quidam prædicator ex ordine Minorum Albertum Cæſarem Ladislai patrem, qui ſermonem ſuum Viennæ audiret ſomno gravatum eſſe, atq; altiori voce, quæro, inquit, ex vobis, qui aſtatis, ſalvari ne principes poſſunt?*

Cum-

Google

gitos occultè quidem ita contorſit, ut ſoporem præ dolore omnino excuti, & amoveri neceſſe eſſet.

19 Alphonſus quodam die Panormi ſacratiſſimæ dominicæ hoſtiæ obviam *Pie.*
factus, equo deſiliit, corpuſq; Domini comitatus, deductus eſt tandem ad domum mulieris laborantis è gravi partu, atq; penè jam mortuæ. Qua ex re valdè ſollicitus atq; anxius Podio, qui tum aderat, mandat, ut illico divæ Serenæ cingulum afferat, quo allato & ſumma cum devotione ſuper jacentis corpus impoſito, ſtatim incolumis enixa eſt.

20 Mediolanenſibus vero à Venetis pariter & Franciſco Sforria bello op- *Liberaliter.*
preſſis, auxiliumq; ab Alphonſo magnopere poſtulantibus, arbitratus eſt Rex,
illis demum beneconſultum iri, ſi Ludovicum Gonzagam hoc ipſum affectan- *Fidenter.*
tem, mercede conduceret Mediolanenſium cauſa. Quapropter Podio mandaverat, uti hoc nomine ipſi Ludovico triginta millia aureorum perſolveret. Cæterum Podius, quoniam interim Carolus Ludovici frater, qui ſub Mediolanenſibus merebat, occupata Laudente & Crema ad Sfortiam tranſiſſet, ac proinde ne cum fratre Ludovicus conſentirer, addubitaretur, pecuniam numerare ſuperſedit, Regemq; per literas admonuit, pecniam quamvis promiſſam, in re tamen dubia nondum numerandam, ſed ſervandam potius ſibi videri. Cui Rex majori ſibi curæ eſſe, ſibi fidem ſervare, quam pecuniam reſpondit. Quare Ludovicus, utcumq; res cederet, quod ſemel promiſiſſet, exolveret, de bono & ſpectato viro perbellè ſemper, & præſumendum, & ſperandum eſſe.

21 Convocato regulorum procerumq; concilio Neapolim, non defuerunt *Humaniter.*
qui crederent evocatos à Rege contrucidandos eſſe, ſiquidem id aliquando eis à ſuperioribus Regibus arceſſitis acciderat. Cæterum hi primò quidem ab Alphonſo humaniter accepti ſunt, deinde diſſoluto concilio læti, & incolumes dimiſſi, tum primum ſeſe verum Regem, ac patrem vidiſſe profitentes.

22 Offerentes ſeſe quondam ad Renati Andegavenſium Ducis necem, re- *Fortiter*,
jecit, ac deteſtatus eſt, ut ſi tale aliquid de cætero cogitare auderent, in eos tanquam parricidas animadverſurum miraretur, addens ſe virtute quidem, non tamen inſidiis cum hoſte de regno contendere. Simile & iis reſpondit, qui ſeſe in mortem Franciſci Sfortiæ paratos eſſe Regi ſignificarent, nunquam ſibi victo-

---

Cumq; rem dubiam & admodum difficilem reddidiſſet, apage ait, namq; ſi baptizati Principes, ac in cunabulis moriantur, non eſt deſperanda eorum ſalus.

19 *Gravida bellis Hetruria laborat, parturiens divæ Perinæ cingulum ex Rege petit. Neq; enim alius eſt, qui ſalutem illi elargiri facilius poſſit.*

20 *Fridericus Dux Auſtriæ Alberti Cæſaris filius, commiſſurus prælium adverſus Ludovicum Bajoarium, qui cum de Imperio contendebat, quamvis accepiſſet Marchiones Brandemburgenſes cum hoſtibus conſentire, his tamen promiſſam antea pecuniam numerat, alienam fidem accuſare, quàm ſuam requiri præoptans.*

21 *Mariam Hungariæ Reginam cum accepiſſet uxorem Sigiſmundus, de quo ſæpe facta eſt mentio, Principum regni concilium apud Budam actum eſt. In eo Regina perfidiam regulorum accuſavit, qui ſe regno ſpoliare conati eſſent. Tum Sigiſmundus unà cum judicibus cauſſa cognita, duos et triginta regulas ſecuri percuſſit, quæ res multorum deinde laborum et diſcriminum cauſſa fuit.*

22 *Inter Joannem Caroli quarti patrem, et Henricum Carinthiæ ducem de regno Bohemiæ longa et difficilis contentio fuit, quo tempore clanculum ad Joannem venit, qui ſe veneno hoſtem occiſurum promitteret, ſi præmium ſperaret. Cui Joannes, ſi*

victoriam placuiſſe, cujus poſtea pigendum, pudendumve eſſet, niſi hujuſcemodi conſiliis abſtineant, talia ſe exempla in illos editurum, ut ejuſmodi conſilia, ſibi admodum moleſta eſſe, omnes intelligant.

Mirè. Graviter.

23 Audivimus à Rege, cæcum natura Agrigenti adhuc vivere, quem ſæpenumero ducem venationis habuiſſet, monſtrantem his ipſis, qui oculis cernerent, ferarum ſaltus, ac latebras. Sed & id de cæci hujus induſtria mirum adjeciſſe: Nempe habuiſſe hunc aureos fermè quingentos, deq; his valde ſollicitum ſtatuiſſe in agro defodere, defodientem à vicino ejus compatre conſpectum eoq; abeunte pecuniam ablatam. Cum vero paucis pòſt diebus theſaurum reviſeret; neque inveniſſet theſaurum, animo angi, diſcruciari, exedi, neq; alium conjecturare, niſi vicinum compatrem ſurripere potuiſſe, ac ceſſiſſeq; ad illum, atq; dixiſſe, eſſe quod conſulere eum oporteat: tenere ſe aureos mille, quorum partem dimidiam abſtruſiſſet jam in tuto loco, de reliqua autem dimidia anxium eſſe, utpote cæcum & rerum perquàm incommodum cuſtodem, proptcrea ſi ei quoq; viſum fuerit hoc reliquum in eodem loco illo tuto quidem trudi & abſtrudi poſſe; compatrem approbaſſe conſilium, ac propere, præcurriſſe quingentoſq; aureos, unde nuper effoderat, recondidiſſe, ratum totos mille mox ſibi nequaquam defuturos. Poſthæc cæcum in agro reviſiſſe, repertaq; pecunia compatrem appellando, exclamaſſe, Cæcum oculato melius vidiſſe, lætumq; rediiſſe. Cæterum cæco admonitum Regem, eos Imperatores maximè laudare, qui eos, qui oculum præliis amiſiſſent, coronatos milites, ſuoſq; Hannibales appellarent.

Cæci ingenioſum cõmentum.

Clementer. Magnanimiter.

24 Conductus jam à Rege Neſtor Faventinus ſedecim millibus aureorum, ſibi traditis jam, antequàm Regi militare inciperet, ad Bononienſes & Franciſcum Sfortiam ſe contulit, quod cum Neapoli reſcitum eſſet, Antonius Caſarelius Neſtoris ſcriba, qui dum negocia procurabat apud Regem, vitæ metuens profugit. Verum interceptus in via ad Regem reductus eſt. Conſtitutus in medium juſſus eſt recitare cunditiones inter Regem & ejus dominum, per eum initas, quas cum intellexiſſent, qui aderant, ab Neſtore violatas eſſe, à Rege dimiſſus eſt, non ſolum metu mortis liberatus, ſed viatico etiam adjutus. Hoc etiam ad magnanimitatem Regis referendum eſt, quod cum Neſtor in fidem recipiendæ pecuniæ obſidem dare filium obtuliſſet, à Rege illi ſicuti pleriſq; aliis negatum eſſe palam eſt. Non metu enim ſed gratia & voluntate ſibi operam dari ſemper ſuum conſilium extitiſſe.

Al-

ſi me neſcio Henricum interemiſſes, atq; ad me veniſſes, crux tibi præmium futurum fuiſſet, qui regio ſanguine manus commaculaſſes, et tu me modo autorem tanti ſceleris petis?

23 *Ziſcha homo Bohemus humili loco natus multa vi animi & corporis, ſed ingenio pravo, cum Huſſitarum labes Bohemiam infeciſſet, ducatum hæreticorum ſuſcepit, præliaq; complura adverſus fideles, qui ſuperfuerant, feliciter geſſit. Amiſerat hic oculum unum in pueritia, dum inter æquales luderet. Altero in obſidione cujuſdam caſtri privatus eſt. Sed neq; oculo utroq; caſſus Imperio ſe abdicavit. Sequebantur eum ingentes copiæ, ab eoq; non Bohemi tantum, verum etiam Teutones magnis cladibus affecti ſunt. Is moriturus cum rogaretur de ſuo corpore, quid fieri mandaret. Pellem, inquit, mortuo demite, relictoq; feris cadavere, ex ea tympanum facite, quo in præliis utamini. Nam ut hoſtes viventis aſpectum non tulerunt, ita mortui ſonitum non ferent.*

24 *Docet Neſtor Faventinus quanta cum Picinino, tum cæteris copiarum ducibus, quot alit Italia, fides habenda ſit.*

Quam-

Liberaliter. 25 Alphonſus Ludovico Podio, quo propter ejus ſingularem diligentiam, ac fidem perpetuò ferè oratore in Italia uſus eſt, renunciante pro pace, quam Venetis & Florentinis daturus eſſet pluſquam ducenta millia aureorum extorqueri poſſe. Reſpondit pacem dare ſe, non vendere ſolitum eſſe.

Gratè. Fortiter. 26 Cum eſſet Rex cum exercitu Tyburi, redditæ ſunt ci literæ ab inclyto illo Mediolanenſium duce Philippo Maria in hanc ferè ſententiam, Philippus Alphonſo ſalutem. Ardeo equidem cupiditate incredibili ad me unum aliquem è tuis interioribus aulicis mittas, fide ac probitate quàm maximè ſpectatum, quicum eadem fiducia de rebus arduis loqui liceat, ac ſi tecum coram locutus eſſem. Vale. Ex omnibus Regem Ludovicum Podium delegiſſe ſcimus, hic cum & literis manu Regis ſcriptis & ſignis ſecretioribus ad Philippum acceſſiſſet, primum jurejurando à Philippo adactum eſſe, ne quicquam eorum, quæ auditurus eſſet proferret, deinde ut Regi quàm citiſſimè renunciaret, ſibi propoſitum eſſe utique, fixum, & immutabile, Regem ipſum ex ſe hæredem facere, ipſique Podio in præſentia tradere paratum eſſe Regis nomine civitates, oppida, atque arces, quæ quidem regiorum militum præſidio, qui in Gallia Ciſalpina per id tempus ſub Raimundo Builio Regis duce militabant, per quem opportunè cuſtodiri poſſent; tum magiſtratus, tum judicia, tum ærarium, tum redditus omnes penes ipſum Regi reſignaturum, ſibi duntaxat arcem Jovis & Papiæ in adventum Regis reſervaturum, & has quoq; requirenti Alphonſo traditurum, nec omnino ſibi adveniente Rege niſi Papiæ redditus retenturum. Hæc cum Podio majora eſſe, quàm ut in præſens tranſigi poſſe viderentur, ex Philippi quoq; ſententia ad Regem magnis itineribus contendit, Regiq; omnia, ut geſta erant, enarravit. Rex primo rei novitatem admiratus, indoluit Philippi vices, quem honoris gratia patrem appellare conſueſſet, quandoquidem illum Venetorum armis oppreſſum, ita de regno ſuo inſtituiſſe arbitrabatur. Deinde ipſi Ludovico reſpondiſſe, Etſi Philippi regnum atq; fortunæ ampliſſimæ & locupletiſſimæ ſunt, non ſe quidem ambitionis ſed gratitudinis cauſſa illi auxilium præſtare paratum eſſe. Scire ſe omnia ſua & vitam ipſam Philippo debere: ſibi itaq; Philippus habeat & civitates & bona ſua: ſe quidem opinione celerius ex Tiburi Mediolanum cum exercitu ultrò advolaturum. Juſſitque tandem ut Podius quàm celerrimè rediret, Philippumq; ad bonam ſpem ſui adventus exhortaretur. Interim forti & conſtanti animo illum eſſe oportere, ac cogitare potius, quomodo Venetorum bona diſtribuat, quam quomodo ſua ipſius largiatur. Sed quoniam ſciret Philippum natura ſuſpicioſum eſſe, mandatis adjecit, uti omnia Philippo aſſentiretur, proque illius voluntate omnia diceret, ac faceret. Se quidem mox præſentem quicquid egiſſent, in melius non ſine Philippi laude & lætitia reducturum. Et hæc quidem à duobus prudentiſſimis principibus parabantur. Verum ego compertum, atq; exploratum habeo, cum reliquis vero omnibus tum vel maximè principibus rerum futurarum adeò prorſus ademtum arbitrium, ſpeſq; & cogitationes mortalium vanas eſſe: dum enim Ludovicus præmiſſus accederet, Rexq; ipſe proficiſci pararet Philippus mortem obiit, Alphonſo hærede inſtituto. Quo nuncio incredibili quidem dolore Rex (alioquin excellenti animo) affectus eſt. Quod, videlicet, grati animi, libe-

---

25 *Quamvis omnia libenter audio, quæ vel feciſſe vel dixiſſe Alphonſum tradis, nihil tamen in animum tam cupide recipio, quàm reſponſum illud Ludovico Podio divinitus datum. Regem, ſcilicet, pacem dare, non vendere ſolitum. Nam et nos hanc pacem oraturi, non emturi venimus.*

26 *Multa Philippo Alphonſus debuit. Ac plura Chriſto debet. Pro Philippo bellum ſuſcipere contra Venetos inſtituis. Cur pro Chriſto contra Turcas arma non capias? Majo-*

res

beralitatis, ac virtutis materiam ſibi præreptam in Philippi de ſe benemeriti interitu ſentiret.

Sapienter. 27 Cum audiſſet Rex me uxorem eſſe ducturum, primò improbavit, arbitratus de cætero literis ſimul & uxori me operam dare non poſſe, ac proinde vera ſolidaq; literarum voluptate cariturum. Sed cum mox audiſſet me Leonoram Aureliam virginem probam, nobilem, ac formoſam duxiſſe, approbavit, literarum commoda, & honeſti conjugii ſuavitatam in æquo ponens.

Facetè. 28 Alphonſum cum quæreretur ab eo quare podagrici loquaciores eſſent, ita jocatum accepimus: podagricos pedum vitio afflictos, ambulare non poſſe: Ideo lingua, velut ambulatione quadam eos crebrius uti ſolere. Ad hæc non illepidè adjectum. Ennium cum podagra laboraret tunc bene & copiosè poëtari conſueſſe.

Moderatè. Clementer. 29 In obſidione Staphati centuriones ac milites, qui oppido præſidio erant, non ſolum omnis generis tela, ſed verba etiam petulantiſſima atq; obſcœniſſima in Regem & in Joannem Principem Tarentinum ac Petrum infantem Regis fratrem, qui aderant, jactitaſſe ſatis conſtat. Capto autem oppido cum ipſe Princeps atq; Infans ab ira ex conviciis ſtimulati, eos omnes in furcam tollendos eſſe contenderet, Regem contra omnes pro ſua conſuetudine miſſos feciſſe, ſimul & ſuorum indignatiunculam ita leniiſſe. In hujuſcemodi injuriis, non quid dicatur, ſed à quo dicatur in primis animadvertendum eſſe. Spurci vivant ſpurcè, loquantur ſpurcè, ut libet, ſe nequaquam ob aliorum maledicta à ſua natura & moderatione receſſurum eſſe. Adhæc victoriam fortunæ eſſe munus, clementiam ſuum ipſius, qui clemens eſſe deberet. Iraque unumquemq; malle ex clementia, quàm ex victoria laudem adipiſci. Deniq; ſe expertum loqui, nihil magis adverſariorum animos flectere, & conciliare ſolitum eſſe, quàm placabilitatis, & manſuetudinis nomen.

Magnanimè. Juſtè. 30 Rex Ludovico Polio renuntianti eſſe quendam in Venetorum navalibus, qui illa unà cum armamentario, quod in his erat, exurere pollicitaretur, ſi ſibi duo millia aureorum à Rege promitterentur, conatuſque illius facile ceſſuros affirmanti, ita reſcripſit: Etenim ſibi, non quidem inſidiis, uti ſæpius à ſe accepiſſet, ſed aut virtute vincendum eſſe, aut nunquam pro-

---

res Turcæ quàm Veneti. At major multo Chriſtus, quàm Mahumetes.

27 *Interrogatus aliquando Marianus Sozinas Senenſis utroq; jure conſultiſſimus, Cur minus ſolito literis operam daret. Uxorem, inquit, duxi. Rurſus interpellatus, cur Socrates poſtquam duxit uxorem, non itidem philoſophiæ ſtudia neglexiſſet, Xantippe, ait, moroſa fuit, &, ut exiſtimo, deformis, mea vero proba eſt, & formæ non poſtremæ.*

28 *Ennius Senenſis qui Eccleſiæ Groſſitanæ præfuit, antequàm Pontificatum accepiſſet, in Petrum de monte Licino non incelebrem Aſtronomum, cum podagra laboraret incidit, atq; ab ea, dum alteram poſt alteram fabulam recitat, diu retentus, dum tranſeuntem notum quempiam vidiſſet, Age, inquit, ô amice auſculta hunc podagricum. Nam meæ audiendo aures ambæ obtuſæ ſunt.*

29 *In obſidione Pragenſi Principes civitatis, qui Sigiſmundum odiſſent, populares ut obſcœna, & petulantiſſima in eum verba jactarent, aſtu atq; arte provocabant; ſic enim futurum arbitrabantur, ut irritatus hoſtis crucem & quævis duriora ſupplicia comminaretur obſeſſis. Illi vero pœnam metuentes, obſidionis incommoda conſtantius tolerarunt, quod cum intelligeret Imperator impunitatem omnium, quæ in ſe dicerentur per præconem promiſit.*

30 *Ad Rudolphum Imperatorem venit quiſpiam, qui Othaccarum Bohemiæ Regem in venatione ſeſe occiſurum promitteret, ſi facto præmium*

Profecto vincendum. Ex hac enim re non aliam ſibi laudem ſperandam eſſe, quam ejus qui Dianæ Epheſiæ templum incendiſſet, cujus nomen totius Aſiæ decreto è memoria hominum obliteratum traditur.

31 Bona illa, quæ habentibus mala & pernicioſa eſſe aliquando poſſent, *Graviter.* non modo bona non eſſe, ſed ne dicenda quidem bona Rex exiſtimabat. Bonum enim perpetuitatis non momenti, animi non fortunæ, cœli deniq; non mundi hujus eſſe.

32 Erat Alphonſus apud Juliani templum juxtà Neapolim cum ex prælio *Piè.* relatum militem lethaliter gula transfixum, circa ſe locari juſſit, ſuoq; ſudario *Humaniter.* vulnus obvelari. Cum vero nullam ſpem vitæ præſentis haberet, ad beatam & immortalem vehementer hortatus eſt, mortuum ſepeliri quoq; diligentiſſimè curavit.

33 Victo, captoq; à Rege Antonio Caudola Carpenono, ubi uxor & filii & *Clementer* fortunæ omnes Antonii eſſent in poteſtatem redactæ, omnes in libertatem *Liberoliter.* pro ſuo more incolumes reſtituit, theſauros uxori dedit. Sibi ex pretioſa ſupellectile nihil omnino niſi vitreum poculum aſſumens.

34 Fœnus nihil aliud ſibi videri, quàm animæ funus, dicebat. *Graviter.*

25 Renatus Dux cum per fecialem ferreum manuum indumentum, id eſt præ- *Animosè.* lii ſignum detuliſſet Alphonſo, alacriter illud accepiſſe palàm eſt. Moxq; fecialem interrogaſſe, num in ſingulare certamen, an in univerſum exercitum ſe provoca-

---

mium eſſet. Cui Rudolphus etſi noſter hoſtis eſt Otbaccarus, eumq; odimus, non tamen id efficiet, ut juſtitiæ et moderationis fines tranſeamus.

31 *Inter philoſophos, inquit Hugo Senenſis, multas invenio hæreſes, quas facile tollas, ſi de nominis finitione conſenties.*

32 *Albertus Auſtriæ dux antequàm Romanum ſuſcepiſſet Imperium, in Judæos deſæviens, eos omnes in ſua ditione occidi juſſit, qui nollent ad Chriſtum verum et ſingularem Deum converti. Multi metu baptiſma ſuſcepere. Ex quibus unum Fridericus antequàm imperaret in cubiculum ſuum accepit. Eumq; cum eſſet ſibi coætaneus, quaſi fratrem dilexit, is poſt aliquot annos pecunia ductus ad Judaicam fidem ſiſe reverti ſtatuiſſe dicit. Fridericus contrà ſuadet ne viam vitæ deſerat. Cumq; verba ſua nil proficerent Theologos ex Viennenſi ſchola arceſſit, qui juvenem inſtruant, addit præces, addit lachrymas, promittit, minatur. Poſtremo vero fruſtra ſeſe niti cognovit, fraternam quodammodo charitatem religioſæ, et veræ pietati poſtpoſuit, invitaſq; et admodum dolens juvenem in judicium requiſitum tradidit. Ille ad ſupplicium ductus nullis conſtrictus vinculis (ſic enim petieras) ut pyram ardentem vidit, Hebraicum carmen incipiens, in medias flammas intrepidus ſe conjecit, atq; ibi contans exuſtus eſt.*

33 *Ex præda villarum quas diripuiſſet Ziſcha Bohemus, nihil ad ſe deferri juſſit, niſi telas aranearum: ſic enim pernas ſalitaſq; carnes è ruſticano tecto pendentes appellabat.*

34 *Fœnus ita demum ſine peccato exerceri poſſe Divus Bernbarinus Senenſis affirmavit, Si pecunia bis crederetur, qui ne ſortem quidem reddere poſſent.*

35 *Anno abhinc ſexto et quadrageſimo inter fratres Mariæ Teutonicorum & Vladislaum Poloniæ Regem, de regni finibus orta quæſtione utraq; pars ingentes copias in bellum eduxit, At primi Pruteni ſive numero militum, ſive animi ferocia exultantes, duos gladios per fætialem Regi miſere, ut ex his, quem mallet, unum acciperet. Is cum Vitoldo fratre ſuo Deo hoſtias libabat, qui audito fæciale, non minus, inquit, prælii ſignum recipio. Conſecrato gladio, quem elegerat, eo ſe accinxit, & facta pugnan-*

vocaret, quoniam ipſe utrumq;, videlicet, accepiſſet. Reſpondente vero feciale non in univerſum certamen à Renato provocari, confeſtim pugnæ locum & tempus jure belli ſtatuiſſe, acceſſiſſe, at nequicquam expectaſſe.

Clementer. 36 Alphonſi vero moderationem, clementiam, liberalitatem, cum in alios propè innumerabiles, tum in Marinum Boſſam, infenſiſſimum ejus hoſtem, quis dignè ſatis unquam enarraverit? qui Arpario oppido, & in eo ſimul Marino ipſo vi capto, cum univerſus fermè exercitus in Marini necem conjuraſſet, unus Alphonſus ipſum a militum furore, atq; injuria prohibuit, quem poſtea & in bona reſtituit, & in ſenatorum numero collocavit, ejus etiam filiis inter aulicos, quos familiariſſimè diligebat, admiſſis.

Piè. Fortiter. 37 Cum claſſis Philippi ducis Mediolanenſis adventare in auxilium Cajetanorum cerneretur, eſſetq; de Imperatore regiæ claſſis eligendo non parva diſſenſio; ſiquidem Joannes Navarræ Rex, & Henricus Infans utrique Regis fratres, id pro ſe quiſq; appetere videbatur, Alphonſus ne alteri curam, & Imperium claſſis demandando, alterum offenderet, ſtatuit ipſe claſſem conſcendere, pacem & concordiam fratrum pluris faciens, quàm periculum, quod caſtris imminere videbatur, ſi quod accidit, caſtra ipſe relinqueret. Sed & illud mox in eo prælio memorabile extitit, quod cum victo Regi conditiones afferrentur, non prius illas recepit, quàm ſociorum vitam cum hoſtibus pactus eſſet, nullam omnino vitæ, aut ſalutis ſuæ mentionem faciens, præclariſſimè ſecum agi exiſtimans, ſi ſua ipſius morte ſervarentur, vel à captivitate redimerentur.

Conſtanter & cũ decoro. 38 Captum vero Regem, dum ad Philippum perducerent adeò liberi autoritatem majeſtatemq; perpetuo ſervaſſe ajunt, ut interdum victoribus ipſis, non victus ſed victor potius appareret. Nautis enim, qui eum conducerent, ac navis præfecto, quæ ipſe cuperet, quotidie mandaſſe, mandata illos obſequenter ac reverenter executos eſſe, propterea haud quidem temere dixiſſe nonnullos, in omni fortuna Alphonſum & videri, & exiſtimari merito Regem.

Fortiter. 39 Cum Beneventanæ arcis præfectus de arcis deditione ſuſpenſus dubiuſque adhuc eſſet, Alphonſum re cognita ſtatim Beneventum adveniſſe accepimus,

---

guandi copia Lituanus, qui auxilio venerant primos oppoſuit, quorum ſtrage fatigata Prutenorum manus, & ipſa Polonis ſupervenientibus ſternitur cruentiſſimo prælio, & die confecto victoria Regis fuit, viri equeſtres ex ordinis religione quadringenti cum ipſo magno magiſtro periere, cæſa ex plebe multa millia, qui ſuperfuerunt capti. Pruſſia præter oppidum beatæ Mariæ, omnis ad Polonos defecit.

36 *Cum diceret Laurentius Palatinus Hungariæ imprudenter agere Sigiſmundum Imperatorem, qui victis hoſtibus non ſolum vitam & opes relinqueret, ſed etiam eos inter amicos reciperet, extolleretq;. Tibi inquit Sigiſmundus, videtur utile inimicum occidere, neq; enim mortuus bellum excitat. At ego inimicum occido dum parco, & amicum facio dum extollo.*

37 *In bello, quod contra Bohemos Albertus Auſtriæ dux prius quàm Romanis imperaret diutiſſimè geſſit, inquit, quum me ductorem exercitus petitis, fruſtra me Auſtriæ ducem appellatis.*

38 *Ludovicus Bajoariæ Dux apud Henricum ejuſdem familiæ principem in carcere cum obſervaretur, nunq; illi ad ſe venienti aſſurrexit, neq; capite annuit, neq; quod ab eo peteretur, ſuaderetur ve quicquam fecit. Eum vultum, eam ſeveritatem retinuit captus, quibus, cum liber eſſet, uſus eſt.*

39 *Conſpiraverant Hungari adverſus Sigiſmundum, armatiq; regiam intraverant, aut capturi Regem, aut, ſi id non ſuccederet, occiſuri, quas ut*

mus, atq; in arcem, ubi validum inerat præſidium, tranſmiſſo ponte introiſſe, obſtupefactum vero præfectum Regis audacia, & arcem, & ſe cum præſidio ultrò dediſſe.

40 Erat Beneventi Rex, cumq; accepiſſet ſuos milites ex caſtello Bova- *Fortiter.*
lengo, quo irruperant, expulſos eſſe, properè accurriſſe tradunt, ſcalaſq; ſuis *Piè.*
manibus apprehenſas in foſſam oppidi devoluiſſe, equitibus equo deſilire juſſis, & ſcalas aſcendere, quo facto receptum oppidum, & direptum eſſe.

41 In obſidione Neapolitana cum audiſſet Petrum fratrem, quem propter *Fortiter.*
ſingulares animi & corporis dotes ſupra fraternum affectum diligebat, ſaxo tormentario ictum occubuiſſe, ut viſeret maturavit, exanimem multis piiſq; cum lachrymis exoſculatus, mox in arcem quam Ovi vocant tantiſper efferendum curavit, donec juſto apparatu regio, quod poſtea fecit, perſolvere liceret. Dein ad exercitum reverſus, jam Petri interitu vehementiſſimè conſternatum forti admodum oratione erexit illum, ac confirmavit. Rurſum ad amicos & Petri ſocios abſentes conſolatorias epiſtolas ſcripſit, quas, qui legit, quem philoſophum non contemnat? uno itaq; & eodem tempore piiſſimi fratris, & fortiſſimi Imperatoris munus obiſſe ſatis conſtat.

42 Scimus Alphonſum hortatu ac precibus Eugenii Pontificis expeditio- *Religioſè.*
nem

---

ut ad ſe irrumpentes cognovit, accepto pugione in medium progreſſus, Ecquis, inquit, veſtrum manus in me injiciet, aut quid nam feci, quòd me Regem veſtrum occidere vultis, prodeat è vobis ſi quis audet, & eum me ſolo ſolus congrediatur. Ea voce & audacia obſtupuere conjurati, &, ſibi quiſq; timens, abiere.

40 *In eo bello, quod adverſus Nurembergenſes anno abhinc ſexto Albertus Marchio Brandemburgenſis eximie geſſit, Gravemburgum ab eo multa vi oppugnatum eſt. Id oppidum in valle jacet. xx. milibus paſſuum à Nuremberga muro ac foſſo munitum. In quo præter oppidanos quingenti milites præſidio inerant. Oppugnatio quatuor diverſis locis cæpta eſt. Albertus ſibi eam oppidi partem elegit, qua murus altior & foſſa profundior fuit. Inſultu facto ab ea parte, qua oppidum captum eſt, ſecundus ex omnibus ipſe murum aſcendit, in oppidum vero primus deſcendit. Circumventus ab oppidanis tamdiu pugnam ſuſtinuit, quamvis in ſe unum multi concurriſſent, donec alii pugnantes, decretis ſibi murorum partibus ſuperatis, ſuppetias tulerunt, oppidum captum direptumq; eſt, fœminis nulla vis illata. Nam id apud Teutones pro inexpiabili ſcelere habetur.*

41 *Jodocus Marchio Moraviæ eum patruum ſuum Vvenceslaum Bohemiæ Romanorumq; Regem viſitatum veniſſet, vocavit eum patruus in penitiorem ædium partem, atq; in hunc modum allocutus eſt. Etſi ſatis ſcio, non eſſe è dignitate mea, quòd electores Imperii me regno Romano abdicaverunt, ſolatio tamen eſt quòd familia noſtra hoc decus non excidit. Ego te libens volenſq; ſucceſſorem mihi datum accipio. Cumq; Jodocus his verbis territus ad Regis genua procubuiſſet, ac ſibi nihil imputandum diceret, qui earum rerum omnium ignarus eſſet. Pone metum, inquit, nepos. Nam neq; Imperium invitus depono, neq; ſi retinere illud cupiam, jura ſanguinis violare auſim. Bono itaq; animo eſto, Imperiumq; tibi demandatum ſuſcipe, mihi mea ſatis eſt Bohemia, viris, armis, opibus regni mei tanquam tuis ut libet utere, lætumq; & donatum nepotem à ſe dimiſit. At ille ſex tantum menſes ſupervixit, locumq; poſtea Ruperto Bajoario, qui imperaret, fecit.*

42 *Eccleſia catholica cum ſciſſa eſſet, Nam tres de Romano Pontificatu contendebant, Petrus de Luna, Baltaſſar Coſſa, & Angelus Carrarius, Concilium generale apud Conſtantiam Suevorum, ut nunc dicimus, ur-*

Digitized by Google

Fortiter. Liberaliter.

nem Piceni, qui à Franciſco Sfortia potentiſſimo ac præſtantiſſimo copiarum ductore teneretur, inſtituiſſe. Atq; inde tandem Dei optimi maximi benignitate Sfortiam ipſum expuliſſe, & Pontifici Eccleſiæque recuperatam provinciam reſtituiſſe. Cumq; & una & item altera urbs è receptis ob grati animi officium ultrò à Pontifice offerrentur Regi, illas ingenti animo repudiaſſe, non ſe quidem quæſtus, ſed Dei & eccleſiæ gratia, expeditionem illam ſuſcepiſſe.

Fortiter. Humaniter.

43 Stabat in ripa Vulturni fluminis Rex, quò trajicienti exercitui adjumento eſſet, cum equiti cuidam Butardo nomine ex acie Rudolphi Peruſini aquæ vi pertracto, ac propè abſorpto, uti opem ferrent, inclamavit. Cumq; vero neminem ſuppetias ferre intueretur, ipſemet concitato equo in rapidiſſimum flumen opis ferendæ gratia ſe conjecit, quem ſubſecutus cum eſſet Ennerus Gevaca ipſum Butardum ſemianimem retulere, repenſumque in pedes plurimam aquam evomere coëgere, quem igne refocillatum exterſumq; & inde Regis veſtibus amictum, vivificatum denique, ajunt, Aragoniam Aragoniam exclamaſſe.

Fortiter.

44 Captus Rex adductuſq; ad Ænariam inſulam, monitus juſſuſq; eſt per internuncium Genuenſium claſſis Præfecti, ut inſulam in poteſtatem populi Genuenſis dedi protinus curaret. Cui Rex per eundem internuncium reſpondit, fateri captum quidem, ſed ut aliàs, liberum, ſe nec mandaturum tale aliquid popularibus ſuis, nec ſi mandaret, illos captivi Regis mandato facturos. Suaderet ſibi è regnis ſuis ne ſaxum quidem obtineri poſſe. Admiratum Præfectum ajunt,

---

urbem Sigiſmundus Imperator agi curavit, ac magnis itineribus Italiam, Galliam, & Hiſpaniam petiit, ut nationes omnes ad unius Pontificis conſenſum redigeret, eoq; annitente pax Eccleſiæ reddita. Martinus Papa quintus electus providus pater, & amator pacis, è tribus competitoribus duos ſancta ſynodus tanquam ſchiſmaticos rejecit, tertius ſuopte ingenio pontificatui renunciavit.

43 *Unius militis ſaluti conſulturus Alphonſus in rapidum amnem ſeſe conjecit, ſuoq; cum periculo avertit alienum. Cur igitur Senenſis populi curam non ſuſcipiat, & amiciſſimæ civitatis libertatem, fortunaſque tueatur?*

44 *Captum ab Hungaris Sigiſmundum duo adoleſcentes cognomento Garii, quorum pater ab eo neci traditus fuiſſet, cuſtodiendum accepere, donec omni conſpiratorum judicio in eum animadverteretur, quos cum ille, ut ſe dimitterent, fruſtra pertentaſſet, vidua eorum matre ad ſe vocata. Scio, inquit, mulier viri tui mortem tibi acerbiſſimam fuiſſe, teq; mihi tanquam autori ejus infenſam. Virum ego per ſuperos juro, invitus tanti viri exitio aſſenſus ſum. Regina eum atq; alios accuſavit. Conſenſerant regni proceres, atq; in reos mortis ſententiam tulere. Ignarus ego factionum veſtrarum, novus ad regnum veneram, quod regulorum major pars decreviſſet, id mihi exequi neceſſarium erat. Eſto tamen virum tuum ſciens volenſq; neci dederim cruciandum. Time propterea natorum tuorum aut aliorum iracundiæ, me objices? Et quis obſecro vel te, vel illos fructus ſequetur? Non deſunt mihi fratres & amici, qui meum ſanguinem ulciſcantur, neq; Hungaria Rege diutius carebit. Exemplo Reges timeas, nemo apud eos acceptus eſt, qui manus ſuas regio ſanguine cruentaverit. Quòd ſi me miſſum feceris ex filiabus Hermanni comitis Ciliæ neceſſarii tui uxorem ducam, fratris ac ſoceri adjutos opibus, regiam demum poteſtatem vindicabo, filios tuos in primis charos habebo, efficiamque ut omnis poſteritas tua hoc factum ſibi fructuoſum ſentiat. Hoc ego cum liberis tuis egi, ſed non capit ætas, quantum neceſſe eſt. Te, quæ plus ſapis, & illis & tibi conſulere oportet. Perſuaſa mulier Regem dimiſit. Is Barbara Cilienſi in matrimonium ſuſcepta,*

ajunt, Regis animum atq; conſtantiam, ſeq; prolixioribus verbis purgaſſe apud Regem, culpa omnium in internuncium ipſum rejecta.

45 Jacobo Caudolæ ſumma ope & diligentia tranſmittere Vulturnum amnem annitenti & parte jam magna exercitus trajecta, Rex obviam fit, retrocedentemq; eum ſubegit haud parva ejus militum parte in fluvium præcipitata, magna etiam capta, reliqua in Moronem oppidum per fugam recepta. Quo peracto Regem eò loci, cum exercitu ſine tentoriis, ſine commeatu aliquo, ſiquidem ex inſperato advenerat, pernoctare oportuit. Ea nocte ſatis conſtat equis diem totam deſatigatis tantum ſilices pabulum fuiſſe, exercitum ſub dio jejunum permanſiſſe. Cumque & Joannes Eſernitanus Alphonſi ſtudioſus raphanum unum & item panem unum cum dimidio caſeoli Balearici Regi miſiſſet, recuſavit, non decere, inquiens, Imperatorem, jejuno exercitu, mandere. *Fortiter. Abſtinenter.*

46 Captus jam & aſſervatus Rex à Philippo illo Inclyto Mediolanenſium Duce, cum audiſſet, ſe ſtatim mittendum & liberandum eſſe, renunciavit Philippo, quas pro liberatione ſua leges dicturus eſſet, nullas omnino ferè recuſaturum eſſe, præterquàm ſi ab expeditione regni Neapolitani deſiſtere juberet *Conſtanter.*

---

pta, brevi pòſt tempore debellatis rebellibus victor regnum obtinuit, promiſſaque ſatisfaciens Garios juvenes ſuper regulos extulit. Ex his ortus eſt Lodislaus de Gara (quem Banum appellant) inter primores Hungariæ proceres, opibus & autoritate præpollens.

45 *Auſtria nobilis provincia, dives agro, viriſq;, ex duarum provinciarum detractione recepta eſt. Nam quicquid eſt à Leyte fluvio uſq; ad Anaſum amnem Pannonici juris fuit, ab Anaſo in Oenum Norici. Benus ingens flumen ex alpibus Italiæ profluens apud Patavium urbem Danubio miſcetur. Leyta parvus fluvius ex montibus Stiriæ dimiſſus inter Viennam & Poſonium civitates, in Danubium labitur. Huic provinciæ ad ſeptentrionem Moravi Bohemiq; adjacent, Ad meridiem Stiriæ montes, orientem ejus Hungari, occidentem Bajoarii tenent. Danubius, quàm longa eſt, mediam perlabitur. Hæc primo à Marchionibus, deinde à Ducibus regnata eſt. Stirps Ducum in fœmina defecit. At illam Ottacarus Bohemiæ Rex uxorem duxit, non tam ejus matrimonii, quàm regni cupidus. Quippe qui ea vivente, aliam ex Polonia conjugem ſuperduxit, Verum cum Rudolphus Romanorum Imperator Auſtriam deficientibus ex genere Ducum virilis ſexus hæredibus ad Imperium devolutam aſſereret, nec Bohemum alio pacto coërcere poſſet, qui conventa quæq; fregiſſet ad extremum ferro dirimere litem ſtatuit. Prælium trans Danubium commiſſum eſt, Ottacarum Bohemi, Miſnenſes, Poloni, Hungari adjuvabant: Rudolphus Suevis, Franconibus, Auſtralibus, & Stirienſibus ſocietate junctis rem geſſit, hoſtium copiæ numero longe antecedebant, Rudolphi miles virtute ſuperior fuit. In ea pugna ingens ſtrages commiſſa, Ottacarus occiſus, quem Rudolphus honorifice ſepeliri juſſit. Ac dein Auſtriæ Ducatum filio ſuo Alberto natu majori conceſſit, unde originem habens, qui Auſtriam hodie poſſident. Fridericus, Ladislaus, Albertus, Sigiſmundus. In hoc prælio cum ſiti laboraret exercitus, ferunt agreſti, qui meſſoribus potum ferret ablatam hydriam ſicera plenam, atq; Imperatori oblatam, quam cum ille vidiſſet, reddite, inquit, homini vaſculum ſuum, nam ego exercitui, non mihi ſitiebam.*

46 *Ludovicum ſeniorem Bajcariæ Ducem cum captivum haberet Albertus Marchia Brandemburgenſis, non pauca ab eo petiit, quæ cum ille negaſſet, tradere cum in manus duri, & inimiciſſimi ſibi Principis mi-*

betet. Malle ſe quidem in carcere vitam degere, quàm ab hujuſmodi incœpto dimoveri, tum vel maximè ne ſuarum partium regulos, qui ſecum captivi eſſent, deſeruiſſe argueretur.

Benignè. 47 Dimiſſus à Philippo Rex cum in portum Veneris ſe recepiſſet, accepit Genuam urbem à Philippo deſciviſſe, ibiq; plurimos Hiſpaniæ proceres detineri, in quibus & Joannem Navarræ Regem captum carcere aſſervari, quod cum accidiſſet, nonnulli Genuenſes viri patricii, qui in portu Veneris agebant, Regi ſeſe concredidere, & ſe viciſſim capi & aſſervari debere in Regiorum commutationem. Cæterum Alphonſo mos fuit, ut qui apud ſe diverſarentur, quamvis inimici, & adverſarii, hi tamen tuti ſemper & incolumes eſſent. Hos igitur omnes ad unum miſſos fecit.

Fortiter. 48 Poſteaquàm à Philippo Genuanſes deſciverunt, in Alphonſum qui in portu Veneris adhuc eſſet, nullo præſidio niſi admodum paucis regiis equitibus munitum, quiq; & annonæ inopia tentaretur, expeditionem eos deſtinaſſe, ajunt. Quod cum Rex accepiſſet, ex arce in oppidum confeſtim deſcendiſſe, paratum unà cum paucis ſuis ſociis à Genuenſium conatu, urbem obſtinatiſſimè defendere, appulſa interim oneraria Regis navi cum commeatu, Genuenſes à propoſito deſtitiſſe.

Patienter. 49 Duxerat Rex præcedens exercitum ad Furças pelignas, ubi paucæ admodum caſæ erant, atq; eæ quidem præoccupatæ, equoq; deſcendens in propiorem manſionem ingreſſus eſt unà cum Podio, atq; ibi offenderunt propè ignem milites gregarios duos ex Caroli Campobaſſi ſociis, qui Regem eum eſſe ignorarent. Ideoq; conviciis, compellarionibus probroſis jactare eum cœpiſſe, quòd in alienam domum ingredi auſus eſſet, ne ſe inde proriperet, titiones illos in eum contorturos minitantes. Rex riſu propè dirumpi, Podius ſtomachari, qui niſi Rex prohibuiſſet cum illis haud dubie manus contuliſſet. Cognito tandem Regis Alphonſi adventu, gregarii pavefacti facile ab humaniſſimo Rege non ſolum veniam injuriarum exoravere, ſed Regii prandiculi haud expertes abiere. Et ſanè nemo unquam fuit, cui aut celerius injuriæ excidetent, aut firmius beneficia hærerent.

Fortiter. Religiosè. 50 Alphonſus Rex cum accepiſſet Joannem Patriacham illum omnium bipedum nequiſſimum, ingenti cum exercitu Falerni eſſe, contra eum iter tetendit, atq; in itinere per difficiles, ac confragoſos tractus Sanſeverinos, cum Paulum Teutonicum obviam habuiſſet, unum ex Ducibus patriarchæ, illum cum exercitu fudit, cepitq; ; qua clade perculſus Patriarcha à Rege inducias belli

---

minobatur: Tum Ludovicus, quæ poteris ex me libero impetrare, eadem modo ex captiva petito. Si quid amplius voles, corpus meum in tua poteſtate, animum mihi tibi obnoxium invenies.

47 *In Caleſia cum eſſem Angliam petiturus, Id oppidum in Morinis, ex quo breviſſimum dicunt in Inſulam tranſitum, nunciatum eſt autore Nicolao Cardinale Sanctæ Crucis viro ſanctiſſimo Philippum Burgundiæ Ducem, qui partium Anglicanarum antea fuiſſet, ad Regem Franciæ defeciſſe. Quod cum præfectus loci accepiſſet, mox me, qui Cardinalis eſſem ſecretarius, aſſervari juſſit, quæ res magna me damno affeciſſet, niſi Cardinalis Vintonienſis, cui notus eſſem, illico me dimitti juſſiſſet.*

48 *Fridericus ſenior Dux Auſtriæ Imperatoris Friderici patruus ſæpe mutato veſte ſolus inter agreſtes converſatus eſt. Cum quibus accepta pecunia, & arans, & alia quævis munia faciens curit, & de ſeipſo & de purpuratis fuit confabulari conſuevit. Interrogatus cur id ageret. Neq; enim de me, inquit, alio modo verum audire poſſum.*

50 *Hoc unum eſt inter egregia Regis facinora maximum & præclariſſimum. Sed neminem deſerit Deus in*

Digitized by Google

belli ſupplex petiit, & impetravit. Poſt hæc cum Jacobo Caudole reconciliata amicitia conjunxit exercitum, atq; immemor fœderis & jurisjurandi adverſus Regem nihil ſele ſuſpicantem, duplicato exercitu magnis continuiſq; itineribus contendit. Erat Rex in vico Juliano, rem divinam ſolenniter ac devotiſſimè de ſuo more rituq; faciens. Siquidem Natalis Domini dies celebrabatur, cum ambos Duces, ambos exercitus, haud procul abeſſe nunciatur Regi. Ille vero rei divinæ cultum gloriæ ac vitæ præponens, non prius quàm peractis ſacrificiis capere arma militem jubet, & jam prælium utrinq; initum erat. Certebant illi numero longè ſuperiores, regii vero virtute præſtantiores. Sed Dei Optimi atq; Juſtiſſimi auxilio regii ipſi adjuti plures ex hoſtibus equos militeſq; cepiſſe, quàm ſarcinas amiſiſſe memorantur. Rex Capuam ſe recepit. Patriarcha in Apulos receſſit, ubi relicto proditoq; à ſe Duce, atque exercitu, per mare Adriaticum navicula trepidus effugit.

51 Ferdinandum filium in expeditionem Florentinam accinctum in hunc penè modum Rex allocutus fertur. Ego Ferdinande fili, cum Florentinorum injurias ferre ulterius nequeam, ſtatui te, quem vita chariorem habeo, contra eos cum Imperio, atq; exercitu mittere, ut Deo bene juvante, & tua & tuorum militum virtute, injuriam omnem propulſemus, palamque faciamus, tandem illos cum hoſtibus noſtris perperam, & iniquè fœdus feciſſe, neq; ob hoc tamen ſuæ reipublicæ utiliter & honeſtè ſatis conſuluiſſe. Igitur abeunti tibi rem, quam velut pretioſiſſimam mihi ſepoſuerem, & tibi glorioſiſſimam futuram, ſi ea uti ſciveris, trado commilitones meos veteranos fermè omnes, multis maximiſq; experimentis perſpectos, quorum opera & virtute victorias omnes & triumphos ad tempus effecutus ſum, quibus tandem ſociis & adjutoribus expeditionem Neapolitanam confecimus, atq; adeò magnam Italiæ partem ditioni noſtræ, ut vides, adjecimus. Hos igitur in primis ita commiſſos facio, ut ne magis quicquam poſſim ex animo tibi committere, non vitam quidem ipſam: quos cum intellexero a te diligi & obſervari, nihil ambigam, & tibi quoq; gloriam meam cordi eſſe. Sed cave ne eos temere periculis objicias, non ſunt ii quorum opera, aut animus tibi in re gerenda requirendus ſit, repellendi tibi potius, quam impellendi. Idcirco ad eos caſus tales tibi viros conſerva, ſi quando dignitatem & nomen tuum in diſcrimen neceſſitas vocabit. Et jam ſpero fore ut ipſorum meritis, & hortatu meo chariſſimos habeas, atq; ita tractes, ut non Imperatorem, ſed perſonam ſibi mutaſſe videantur. Nunc quod maximè te moneo fili chariſſime, illud eſt, Ne tantum aut tuæ aut commilitonum audaciæ tribuas, ut putes ſine Numinis auxi-

in ſe ſperantem. Henricus Rex Angliæ Regis hujus, qui nunc regnat, pater, circumventus ab exercitu Gallorum Regis quæcunq; obtinuiſſet in Gallia dimiſſurum voluit, ſi cum ſuis incolumis abire permitteretur. Negantibus Gallis nocte ſubſecuta vocatis centurionibus & decanis militum, neq; fugere, inquit, commilitones, neq; ex hoſtibus incolumitatem conſequi poſſumus, quamvis cedere regno Galliæ voluerimus; ſola nos arma tueri poſſunt. Non eſt cur numeroſum exercitum formidetis. Juſtam cauſam juſtus Deus adjuvabit. Ite & alterum alteri peccata veſtra confitemini, pauxillumq; terræ ob memoriam ſacramenti Euchariſtiæ ſalutaris, alter alteri porrigite. Craſtina die liberabit nos Dominus in manibus hoſtium. Sic dimiſſa concione, peractis, quæ juſſerat, curare milites corpora præcipit. Sequenti die ut primum lux orta eſt, commiſſa prælia, incredibile dictu, octo milia ſuorum, ſexaginta millia hoſtium fudere, cæſa ingens turba, nobilitas Galliæ propè omnis capta, paucos fuga ſervavit. Eaq; potiſſimum dies Gallorum opes fregit.

51 Ferdinandus cum eſſet in Hetruria,

Alphonſus Rex ad filium.

auxilio victoriam ullam haberi poſſe: victoria, mihi crede, non hominum diſciplina aut induſtria comparatur, ſed Dei optimi maximi benignitate & arbitrio. Scientia itaque rei militaris ita demum profutura eſt, ſi Deum nobis pietate, atq; innocentia pacatum, propitiumq; habuerimus. Deum igitur in primis cole, in eum confide, a quo tum victorias omnes, tum optima quæq; provenire dubio procul eſt, quem ſi quando tibi iratum ſuſpicaberis, cave contendas, imò quicquid ab eo tibi accidiſſe videatur, boni conſule & patientia, ac pœnitentia eum placa, & tibi benevolum redde. Etenim quos Deus amat, corripit & affligit. Sed ſi afflictos interim dolentes, ac ſe metuentes videt, eos poſtea recreat, reficit, conſolatur, præterea decus & exiſtimationem tui tibi plurimum commendatam optarim, ut qua nihil in hac vita tibi charius, aut præclarius eſſe aut videri debeat: pluris enim dignitas & ſama, quàm victoria exiſtimanda eſt. Victoria enim nonnunquam fama magis, quàm viribus acquiritur. Rurſus victoria alterna res eſt. At ſama quæ ex virtute ac probitate proficiſcitur, ſicuti ipſa virtus conſtans atq; perpetua eſt, quæq; gloriam nobis veram, ac ſolidam accommodare ſoleat. Honeſtatem itaq; amplectere, ſine qua neq; ſummo illi victoriarum datori grati eſſe poſſumus, neq; inter homines vivi autoritatem, neq; mortui nomen diuturnum adipiſci. Dein te fili etiam atq; etiam hortor ac moneo ut Venetorum rempublicam haud ſecus quàm meum Regnum, percharam habeas. Pro eaq; & ſervanda & agenda neq; tibi ipſi, neq; fortunis meis, neq; exercitui parcas velim. Eo quidem animo cum his ſocietatem & fœdus ſemel inii, ut quoad vivam eos ne momento quidem deſtituam, quippe quos inter amicos charos, chariſſimos, atq; amantiſſimos habeam. Ad hæc te peragenda ne te commoveat hortor, aut pecuniarum aut alterius cujuſvis rei indigentia. Nam tibi non pecunia modo, ſed milites, equi, arma, tormenta, affatim ſubminiſtrabuntur, quin vel unum aſſem tecum dimidium ſemper habiturus ſum, & generatim, tunc tibi, cum mihi ipſe defuturus ſum, ut intelligas nihil tibi ad hanc expeditionem, ſi modo tibi ipſo non defueris, per alios defuiſſe. Poſtremò te monitum volo. Si qui ex hoſtibus tuæ fidei ſe permiſerint, ut illos benignè ſuſcipias. Si qui etiam obſtinatis animis uſq; ad extremam expugnationem perſtiterint, eos cum ceperis, tuæ potius manſuetudinis, quàm illorum pertinaciæ memineris: Nec minus progeniem noſtram quam nos ab omni crudelitate, & ſævitia longe ſemper alienam extitiſſe. Vale.

Paternus affectus.

Piè. Humaniter. Fortiter. Infirmatis.

52 Alphonſo Regi mos fuit familiares, quos ipſe alumnos ſuos appellabat, viſitare ægrotantes, atq; illos tum ad corporis valetudinem, tum multo magis ad animæ ſalutem exhortari. Quod cum ſæpe alias, tum nuper accidit in adverſa valetudine Gabrielis Surrentini ſuaviſſimi, ac ſplendidiſſimi adoleſcentis. Nam cum graviter jaceret, Rex pro ſua conſuetudine illum adiens hujuſcemodi ferè ſermonem eſt orſus: Ut valeas mi Gabriel; medici quidem te extra mortis periculum eſſe affirmant, ſi modo illos obedienter audias, quod ut facias te hortor, atq; etiam rogo, ne ſecus faciendo tuæ mortis cauſſa infame-

---

ria, ferunt diligenter abſervaſſe patris mandata, quem ſocii miro modo coluerunt. Hoſtes quoque cum timerent, non potuerunt non amare. Sed quæ mutatio dexteræ? Senenſes, Veneti, quos ſibi amiciſſimos chariſſimoſq; Rex dixit, ex benevolentia excidere. Florentini contra quos miſſus eſt exercitus, in amicitiam recepti. Memini hoc loco eorum verborum, quæ ſcribit ad Ruffinum Hieronymus. Amicitia, inquit ille, quæ deſinere poteſt, vera nunquam fuit. Deceptus Hieronymus eſt, qui Ruffinum erga ſe ſemper eundem putavit fore, non mirum ſi Alphonſi quoq; opinio falſa fuit.

52 *Tota philoſophia, inquit Plato, nihil eſt aliud, quàm quædam commen-*

Digitized by Google

meris. Et in medicis quidem haud parvum præſidium vitæ eſt, verum in Deo multo majus ac certius. Is enim non vitæ modo, ſed mortis etiam ſanitas, & ſalus eſt. Illum ergo inprimis ante oculos habeas, illi tuta cogitatione adhæreas, qui te fecit, qui te à morte moriens redemit, qui te judicaturus eſt. Illum ſi quando offendiſti, nunc contritione, oratione, confeſſione, & ſacris miſteriis tibi places, ac propitium reddas, hæc feceris, & facies ſcio equidem devotiſſimè, ſi bene pietatem ac conſtantiam tuam novi: hæc, inquam, cum feceris illius te poſtea voluntati ac miſericordiæ læto ac forti animo permittas. Solus enim quid nobis profuturum, contra quid nociturum ſit, novit. Nec ſulus te timor, aut potius opinio mortis offendat. Mòrs quidem bene pureq; morientibus vita eſt. Hinc & diſſolvi cupiunt, qui bene vixerunt & eſſe cum Chriſtu, ut bene actæ vitæ præmium conſequantur, lumen æternum. Et profecto mors vitæ principium eſt atq; ejuſmodi vitæ, quæ neq; doloribus, neq; metui, neq; invidiæ, neq; erumnis ullis ſubjecta eſt, neq; ipſi quoque morti quicquam obnoxia. Et ſi altius aliquanto repetamus, inveniemus mortem nihil aliud eſſe quàm peccandi finem. Nam cum Adam contra mandatum Dei in flagitium lapſus eſſet, ne vivendo culpa reviviſceret, & in peccatis perſiſteret, ejus corpus è terra factum, terræ Deus reddidit, non ut creaturæ, quam fecerat, finem imponeret Deus. Igitur & principium & finis, omnis vult, naſcimur, cum vult; etiam morimur. Et ſunt hæc quidem prorſus divinitatis ejus, nihil ad nos pertinentia. Illud vero tantummudo noſtro reliquit arbitrio, ut bene recteq; vivendo, bonum nanciſceremur finem. Hoc itaq; quod unum noſtrum eſt, id eſt, ut in Chriſtu domino muriamur, ſumma ope adnitamur, quod qui faciunt non planè moriuntur, ſed tranſeunt à corruptione ad incorruptionem, à mortalitate ad immortalitatem, à turbationibus ad tranquillitatem. Non abſurde fortaſſis exiſtimaverunt quidam mortem non modo malum non eſſe, ſed bonorum omnium maximum: verum enimvero, quoniam neq; evocationis diem, neque horam nobis ſcire datum eſt, per quam ſalutare fuit nos præparatos eſſe, cum Deo ſentientes, & mandatis ejus obſequentes, nec diem differre tutum eſt, ſed inſipienter factum potius exiſtimare. Plerosq; vidimus cum corporis incolumitate viribus integris nihil tale metuentes morte repente interceptos, Contrà nonnullos uſq; ad medicorum deſperationem redactos convaluiſſe. Ego quidem in præſentia, ut vides, ſanus, integer, & validus ſum, adde & tot tantorumq; Rex regnorum opibus, potentia, exiſtimatione fortaſſis non inter poſtremos, ſed nunquid hæc profutura quicquam intelligam ad horam mortis dignoſcendam? aut ſi intelligam, putem me vel temporis momento illi reſiſtere, aut repugnare poſſe? minime. Cum hæc igitur omnia in Dei poteſtate tantum ſunt, nihil nobis reliquum videtur, niſi ut cum Deo bene ſentientes, ejus mandatis, ut diximus, tum in omni vita, tum vitæ tempore maximè obediamus. Sed quoniam te verbis meis alacriorem aliquanto factum intueor, Pergam te monere iis quidem monitis quibus hæc brevis hora non modo ſine metu, ſed cum gaudio quoque tranſigenda videatur. Ut quidem credimus omnes, Deus homi-

mentatio mortis, neq; aberat mea quidem ſententia. Cur enim præcepta bene vivendi diſcimus, niſi ut bene mori ſciamus. Comœdia quidem eſt noſtra vita, cujus ultimus actus de morte agitur. Bonus poeta nemo habetur, niſi ad finem uſq; actus omnes prudenter explicet. Nobiſcum melius Deus egit. Namq; licet omnis vita ſuperior turpis extiterit, ſatis tamen fuerit ad emerendum cœlum, beatamq; vitam conſequendam, ſi læto ac forti animo mortem obeamus, & ultimum ſpiritum Deo reconciliemus. Neq; contra nos eſt divus Auguſtinus, dum ait, impoſſibile eſt quenquam male vivere, & bene mori. At rurſus bene viventis,

minem fecerit ad imaginem & ſimilitudinem ſui. Nec cum fecerit credimus corpus feciſſe ſui ſimile, ſed inflaſſe illi ſpiritum & animam ad ſimilitudinem ſui. Id cum ita ſit, quid nobis poteſt felicius accidere, quàm dimittere luteum corpus, vitiorum ſarcinam, & ad eum evolare & redire, qui nos ideo dignatus eſt ad ſimilitudinem ſui facere, quo ſpiritus noſter, divino ipſius ſpiritu repletus, divinitatis particeps, & felicitatis ejus, agat ævum perpetuo inter Angelos & Sanctorum choros? & quoniam nos ſimiles ſui fecit, ſimile appetat ſui ſimile, oportebit lege naturæ. Natura ergo rapimur ad fruitionem Dei, ad quam tamen, ne id refugias, niſi morte migrandum eſt nemini, atq; ineffabilem Dei benignitatem dediſſe tantum iis, qui credunt in nomine ejus, ac Dei filios fieri poſſe ſe. Et adhuc veremur mori, atq; id ſtatim facere, quod, velimus nolimus, quandoq; facturi ſumus? Sanè niſi Deus id expreſſe vetuiſſet non expectanda, ſed conciſcenda nobis mors eſſet, quo citius anima noſtra perveniret, ad Patrem rerum omnium & Factorem & Dominum, quò ſimplicitatem, puritatem, æternitatem, atq;, ut ita dixerim, Deitatem recognoſceret, & recuperaret ſuam, in contemplatione rerum cœleſtium, & conſortio Sanctorum. Quid nos itaq;, non dicam amplius mors, ſed cogitatio mortis deterreat, a qua momento temporis abſolvimur, & in qua, aut nullus eſt ſenſus, aut certe brevis quidam afflatus, & is quidem æquanimiter levior atq; facilior: adeo ne molles aut inſolentes erimus, ut quod omnibus prorſus ineundum eſt iter, nobis unis haud eſſe ineundum arbitremur? Adeo ne ſtulti atq; dementes ut nobis naturam, non naturæ nos parere debere cogitemus? At ego viridiore vita exeo in flore ætatis. Quid refert, obſecro, quam citò quis exeat, ſi ſemel exeundum eſt? Numquid ne animadvertiti, quo magis creſcimus, eo magis decreſcere vitam? Quanquam, per immortalem Deum, quid in hac vita poteſt eſſe diu, cum ipſa hominum etiam longiſſima vita perbrevis ſit, & puncti inſtar judicanda: ſi cum æternitate eam conferas? ut non temere forraſſis credendum videatur, non ex intervallo aliquo ſed una eademq; hora homines naſci & mori omnes. Cæterum mihi is demum diu vivere videtur, & in ætate haud perfecta, vitam perfectam ducere, qui uſq; ad ſapientiam, id eſt uſq; ad cognitionem Dei vixit, qui conſcientia ſua fretus, mortis fiduciam præſeferens læto atq; hilari animo obeat, aut abeat potius. Etſi vis, etiam dinumerentur anni, & ſervetur ordo, ut libet, quid tibi paucorum annorum acceſſio boni potuiſſet afferre? At quid non mali potius tibi ſumma nunc tui Principis gratia, tibi fratres & parentes incolumes, tibi patriæ ipſius tuæ & haud parvus præterea dominatus, tibi facultates & copiæ non mediocres? Sed horum pleraq; fortunæ temeritate reguntur. Certe quæ nobis pro graria invidiam & malevolentiam ſubjecerit, pro ſanitate morbos & ægritudines, pro dominatu ſervitutem & exilium, pro affluentia & divitiis paupertatem & inopiam, pro bona ætate tædium atq; odium, hi nimirum, hi fructus ſunt, quos præſens vita acerbiſſimos exarare conſuevit, quos evitare & morte præcidere ſapiens vir, ſi liceat, debet, & tunc bene ſecum feliciterq; actum eſſe exiſtimare, ſi cum hæc fucata & fallacia bona ſibi arriſerint, ea deſerat. Nec vero te ulla de parentibus aut fratribus, quos relicturus fortaſſis es, ſubeat ſollicitudo, Eos quidem mihi jam jamque eſſe,

---

tis, malam mortem eſſe. Sejungit enim ille vitam & mortem. Et verum eſt, quia mortui nihil mereri poſſumus. Nos vero eum bene mori dicimus, qui in ipſo vitæ exitu veram peccatorum dolentiam contritionemq; ſuſcipit, quod quàm ſit fallax non me latet. Conſtat tamen & viros, qui diu ſanctiſſime vixerint male abiiſſe, in fine ipſa de Dei bonitate deſperantes, & qui ſceleratiſſimi fuerint bene laudateq; mortuos, ac Dei optimi maximi in ſupremo anhelitu miſericordiam impetraſſe. Sed quæ

Digitized by Google

eſſe, & fure ſaias non minus amicos (ne quid ardentius dicam) quàm teipſum, in cujus recordationem Marinum fratrem & ipſum præclaræ ſpei adoleſcentulum in tuos honores, in tuas fortunas, & fortunarum ſpem protinus aſſumo. Tu vale æternum, & ſi mandatis meis impigrè ſemper obtemperaſti, nunc ſi à Deo optimo maximo ac Regum Rege tibi vitæ exitus denunciari videatur, lætus agenſq; gratias, pare & obtempera. Hac oratione confirmatus & erectus adoleſcens paullo pòſt hilariter & cum Dei mira cognitione migravit. Rex illi inferias magnificè perſolvit, & ſepulchro hujuſmodi diſthicon inſcribi mandavit.

Qui fuit Alphonſi quondam pars maxima Regis,
Gabriel, hac modica nunc tumulatur humo.

---

quæ obſecro commentatia mortis adeò verax, adeò efficax apud philaſophos reperitur, quæ conſulationi illi æquare poſſit, quam refers Alphonſum tuum, ad Gabrielem Surrentinum habuiſſe? Legimus, quæ venenum bibiturus apud Plutarchum de bona mortis Socrates philaſophatur, ſed nihil ad Alphonſum; Philoſophum quamvis Eſeruitaum eſſe inficietur Alphonſum.

Libri Tertii Finis.

JA-

JACOBI SPIEGELII
SELESTADIENSIS
SCHOLIOLA
LIB. III.
IN PROEMIUM.

INſaritanum) Legendum, ni fallor, Eſernitanum.

Neq; enim inter ardua) Hoc ipſum ſcribunt de eo Silvius cap. ultimo Europæ, & Pontanus in Lib. de Principe, quem librum Alphonſo nepoti dicavit. Avus tuus, inquit, Alphonſus, (ne à domeſticis recedam exemplis) Antonio poëtæ incredibili quadam voluptate operam dabat, aliquid ex priſcorum annalibus referenti, quinetiam veterum ab eo ſcriptorum lectiones ſingulis diebus audiebat, ac licet multis magniſq; interim gravaretur curis, nunquam tamen paſſus eſt horam libro dictam, à negotiis auferri. Pontanus autem Antonium poëtam noſtrum Panormitam audiit, cujus poëmata caſta, pectuſq; Chriſtianum undecumque ſpirantia, aliquot ego juvenis Tergeſti agens apud clariſſimum Antiſtitem Petrum Bononum legi, quo tunc utebatur Cæſ. Maximil. epiſtolarum magiſtro, adeò terſa puraque, ut mirari poſſis eundem hujus operis fuiſſe ſcriptorem, ſed memineris perq; paucis, vel potius nec dum, niſi fallor, ſecundo, Pontanicam etiam apud Italos contigiſſe felicitatem. Sed malim ipſi Pontano credas, qui de Panormita, de mundi creatione ad illum ipſum ſcribens ſic cecinit.

Antonius Panormita poëta, & Theologus.

Quo magis admiranda Dei clementia ſumma eſt,
Cui fumet quidquid terra Sabæa ferat,
Quicquid Arabs, date thura focis, coſtumq; cremate
Et date cum multa thurea dona prece,
Pierioſq; adhibere modos, & carmine dignum eſt,
Antoni quæ te gloria prima manet.
Hyblæo cui rore madent & labra, cui omnis
Caſtalius pleno gurgite fundit aquas.
Niſæiq; hærent inſigni fronte corymbi
Et coma Pieria fronde revincta viret
Felicemq; animum paſcis pietate, fideq;
Nilq; tibi vera eſt religione prius.
Quodq; decet, bona cuncta Deo juſtumq; piumq;
Aſcribis, noſtræ ſed mala nequitiæ.

Haud inſcii) Obſervanda pœna à veteribus in ingratos ſancita.

1 Libri optimi principum conſiliarii.

2 Et hoc inter excerpta per Roterodamum legis num. 5. Alluſit autem ad priſcorum morem, qui Jovem multis cognominibus inſigniebant.

3 Similiter reſpondit olim improbè poſtulatori Ageſilaus Lacedæmoniorum Rex, autor. Plutarch. in Laconic. apoph. Itaq; quæ juſta ſunt, à principibus petenda.

4 Aureum vellus) Sic C. Cæſar, qui ante Neronem rerum potitus eſt, Junium Sillanum pro nepotem Auguſti, quia ſegnis ingenioque minime vivido eſſet, pecudem auream appellavit, autor Cor. Tacitus lib. 13. Socrates vero prædivitem ſed indoctum conſpiciens. Ecce, inquit, aureum mancipium.

Vetus

5 Vetus quæſtio verſataque diu fuit. Sit ne rationis aliqua vis in beſtiis: tum utra animantium plus hujus habeant, terreſtria ne, an aquatica. Sed à nemine hactenus tam digne atq; à Plutarcho tractata eſt ſingulari libello, quem nuper Grynæus vir ad miraculum doctus donavit latinitate.

A rationis expertibus ſuperari) Sic arcanæ literæ non ſemel ignaviæ humanæ objecere animalium promtitudinem & ſedulitatem.

6 Cognata) uxor fratris.

Mors quædam) Cap. 7. Eccleſiaſtes luſtratis omnibus quæ ſub cœlo ſunt, comperit amariorem morte mulierem, nimirum imperioſam & malam. Contrà namq; prædicta Eccleſiaſticus cap. 26. Cui contigit uxor bona, partem bonam ſortitus eſt.

7 Innuens, opinor, fœmineum genus obnoxium eſſe zelotypiæ, atq; hinc oriri rixas & querimonias, rurſum maritis permoleſtam eſſe uxorum garrulitatem, qua moleſtia cariturus ſit, ſi fiat ſurdus, nec vexabitur adulterii ſuſpicione, ſi careat oculis. Sic interpretatur magnus noſter Eraſmus. Quanquam id dicti Pontanus ille quoq; magnus vir tribuit ipſi Antonio Panormitæ lib. 3. de Obedientia, & de Serm tertio, Sic enim ait Antonium Panormitam, cum ab eo quæreretur, quibus maximè opus eſſe judicaret ad connubii tranquillitatem, reſpondentem audivi, nullas nec quietas, nec felices ſatis nuptias eſſe poſſe, præterquam ſi vir ſurdus eſſet, uxor vero cæca, ne altera videlicet inſpiceret, quæ à marito intemperanter fierent plurima, neve alter audiret obgannientem aſſiduo domi uxorem.

8 Magiſtratu homines cognoſci) Non eſt ſententia ſed proverbium, quod quidam Pittaco Mitylenæo, Soloni alii tribuerunt. Quanquam Ariſtoteles quinto moralium libro Biantis nomine citavit. Senſus autem eſt, vix ſatis perſpici poſſe mores & ingenium in vita privata hominis. Verum ſi committas imperium, ut quod libeat, idem liceat, tum demum apparere, quo ſit animo. Sic interpretatur magnus noſter Eraſ. in operoſiſſimo nunquam ſatis laudando Chiliadum ſuarum opere.

Eſt & apud Eraſmum) numero 16.

10 Philelphum) Honos eruditioni habitus. Fuit Phileiph. ætatis ſuæ vir doctus & fortunatus, inter ſui ævi poetas famam carmine primum auſpicatus eſt, à principibuſq; qui eo tempore floruerunt, magnis honoribus auctus, & honeſtatus fuit. Cujus vitia ineuntis ætatis, poſtquam deferbuere cupiditates, cum jam ætate matura ſeneſceret magnis poſtea virtutibus emendavit, Autor Alexander ab Alexandro cap. 23. lib. Genialium dierum primo.

12 Navali prælio) Geſto haud procul à Pontia inſula. Vid. Bracellum lib. 3. ibi jam inclinata victoria.

Dedidit) Ad procerum ſuorum genibus ejus affuſorum inſtantiam, inculcantiumq; cedendum fortunæ jam, tum ſatis multa eum & fortitudinis & invicti animi dediſſe, nihil item accidiſſe quod non maximus ac ſapientiſſimus Rex in melius brevi commutaret, his tandem monitis ceſſit Alphonſus, qui non multo pòſt verſa fortuna jure dicere potuit. Nunc bene navigavi, quum naufragium feci.

Alexandri exemplo) Arrianus eſt autor. Cum Alexander devicto Dario ejus tentoria cum ſolo Epheſtione viſeret, ubi regiæ mulieres fuerant, uxorq; Darii obviam procedens Epheſtionem pro Alexandro adoraviſſet, quod forma majore & auguſtiore viſus eſſet, cumq; ille repuliſſet, atq; Regem oſtendiſſet, Alexander ait eam non erraſſe, ſed & illum Alexandrum eſſe: cui etiam quæ mortuò benevolentiæ ſigna oſtendit, Plutarchus refert in ejus vita.

14 Exemplum fidei in clientem & beneficiarium.

15 Vir primarius) Quippe ſub ea regnum ipſum adminiſtravit, & in ejus moderatione res omnes conquieſcebant. Is ejus prudentiæ fuit, ut, licet à Regina Capuæ principatu donatus eſſet, amiciq; & cognati cohortarentur ad inſi-

gnia, ut moris eſſet, principatus publicè accipienda, deteſtaretur illorum omnium cohortationes atq; conſilia, dictitans principatum eum à Regum filiis ſolitum adminiſtrari, titulumq; principatus ejus eſſe illius ſolum, qui in Regno eſſet poſt Regis obitum ſtatim ſucceſſurus, ſeſe igitur minime eſſe Reginæ domum per ſummam impudentiam, perq; maximè inconſideratam ambitionem fœdaturum, quin potius ſervaturum titulum ipſum illi ipſi, qui futurus eſſet Rex; interimque Principatum, reſq; ejus probè, temperanterque moderaturum, ut cum Rex ipſe quicunq; futurus eſſet, declararetur, Principatu illi liberaliter tradito, tituloque adeò inſigni in illum liberòlve ejus reſervato hac apud illum ratione, & ſibi & ſuis, & amicorum atq; cognatorum rebus æque conſuleret. Pontanus eſt autor lib. quinto de Prudentia.

Ut veram) Nota Rex princepſve ſolidam tibi gloriam ex honeſte factis petendam.

16 Litigii æriſq; alieni comes egeſtas. Regibus pro reditu ſumptus metiendi.

Supplicibuſq;) id eſt ſupplicationibus, ut apud Tacitum Annal. lib. 3.

17 Ad perniciem Principum) Unde ejus dictum elegans Diogenis memori mente tenendum. Satius eſſe ad corvos devenire, quàm ad adulatores, quod hi & vivos & bonos etiam devorarent.

18 Arceſſito dolore ſomnum excutit Rex.

20 Carolus Ludovici frater) Vide Volaterranum in rebus Mantuanorum ad finem, nec te pœnitebit operæ quiſquis amantior es hiſtoriæ, cujus lectio prudentiam gignit, in primis neceſſariam qui populis regundis ſunt præpoſiti.

Cui Rex) Regium eſt ſatius fidem ſervare, quàm compendium pecuniæ facere.

21 A ſuperioribus Regibus) Lege Sabellicum, Fregoſium & Ritium.

22 Attendendum ſeveritate Rege digna repreſſos qui offerebant parricidium ſe facturos in hoſtes ejus.

Simile & iis reſpondit) Regnum cenſet recte incomparabilis Rex virtute quærendum.

23 Cæcus Dux Venationis.

Agrigenti oppidum eſt Siciliæ vicinum fluvio ejuſdem nominis.

Cum vero paucis) Mira cæci induſtria. Obſervandum autem cæcum oculato melius vidiſſe.

24 Inſignis Neſtoris Faventini perfidia.

25 Pacem dandam, non vendendam eſſe.

Perpetuo ferè oratore) id eſt legato. Sub Cæſ. Maximiliano nomen perpetui Oratoris tulit illuſtris Andreas à Burgo Comes Caſtri Leonis appellatus, vir prudens perpetuoque conſtans in fide opt. Principis ſui Imp. Maximiliani quam majeſtati ſuæ Carpenſis Albertus, ut erat inſtabili ingenio, iterum prodiderat etiam condonata Felonia beneficiarius. Andreas grandævus pridem deceſſit, nulli non noſtra ætate Regum notiſſimus ob adamantinos labores in legationibus ſuperatos, tum ſincera fide erga Principes Carolum Aug. & Cæſ. Ferdinan.

26 Mirus olim in hoſtem affectus.

Patrem appellare conſueſſet) Ob perpetuo memorabilem illam clementiam Philippi in ſe ſuoſq; regiæ ſtirpis viros captos exhibitam, ſcriptorumq; præconio celebratam.

Et hæc quidem) Lege Sabell. 5. Enn. 10. Biondus hæc tempora non attigit. Meminit Platina in Nicolao Quinto.

Hærede inſtituto) Alphonſus à Philippo Mediolani Duce ductus hæres bonorum, forte relictorum. At ſtatus ſcribi hæres minime potuit, is enim in Imperatoris ditionem revertebatur, decedente ſine legitimis hæredibus Philippo, quem Franciſcus Sfortia ejus ob Notham filiam ductam uxorem armis ſibi uſurpavit, nunquam tamen is, neq; ejus filius primogenitus Galea-

eius Maria Sfortia, nec ex eo primogenito nepos Jo: Galeatius Sfortia ipſius Ducatus Mediolani inveſtituram ab Imp. Friderico quamvis ad rem attentiore, obtinere potuerunt, integerrimum Principem nulla vis auri ab honeſto dimovit. Sciebat enim in eo ceu Imperiali Regalique beneficio ne legitimæ quidem filiæ marito jus eſſe.

27 Exiſtimarunt & quidam eruditorum uxorem non eſſe ducendam homini literato. Contrà Beroaldus major ſexto in Apulejum commentario haud inſcitè colligit ſtudentibus diſcendi per nuptias occaſionem tribui, deſidibus excuſationem. Porrò Fr. Philelphus formam uxoris Panormitæ noſtri effert, Hecatoſticha nona Decadis octavæ Satyr.

28 Poëtari conſueſſe) Nota eſt doctis ipſius Ennii vox. Nunquam poëtor, niſi podager. Serenus autor eſt Ennium ex immodico vini uſu contraxiſſe morbum articularem. Verſus citantur a Cælio lib. antiq. 15. cap. 30.

29 Staphati) pro corrupto Thaſati; ex Blondo Sylvioq; Staphatum ſubſtitui genuinum vocabulum. Staphatum autem ſitum in inſula Sami Renatus in deditionem acceperat conſilio Jacobi Caudolæ.

30 Dianæ Epheſiæ templum) Habuit id jus aſylorum. Qua autem nocte deflagravit, eadem natus eſt Alexander peſtis & pernicies Aſiæ. Vide Ciceronem libro primo de Divin. & Plutarchum in vita Alexandri.

Aſiæ decreto) Attamen Eroſtratus templi incenſor non obſtante eo, ne quis ex decreto eum nominaret, intentionem ſuam videtur aſſecutus, ejus nomine ad nos uſque per tot ſecula deducto.

31 Non mundi hujus nomen eſſe) Apud Matthæum legimus Chriſtum dixiſſe ei qui ipſum bonum appellaverat. Cur me dicis bonum? Nemo bonus niſi unus, nempe Deus. Porro bonus eſt qui bene facit. Quid ſi nihil eſt vere boni in humanis factis, nec bonus vere dicitur quiſquam. Quicquid enim in nobis boni eſt, divini numinis eſt.

32 Rex morientem exhortatur militem.

Oppidoq; Carpenono) Repoſui ex Sylvio pro Caprivione.

Antonii) Unicum ille erat Renati Andegavenſis rerum præſidium, adeò ut ab eo deſertus deinceps Renatus Alphonſo impar fuerit.

Diffamata) Sentit opinor pro jam publicata, legeq; militari prædæ expoſita.

34 Quàm animæ funus) Agnominatio. Extat libellus Plutarchi, quo univerſam fœnerandi rationem damnat, quod contra naturæ regulam ſit, quæ eſt. Ex nihilo nihil gigni. Et Deus & ſervator noſter in Evangelio non convenire tradidit mutua, quæ amicorum cauſa inducta ſunt, in lucri certitudinem vertere, atq; ideo vetuit, ex mutuo quicquam ſperari.

35 Manica ferrea belli ſignum.

Jure belli) Eo namq; licet provocato diem & locum prælii dicere. Elegit autem fortiſſimus Rex latiſſimum campum, qui interjacet Acerras & Nolam. Cætera apud Sylvium.

Nequicquam expectaſſe, in octavum uſque diem.

38 Memorabilis in captum hoſtem beneficentia.

Arpario) Eſt in valle cardina: lege Sylvium cap. ultimo Europæ. Sic reſtitui pro Arpinio niſi & apud Sylvium ſit vocabulum corruptum.

37 Cum claſſis) Lege Bracellum lib 3.

Quod cum victo Regi) Pietas Alphonſi in commilitones.

38 Regius animus in adverſis declaratus.

39 Ob admirabilem animi fortitudinem ſponte deditur Alphonſo Beneventana arx.

40 Bovalengum Alphonſus incredibili celeritate recipit, diripitque.

41 Pietas in fratrem defunctum.

Vis orationis regiæ ad exercitum.

42 Picenum armis Alphonſi recuperatum. Nunc eſt Marchia Anconitana Vide Blondum, Volaterr.

Obia-

Oblatas à Rom. Pont. civitates recuſat. Eugenii Pontificis) Hic ab initio fovit acriter partes Renati, copiaſque pro eo in Alphonſum bis duxit, quem tamen poſtea conciliavit. Vide Ritium lib. 4.

43 Vulturni fluminis) Campaniæ cum oppido ejuſdem nominis, non Caſtellum Vulturni vocatum.

Ipſemet) Efficaciſſimum exhortationis genus, Principem hoc facere, quod ab aliis fieri velit.

A Rege miles ferè ſuffocatus in vitam revocatur fomentis.

Ennecus Gevera) Sic legendum pro Hemerico Sinverga ut corruptiſſimè ſcriptum unicum meum exemplar habet. Meminit hujus Enneci Comitis Arianenſis Pontanus in lib. de Principe pag. 88. fac. 2.

44 Ænariam inſulam) Nunc eſt Iſcla ut ſuprà.

Nec ſi mandaret) Benevolentia ſubditorum in Alphonſum captum.

Ob conſtantiam) Erectus animus capti Regis Alphonſi.

Jacobo) Sylvio eſt Jacobutius.

45 Moronem oppidum, Fort. Montorium vel Hortonem vide Pont. & Volaterranum.

Ea nocte) Attende incommoda exercitus Alphonſi. Item Imperatorem jejuno milite non decere, ut edat.

47 Portum Veneris) Idem & portus Lunæ dictus.

A Philippo deſciviſſe) Quibus injuriis irritati Genuenſium animi adverſus eum conſilia ceperint, late refert Bracellus lib. quarto. Is ad Eugenium Rom. Pont. Florentinoſq; à Genuenſibus legatus miſſus eſt ad petendum auxilium, pro retinenda recenti libertate. Meminit item Sabell. lib. 3. Enn. 10.

48 Alphonſus minime formidoloſus ad ſubeundum periculum ob honeſtam cauſſam.

49 Ad Surras Pelignas) Legendum Furcas. Planicies eſt in Pelignis ad oppidum Furcam, celebre alumno Nicolao Furcenſi, qui avorum memoria Romæ centenarius eſt defunctus, miraculiſq; plurimis coruſcavit: autor Blondus in Aprutio. Obſervandum militaria convicia condonata.

50 Joannem Patriarcham) Alexandrinum, cognomento Vitellium. Sylvio Vitelliſchum. Cornetanus patria fuit.

Bipedum nequiſſimum) Attamen ab Eugenio Papa Cardinalem ſub titulo S. Laurentii in Lucina creatum, cui Florentino fuit cognomentum.

Inducias belli) Pacandi regni ſtudium aſſimulans. Lege Sabell. & cognoſces dolos vel Ethnico quovis indignos. At malus ille Dux natura ſæviſſimus & immitis, fœderis jurisjurandiq; violator inſignis, quod invito Eugenio cum Philippo Duce Mediolan. conſpiraſſet, per inſidias captus in Adriani mole veneno ſublatus eſt.

Reconciliata amicitia) In qua tamen male farta non diu perſtiterunt.

Natalis Domini) Lege Blondum ad calcem lib. 6. Decad. 3.

51 In expeditionem) Poſteriorem intellige. Priorem enim ipſe in Hetruriam nequicquam reclamante Rom. Pont. Nicolao Quinto, ſed tum petentibus Florentinis pacem dedit.

Injurias ferre ulterius nequeam) Potiorem invenio fuiſſe, quod fœdus cum Franciſco Sfortia hoſte ſuo iniverit.

Hos igitur) Commendatio militis.

Quos cum) Amor gloriæ.

Non ſunt quorum) Periphraſis militis prompti.

Atq; ita tractes) Legimus apud Lampridium ſimilem in milites curam, amorem atq; charitatem de Alexandro Severo Imperatore, cujus exemplum dubio procul Alphonſus ſecutus eſt. Dicebat ille ſe magis ſervare milites quam ſeipſum, quod in his ſita publica ſalus eſſet.

Crede mihi) Victoriam à Deo expectandam.

Quem ſi) Deus iratus placandus.

Fun-

Digitized by Google

Fundat) fort. ſecundat.

Præterea) Nomen honeſtæ famæ expetendum.

Alterna) mobilis, viciſſitudinaria.

Poſtremo) Victorem benignum mavult, quàm ferocem.

52 Aulicos ægrotantes viſitat Rex & conſolatur.

Et profecto) Mors initium vitæ, peccandiq; finis.

Hoc itaq;) Hominis eſſe, ut in Chriſto moriatur, adniti.

Non abſurde) Vide Ciceronem ad finem lib. 1. Tuſc. Quæſt.

Non modo malum) Diogenes interrogatus numquid mali eſſet mors, quo, inquit, pacto malum, quum præſentem non ſentiamus. Certe iter ad mortem miſerum eſt. Id ſi metuimus tota hominis vita, quid aliud eſt, quàm iter ad mortem.

Æquanimiter) pro ex æquo.

Ut quod omnibus) Solatium mortis quòd omnibus moriendum.

Non ex intervallo) Eadem hora naſcimur, & morimur.

Sed horum) Enumerat quæ temeritata fortunæ contingunt.

Non minus animo) fort. amicos pro animo legendum.

Ne quid ardentius) Innuit opinor, fratris vocabulum, quo dignamur quos ſupra modum amamus.

ANTONII PANORMITÆ

DE DICTIS ET FACTIS

ALPHONSI REGIS ARAGONUM

LIBER IV.

PROOEMIUM.

Conſueverunt tranſmarinæ provinciæ ſua quæq; Romæ Italiæq; ſufficere. Sicilia inſularum celebetrima, frumentum, ſaccarumq;. Sardinia coria ac caſeum, vinum Corſica. Ebuſus ſalem, atq; aliæ alia. Sola Hiſpania Romæ atq; Italiæ Imperatores, aç Reges dare ſolita eſt. At quales Imperatores aut quales Reges? Trajanum, Adrianum, Theodoſium, Archadium, Honorium, Theodoſium alterum. Poſtremò Alphonſum virtutum omnium vivam imaginem, qui cum ſuperioribus iis nullo laudationis genere inferior extet, tum maxime religione, id eſt, vera illa ſapientia, qua potiſſimum à brutis animalibus diſtinguimur, longè ſuperior eſt, atq; celebrior. Chriſtum etenim verum & ſingularem Deum, ſibi colendum unice delegit, ſanctiſſima ejus mandata, ac præcepta cuſtodiens, neq; remorantur eum ardua, ut ſunt, Regum negotia, quin quotidie diluculo ſurgens, orationes, quas vulgo vocant horas in interiore ſacello genu flexus cum gemitu ac ſuſpirio ad Deum ipſum effundat. Inde in templum prodiens, jam die luceſcente quaternas miſſas (ſic enim Chriſtiana myſteria vocamus) admiranda devotione quotidie auditq; & videt: jejunia omnia nobis indicta inviolabiliter obſervat; Mariæ Virginis vigilias, & quæ ſeptem gaudia appellant, aqua duntaxat

---

Hiſpania terrarum optimis comparanda, non Imperatores tantum ac Reges Romæ, atque Italiæ dare ſolita eſt, ſed & Cardinales, ac Pontifices maximos, quorum vita emendatiſſima, doctrina admirabilis fuit; nam Pontificem Damaſum virtute probatum, & omnium bonarum ertium ſtudio celeberrimum Hiſpania ad nos miſit. Nunc ex eadem provincia Calixtum tertium, quem pro vi nominis optimum exiſtimavimus, ſortiti ſumus. In ſacro Cardinalium collegio multos fuiſſe Hiſpanos commendatione dignos non eſt obſcurum, Alphonſum ſancti Euſtachii, & Joannem ſancti Petri ad vincula Cardinales ipſi Baſileæ in concilio vidimus, quorum ea morum gravites, ea rerum agendarum circumſpectia fuit, ut omnem ad ſe ſynodum treberent. Joanni nos à ſecretis operam exhibuimus. Hodie quoque tres Hiſpania Cardinales bobet, Joannem ſancti Sixti, Antonium Ilerdenſem, & ulterum Joannem ſancti Angeli, qui modo legatus apud Hungeros de trudacendis contra Turcas copiis opus agot. Prioribus quaſi duobus Theologicæ ſapientiæ ſyderibus orbis Romanus illuſtratur. Tertium ſcientia juris nulli ſecundum putat. Verum Rex Alphonſus, ut ais, non ab Hiſpania laudem ducis, ſed Hiſpaniam ipſe illuſtrat. Is quamquam ita religioſus eſt, & divini cultus obſervator, ut ſcribis, non immemor tamen Evangelicæ doctrinæ poſt jejunia & orationes cæteraq; pietatis opera in quibus nonnunquom exercetur, ſervum ſe inutilem ait. Noviſſimis enim diebus cum conveniſſet eum Joannes orator Apoſtolicus, ac de poce Tuſciæ ſecum ageret, inter alia ſapienter dicta, ſcio me, inquit, poſtquam re-

taxat, & pane ſolo traducir, nonnunquam nec pane, aut aqua libata. Veneris præterea & ſabbati quoq; die, in Chriſti Salvatoris, ac Virginis Mariæ reverentiam jejunio affligitur. Cumq; ſit ipſe in veſtitu cæteroq; cultu corporis moderatior, in extollendis tamen exornandiſq; Sacerdotibus, atq; aris, omneis omnium, qui unquam fuerunt aut ſunt, elegantias, & cultus excedit, auro, gemmis, margaritis, unionibus immenſi pretii, omnia collucent, ac micant. Qui vero muſica in tota Europa inſignes habentur, ingenti mercede arceſſuntur, quotidieq; in templi choro Dei, ac ſanctorum laudes, divinaq; officia concinentes audiuntur, læta & hebetia corda, ſi quæ aſſunt, ad Dei amorem excitantes, excitata jam incitantes, & inflammantes. Verum enimvero ut eò divertar unde digreſſus ſum. Magna quidem vitis Hiſpania eſt, adde etiam ſoli fertilitate, aëris ſalubritate, præclaris urbibus, metallis, & admirandis rebus merito illuſtris. Sed, illius pace dixerim, non Alphonſus ab Hyſpaniæ laude eſt cenſendus, verum Hyſpania potius ab Alphonſo, cujus gloriæ & admirationi ne hoc quidem obſtiterit, quòd noſtro ſeculo natus eſt. Seneſcet quidem & hoc, aureiq; ſeculi reliquias extitiſſe poſteritas eo maximè dicet & affirmabit, ſi ad dignitatem rerum, quod fore vaticinor, arceſſerit aliquando teſtis locuples oratio. Verum hæc hactenus.

---

regnare cœpi, quàm plurimos homines è modica fortuna ad magnas opes ac potentiam evexiſſe, qui poſtea beneficii immemores extiterunt. Ea vero res mihi minime admirationi eſt, cum & ipſe eodem ingrati animi vitio laborem. Nam quis plura ab optimo maximoq; Deo, quàm ego, beneficia accepit, qui natus ex regibus, ampliſſima regna hæreditario jure ſum conſecutus? Nec minora mihi ipſe armis comparavi. Pauci me Reges inter Chriſtianos antecedunt. Ingenium mihi natura non obtuſum dedit, memoriam non infirmam, corpus ſalubre, vitam longiorem, ac morbis ferè inoffenſam, opes mihi, deliciæ, voluptates abunde ſuppetunt: literarum quoq; nonnullam cognitionem adeptus ſum. At ubi ego gratus? Quid ego aut facio, aut feci pro tot tantiſq; divinæ clementiæ in me muneribus? Intelligo me certe ingratum eſſe, eoq; accuſatione ac pœna, quas cæteros promeruiſſe exiſtimo, qui erga me ingrati ſunt, tanto majori, quanto gravius eſt Deum quàm hominem fallere. Verum ſi mihi vita contigerit, eſt animus, quod hactenus neglectum eſt, abundè præſtare. Injurias enim quas crudeliſſima gens Turcarum Jeſu Chriſto veriſſimo & maximo Deo noſtro nunc in Græcia, nunc in Aſia quotidie infert, ultum ire decrevimus, atq; ad id jam naves, jam viros & arma comparavimus. Itaq; nihil eſt cur nos (quæ nunc tractantur) Tuſciæ pacem quovis pacto turbaturos exiſtimes. Hæc Rex, qui ſi promiſſo ſatisfecerit Salvatorem Chriſtianæ religioni ab Hiſpania miſſum omnis Europa confitebimur.

AL-

ALPHONSI
REGIS
DICTORUM ET FACTORUM
LIBER IV.

Religioſè. 1 IGitur Alphonſi religionis admonitus illud adjiciam, quòd de ſingulis annis per quadrageſimam piè & religioſè facere conſueverit. Die quidem dominicæ cœnæ ad veſperum linteo percinctus LX. pauperibus mendicis ſordidatis, humillimè, ac ſubmiſsè ſuis manibus pedes lavat, loros atq; exterſos pronus deoſculatur. Poſthæc diſcumbentibus illis propinat, atq; miniſtrat, cœnatos vero omnes dimittit cum pecunia & veſtibus novis. Hac de re cum aliquando recitarentur literæ in Venetorum ſenatu (aderam quidem ego Regis legatus) nonnullos è patribus vidi pietate motos, à lachrymis minime temperaſſe.

Liberaliter. 2 Cum à quæſtore Regi deferrentur aureorum X. millia, dixiſſetq; qui forte aderat, ea duntaxat ſumma ſe divirem & beatum fure. Accipe, Rex inquit, quantacunque ea eſt, & beatus eſto.

Li-

1 *Interfuimus hoc anno dum hæc fierent. Cæcus in capite menſæ aſſedit grandævus, qui ante ſexdecim annos lumen ſe amiſiſſe ajebat. Miniſtrabat huic Rex, ac nobis audientibus interrogabat, an cæcitatem moleſte ferret. Cui cæcus, neſciens Regem eſſe qui ſecum loqueretur, niſi divina gratia eſſet adjumenta, nemo, inquit cæcus, vivere optaret, tanta eſt miſeria cæcitatis, iis præſertim qui aliquando lumen viderunt. Tum Rex velles ne, inquit, ex hac vita migrare. Minime, inquit ille. Tum Rex, at ſi miſer et, cur è miſeria eripi nolis. Neſcio, inquit cæcus, an moriens ad majorem miſeriam hinc demigrem, nec quo vadam mihi certum eſt. Tunc unus ex purpuratis, an neſcis, inquit, quòd piè viventi loca tibi piorum patere. Scio, inquit cæcus tria eſſe loca, ad quæ, dimiſſis corporibus, animæ hominum deferuntur. Piorum animas in cælum evolare, malorum inferna petere, iis vero qui cum ante fuiſſent mali tamen ante obitum ſeſe recognovere, & dolentes pro malefactis prius objerunt, quàm pœnitentiam agerent, purgatorium lacum adeundum eſſe. Tum purpuratus, ſi hæc credis & peccato abſtines, cur mori nolis? Credo, inquit cæcus, bene morienti mihi bene eventurum. Sed quis eſt hic, qui bene ſeſe moriturum ſciat? Tum Rex ſapit, inquit, cæcus, ex media Theologia ſententiam profert. Audivit cæcus Regem nominari, & quiſnam Rex eſſet, Regem ipſum interrogavit. Tum Rex, ego inquit, qui loquor tecum.*

2 *Allata erant Sigiſmundo Cæſari ex Hungaria aureorum quadraginta millia, cum jam adveſperaſceret, eaq; in thalamo regio recondita fuere cum cubitum iſſet. Cæſar dum cogitat in quemnam uſum eam pecuniam convertat, ſomnus eum deſtituit. Tum ille excitatis cubiculariis.*

Ite,

Google

3 Liberalitatis vero ac magnificentiæ Alphonſi tot documenta extant, quot homines ſunt virtute aliqua aut doctrina & dignitate præclari. Omnes enim comiter aut periaurè eum accipere ſolitum ſcimus, & lautitiam & impenſam regio more præſtitiſſe: vidi ego uno & eodem tempore Duces illuſtriſſimos, Cardinales ſummi Pontificis legatos, innumeros oratores Alphonſum accepiſſe, neminemq; paſſum niſi regia pecunia viſitare, abeuntes omnes praciosiſſimis donis ac muneribus proſecutum. *Magnificè. Liberaliter.*

4 Unum vero illud liberalitatis ac magnificentiæ exemplum vel præcipue afferemus in medium, dictu admiratuq; digniſſimum. Nam cum audiret Fridericum tertium Imperatorem ad ſe viſendi & ſalutandi gratia Neapolim accedere, multa ſecum millia hominum ducentem, continuò illi obviam miſit lectiſſimos oratores, Antiſtites, Principes, Duces, Comites, viros venerabiles, & illuſtres, qui illum qua maxime poſſent humanitate, ac largitione ſuſciperent, proceſſerunt hi uſque in agrum Privernatium, conduxeruntque Imperatorem magna cum pompa Terracinam, ibiq; primo claves regni Neapolitani cum juriſdictione plenoq; Imperio detulerunt. Deinde prolixam orationem de adventu ac laudibus ejus habuere. Ego orationem communi oratorum nomine dixi. Aderam quidem ego ex oratoribus unus, quam poſtea qualemcunq; collegarum hortatu ſcriptam reliqui. Acceptus & perlautè regaliq; apparatu cum univerſo comitatu, quo Leonora Auguſta aderat, & Albertus Cæſaris frater, & quàm plures ex Germania reguli, ac proceres. Sequenti die cum Terracina decederet à Ferdinando Regis filio miro cum ſplendidiſſimorum equitum comitantium applauſu receptus eſt, perq; medias civitates ſub umbella magna cum gratulatione, ac propè triumphantium more uſq; in campum Stellatem perductus inter profuſiſſimos, ac penè continuos obſoniorum apparatus, ubi a Rege ipſo receptus eſt cum omnibus unà regni *Magnificè.*

regu-

Ite, inquit, ocius conſiliarios, Duceſq; militum huc arceſſite. Vocati proceres media nocte trepidi (timebant enim ne quid adverſi accidiſſet) Imperatorem celeriter adeunt, & quæ cauſſa ſit tam repentinæ vocationis inquirunt. Imperator confeſtim operta arca, inter eos, qui advenerant, pecunia diſtributa, Ite, inquit, ſecure tranquilleq; nobis dormire liceat. Nam quod mihi ſomnum ademerat, vobiſcum exit.

3 *Quæſitum eſt inter nonnullos, me audiente, cum in omne hominum genus Alphonſus liberalem ac munificum ſeſe oſtenderit, cur ſolos Aſtrologos præteriret. Neq; enim hujus ſcientiæ præceptores ſicut aliarum diſciplinarum magiſtros in ejus curia abverſari videmus. Tunc unus qui magis ſcire videbatur. Sydera, inquit, ſtultos regunt, impelluntque. Sapientes aſtris imperant. Stultos ergo Principes honeſtare Aſtrologos conſequens eſt, non ſapientes, inter quos nomen ſuum Alphonſus obtinet. Tum alius, Petrus de monte Ilicino, inquit, non incelebratus Aſtrologus congregato apud Conſtantiam generali Chriſtianorum Concilio judicium de rebus futuris edidit. In quo & Sigiſmundum eo anno coronandum Romæ, & Joannem Papam tertium & viceſimum qui ad Concilium vocatus ierat, cum gloria rediturum affirmavit. At cum magna ſynodus Joannem ſummo Pontificatu abdicaſſet, Sigiſmundus autem ingreſſu Italiæ multis poſt annis obſtiauiſſet, arguentibus pleriſq; Petrum, qui adeò manifeſtè mentitus eſſet. At mihi de duobus ſtultis, inquit ille, judicandum fuit; de quibus ne vera quidem profari Ptolemæus potuiſſet.*

4 *At hoc ad gloriam non mediocrem Alphonſo ceſſit, quòd Fridericus Imperator Romæ coronatus, ad eum viſendum venerit. Nam ille cum in Germaniam rediſſet, Interrogantibus amicis apud Italos, quæ memoratu digna vidiſſet, Alphonſum,* in-

regulis, proceribuſque, hilaritate, lætitiaque incredibili deductus ad Regis dexteram ſub pallio umbellari Capuam, inde perpetua pompa Neapolim. Ibi per omnia theatra, & ſeſſiones, ubi pulcherrimæ honeſtiſſimæque civitatis puellæ auratis, ſericis coccineiſque veſtibus excultæ cantantes, plaudentes, tranſeuntem paullulum remorantem adorabant, productum. Sileo hic ludos equeſtres ac Chriſtianos, omitto convivia ac potiones, tranſeo venationes, & reliqua ad honorem ipſius Imperatoris tam magnificè excogitata, quanta nuſquam eſſent, aut lecta, aut viſa, aut audita aliàs. Verum illud prætereundum non fuit, quod tantæ huic multitudini non ſolum lautitia, & impenſa ex regio Fiſco duos fermè menſes fuerit opipare præbita, ſed quicquid etiam veſtitui, quicquid voluptati uſui eſſet, ſine pretio promtiſſimè traditum audivi ſæpius à regiæ rationis ſcriba, univerſam hanc in Imperatorem hoſpitalitatem aureorum c. millium ſummam præter ingentis prætii munera ſupergreſſam fuiſſe.

Juſtè. Fortiter. 5 Inter Regis præclara facinora illud mea quidem ſententia maximum dinumerabitur, quod univerſæ Italiæ bello diutiſſime attritæ pacem auctoritate procuraverit, benignitate conceſſerit, & quod nunquam ante ferè viſum, concordia firmaverit: proinde ego magnum ac propè divinum eſſe judico, quòd pro hac conficienda, & ſua maxima commoda, & graves quorundam injurias ferre, poſthabuiſſe ſatis ſcio.

Juſtè. 6 Cum Stephanus Patricius Neapolitanus poculo amatorio inſaniſſet, teneretq; & oppida & nonulla regia officia, fuerunt qui à Rege illa bona poſtularent, quod abſurdum videretur, à demente hujuſmodi bona poſſideri. Quibus Rex contrà, ſibi inhumaniſſimum videri reſpondit, iis ſe etiam ſubſtantiam auferre, quibus ſors mentem & cerebrum abſtuliſſet.

Juſtè. 7 Alphonſi juſtitiæ clariſſimum tibi argumentum ſit, quòd univerſum Neapolitanum regnum, quod uunquam antea auditum, à latronibus purgatum videmus, ut quoquoverſum iter agas, cum auro, quod ajunt, manu prætenſo, die noctuq; tuto proficiſcaris, quamvis ſolus & inermis. Hoc

Inquit, omnium qui modo vivant Regum, & prudentiſſimum, & magnificentiſſimum; cumque aliqui non probarent, quòd major dignitas ad minorem veniſſet. Imò, ait, ille ad majorem profectus ſum. Nam etſi minor eſt Regis autoritas quàm Imperatoris, Alphonſus tamen Friderica major eſt.

5 *Parum fuerit Italiæ pacem dediſſe, niſi & datam conſervarit.*

6 *Schodvienna oppidum eſt cum arce munitiſſima, per quod Auſtrolibus in Siriam iter eſt. Huic præfuit unus ex veteribus amicis Erneſti, qui Friderici Cæſaris pater fuit. Adierunt Fridericum aliquot ſucceſſivè adoleſcentes, ſibique præfecturam loci committi petierunt, quòd qui illam teneret ætate, ac viribus confectus eſſet. Ad quos Fridericus paternum amicum oppido, non amico oppidum commendamus. Teſtamentum cum conderet Dux quidam Sleſiæ egregiam domum ædificari mandavit. In qua canes, qui utiles venationi fuiſſent, ob ſenectam & corporis debilitatem à ſuis relicti dominis, uſq; ad mortem alerentur, deſignatis in eam rem nonnullis agris, ex quorum proventu ſumtus ſuppeditaretur, nec voluntas ejus irrita fuit.*

7 *Jacobus Marchio Badenſis ubi latrocinium in ditione ſua commiſſum didicit, vocatis iis qui damno affecti fuiſſent, tantum eos ex fiſco ſuo accipere juſſit, quanti eſſe, quæ amiſiſſent, jurejurando affirmaſſent. Exinde latrones inſecutus apprehenſos in Rotam ſuſtulit. Id eſt ſupplicii genus apud Teutonicos formidabile. Atq; ita brevi pacatiſſimam provinciam reddidit. Patris veſtigia Carolus nobiliſſimus adoleſcens ſequitur, cui nupta eſt Catherina ſoror Friderici Cæſaris.*

Dux

Digitized by Google

8 Hos maximè inſanire dicebat, qui uxorem à ſe digreſſam, fugitivamq; perquirerent. *Facetè.*

9 Laudare eum magnopere ſolebat, quicunque fugientibus hoſtibus argenteum pontem extruendum dixiſſet. *Graviter.*

10 Ob magnas inſperatáſq; victorias, nunquam omnino mutatum Alphonſum vidimus. Idem illi ſemper & in omni fortuna vultus, idem habitus, ſermo idem, manſuetudo, benignitas, humanitas eadem. *Conſtanter.*

11 Magnum quidem eſſe dicebat adverſus hoſtem ducem eſſe, ſed & illud maximum ad omnem virtutem civibus ducem eſſe. *Graviter.*

12 Cum quidam in itinere Regem præcederet, ramuluſque arboris ab eo apprehenſus, in Regis oculum, qui proxime ſequebatur, forte dimiſſus incidiſſet, liveſcente & tumeſcente mox oculo, condolentibus amicis, Regem dixiſſe ajunt, nihil ſe profecto dolere, niſi percuſſoris ipſius dolorem, ac metum. *Patienter.*

13 Profligato captoq; Antonio, renunciatur Regi penes illum extare plurimas epiſtolas in caput, & ſtatum ejus conſcriptas, è re igitur Regis eſſe, illas exhibitum ac lectum iri, quo ſaluti ipſius proſpici poſſit, ſimul & in proditores animadverti. Hæc Rex cum audiſſet, literas proferri juſſit, & minime lectas igne comburi. *Modeſtè. Fidenter.*

Ca-

---

8 *Dux quidam Oppaviæ uxori, quam ex Lituania acceperat, obviam cum exiſſet, in comitatu illius adoleſcentem offendit forma egregium, robuſto corpore, in plumis jacentem penſili curru advectum. Interrogavit quiſnam eſſet. Conjugis ſuæ fratrem, aut propinquum exiſtimans. Reſponſum eſt ab iis, qui propius aderant. Apud Lituanos more patrio nuptas, quæ nobiles quidem eſſent, unum pluresve concubinos pro viri facultatibus domi alere conſuevisse, qui negligente marito onera matrimonii ſubeat. Illumq; ſibi adductam fuiſſe, qui vices ſuas ſuppleat, ſi quando, ut fit, vel morbo, vel alia quavis cauſſa conjugi debitum perſolvere nequiret. Voluit Dux laniandum canibus hominem objicere. Sed prohibitus ab amicis in Lituaniam quàm celerrime redire eum juſſit, qua in provincia, ut ajunt, perpaucæ nuptæ à viris digrediuntur.*

9 *Satis vicit, inquit Sigiſmundus Imperator, qui hoſtes fugavit.*

10 *Cum rogaretur Sigiſmundus Imperator quem virum regno dignum aptumq; exiſtimaret. Eum, inquit, quem neq; ſecundæ res extollerent, neq; adverſæ deprimerent.*

11 *Cum gloriabundus quidam eques coram Sigiſmundo urbanos magiſtratus parvifaceret, tribunoſq; militum laudibus in cælum tolleret, Tace, inquit, Thraſo, nulla nobis militia opus eſſet, ſi ſuas quique civitates prætores, cæteriq; magiſtratus moderatè juſteq; gubernarent.*

12 *Senenſes fortaſſe ramuſculum ignari in Regis oculum demiſere. Utinam nil aliud Rex doleat quàm Senenſis populi dolorem, ac metum. Verum Joannes Lyritanus cum dietim novis contumeliis civitatem noſtram afficiat, accuſare tamen eam apud Regem non ceſſat. Verum eſt, quod Satyricus ille ait,*

Libertas pauperis hæc eſt,
Pulſatus rogat, & pugnis conciſus adorat,
Ut liceat paucis cum dentibus inde reverti.

13 *Literæ Caſparis Schlichii ex Nuremberga miſſæ cum in manus Friderici Cæſaris veniſſent, quæ nonnullis Hungaris inſcribebantur, fuerunt, qui eas aperiendas dicerent, quòd in eis aliquid proditionis ſcriptum eſſe putarent, quod ſciri oporteret. Quibus Fridericus, Caſparem ego & probum virum, & mei amantem exiſtimo, ſi fallor, malo per ſeſe error pateat, quàm mea diligentia inveſtigetur.*

Non

Solerter. 14 Cathalanis optimum factum fore cenſentibus, ſi Regi adhuc adolcſcentulo ſeptem viri ad gubernandas reſpublicas adjungerentur, qui Deum timerent, juſtitiam colerent, cupiditates continerent, neq; donis, neque muneribus tangerentur, Alphonſum laudaſſe conſilium accepimus, atque dixiſſe, Si hujuſcemodi, non dico, ſeptem, ſed unum aliquem mihi virum dederitis, ò amici, continuò illi & regimen, & regnum ipſe conceſſero.

Studiosè. 15 Ad lectionem vero uſque adeò Regem intentum aliquando vidimus, ut neque tibias ſonantes, neque ſaltantium ſtrepitum audire omnino videretur.

Graviter. 16 Fœneratores, utpote labores mortalium depaſcentes, harpyias vocitabat.

Urbanè. 17 Homines, quos vanis ſermonibus impleri, & penè diſtendi intueretur, modo utres, modo veſicas appellabat.

Studiosè. Benignè. 18 Memini cum aliquando Meſſanæ Virgilium legeremus, pueros vel humillimæ conditionis, qui modo diſcendi animo accederent, uſque in interiorem locum, ubi poſt cœnam legebatur edicto Regis, omnes admiſſos fuiſſe, excluſis eo loco, ea hora, ampliſſimis atque ornatiſſimis viris, omnibus denique, qui legendi cauſſa non adeſſent. Finita vero lectione potio Hiſpaniæ Regum more Regi offerebatur. Miniſtrabat Rex ſua manu præceptori ipſi, ſeu poma, ſeu confectiones ſaccarias. Condiſcipulis vero purpuratorum maximè poſt potionem, quæſtio proponebatur, ut plurimum, philoſophiæ. Aderant quidam doctiſſimi atq; clariſſimi viri, extendebatur vox ſuaviſſimis atq; honeſtiſſimis collocutionibus uſq; ad horam ſeptimam. Exindeſuam quiſq; domum repetebat, lætus & Regis gratia & benignitate plenus.

Justè. 19 Cum aliquando Rex interrogaretur, utrum ne armis an libris majorem gratiam deberet, reſpondit, ex libris ſe arma, & armorum jura didiciſſe.

Graviter. 20 Illud quoque, uti ego arbitror, Socratis dictum frequenter uſurpabat. Tan-

---

14 *Non mirum, ſi non putavit Alphonſus in regnis ſuis ſuo tempore ſeptem ſapientes inveniri poſſe, quum ex omni Græcia & Aſia, totoque penè orbe terrarum omnibus ætatibus vix totidem inventi ſint.*

15 *In ſcholam Pragenſem ingreſſus aliquando Carolus quartus Romanorum Imperator, cum diſputantes liberalium artium magiſtros in horas quatuor audiviſſet, idq; purpurati moleſte ferrent, ac cœnæ tempus adeſſe dicerent. Mihi, inquit, cœnæ tempus eſt minimè. Nam cœna mea hæc eſt.*

16 *Cum beatos quiſpiam Fœnatores coram Sigiſmundo diceret, qui dormientes rem augerent. Es tu ergo miſer, inquit Sigiſmundus, qui rem vigilando comminuis.*

17 *Si deſint Thraſones, fruſtra Gnathones clamitant.*

18 *Legerat illud Alphonſus, ut arbitror, quod non ignotus poëta cecinit.*

Dii majorum
Umbris tenuem & ſine pondere terram,
Spirantesq; crocos, & in urna perpetuum ver,
Qui præceptorem ſancti voluere parentis
Eſſe loco.
Atq; idcirco ſuo magiſtro vel poma vel confectiones ſaccareas miniſtravit.

19 *Georgius Fiſtellus cum eſſet doctor, à Sigiſmundo Cæſare equeſtris militiæ inſignia ſuſcepit. Exin cum Baſilienſem Synodum adiſſet, conſultante de rebus arduis Sigiſmundo, dubius doctoribus ac legum conjunctis in unum locum, an ſe equitibus ab illis in alium ſeparatis conjungeret. Cumq; tandem ad equites inclinaret. Stulte egis, inquit Sigiſmundus, qui literis militiam præfers. Nam ego milites mille una die fecerim, doctorem mille annis non fecerim.*

20 *Vitoldus Lituaniæ Dux plebem legi, legem Principi ſubjectam eſſe* opor-

Tanto privatis hominibus Reges meliores eſſe debere, quanto honoribus, & dignitate antecellerent.

21 Improbè agere Principes dicebat, qui aliis honeſte decoreque vivendi legem perſcriberent, ipſi vero nihilo temperatiores ſeſe probarent. *Graviter.*

22 Perniciosſos eos eſſe cives dicebat, qui Regum innocentia, bonitate, lenitate abuterentur. Plerumq; etenim accidere, uti perverſis civium moribus, Reges præter eorum naturam, aſperius regnare cogantur. Contrà eos probos ſpectatosq; cives eſſe, qui Principis benignum & humanum ingenium eorum virtute atq; prudentia foverent ſimul & augerent. Cæterum reputanti mihi Alphonſi egregia facta, id ſupra modum admirabile ac præcipuum videri ſolet, quod Genuenſes etſi maritimo prælio eum vicerint, tributum quotannis trullam auream reddant. Enimvero tanta fuit autoritas Alphonſi, ut etiam victus conditiones dixerit, & victores victo metu ceſſerint, quaſi victoriam caſu non virtute ſe conſecutos arbitrati. *Graviter.*

23 Alphonſum vero, cum is audiſſet Senenſes, qui bello Italico medii extitiſſent, in neutram partium inclinantes, poſtea ſedato bello diviſorum militum prædam eſſe, dixiſſe ajunt, Senenſibus eveniſſe, quod his ſolet, qui mediam domum incolunt, ut ab inferioribus fumo, à supernè habitantibus urina vexentur. *Prudenter.* *Urbanè.*

24 Cum Genuenſium quatuordecim maximarum navium claſſem, illico adventuram nuntiaretur Regi, quæ duas ejus illas ingentiſſimas in portu deprehenſas, comburerent, continuò excidi è vicinis montibus rupes, & infeſto profundoq; mari ad occurſum venientium objici procuravit. Portum præterea vaſtiſſimis lignis, ferreiſq; catenis circumcludi, molem ipſam altiſſimo muro, propugnaculiſque muniri, litora propè innumerabilibus inauditæ magnitudinis tormentis, omniſq; generis telis armiſq; firmari. Atq; hæc tanta quidem celeritate, atq; admiratione omnium, ut cum mox Genuenſium claſſis ſe conferret, conſpectis propius hujuſmodi novis inſpectatiſq; munimentis, redeundi conſilium probaverit, abjveritque. *Clementer.*

Claſ-

---

oportere, dicebat, Adeoq; differentem moribus & habitu à ſuis popularibus ſeſe præbuit, ut illos tonderi edicto juſſerit, ſibi tanquam majeſtatis inſigne barbam intonſam retinere. At cum id non ſuccederet, nam Lituani vitam potius quàm barbam parati erant amittere, caput ipſe genaſque raſit, capitalem pœnam in eos comminatus, qui ſuo exemplo barbam aut comam deponerent.

21 *Eſſent plerumq; Principes, quàm privatè homines, uti Socrates, meliores, ſi Reges electio, non ſucceſſio faceret.*

22 *Cum quæreret aliquis ex Thoma Sarzanenſi, qui poſtea maximum Pontificatum adeptus Nicolaus quintus appellatus eſt, qualis eſſet Eugenius Papa quartus. At, inquit, hoc facile cognitu eſt, qualis familia eſt, talem & Principem inveniat.*

23 *Auſtriales quoque qui arceſſitis Bohemis in Nova civitate Fridericum Cæſarem ex Italia redeuntem obſederunt, eò demum redacti ſunt ut victores ex victo pacem peterent, atq; in eam rem auri ſex millia nummûm quotannis penderent.*

24 *Sub imperio fœminæ cum eſſet Auſtria, defecerat enim virilis proles, hinc Hungarus, inde Bajoarius provinciam prædabatur, fœminæ quæ contemneretur, ſuadebant amici, alterum ex hoſtibus virum acciperet, qui alterius contumeliam propulſaret. Quibus illa, minime inimico nubam, Ottaccarum ex Bohemia potiùs arceſſam, qui meo conjugio ditatus, & Bajoario & Hungaro vicem reddat. Neq; enim natura fert, ut qui nobis nocent, iis benefaciamus.*

Fortiter. 25 Claſſis Genuenſium, quam demiſſa tam Alphonſi munimenta, abiiſſe diximus, apud Pontiam inſulam ſe continuit, ibiq; triremium claſſem, quibus aucta Neapolim rediret, è Genua expectabat. Cumque & adveniſſe jam, & Neapolim maturare Rex accepiſſet, ſuas & ipſe triremes obviam miſit, repperit, fugavit, cepit, combuſſit.

Humaniter. 26 Cum audiſſet Joannem ſuaviſſimum fratrem meum juvenem excellentis ac eximiæ virtutis, mortem obiiſſe, non ſolum ſermone, ſed conſolatoriis ad me literis dolorem animi teſtatus eſt graviter Alphonſus. Cum interrogaretur, quæ res Reges ac privatos, divites ac pauperes, claros & obſcuros, deniq; omnes prorſus exæquaret, reſpondit, Cinis.

Moderatè. 27 Alphonſus cum eſſet admodum facetus & urbanus, mirari tamen magis licuit, quo animo quaq; moderatione ipſe aliorum ſales pertulerit, quam quomodo ipſe jocos protulerit.

Fidenter. 28 Alphonſus cum audiſſet Albertum Orlandum apud ſe diutiſſimè exploratorem agere, non ſolum non ejecit è curia, ſed ſalarium annuum illi ultrò conſtituit.

Fidenter. 29 Alphonſus cum aliquando laxare animum à negociis vellet, non ſe quidem abdidit, neq; convivia, neq; ludos aliquos exercuit, ſed venatione ut plurimum uſus eſt, qua, ut Lycurgus tradidit, non ſolum adoleſcentes, ſed grandiores etiam natu militiæ labores tolerare pulcherrimè condiſcunt. Nec tamen, quod miratu maximè dignum eſt, aut venationes, aut amores, aut deniq; voluptas aliqua Alphonſum unquam à negociis remorata eſt.

30 Ab diis olim Jove, Neptuno, Plutone, omnia tripertita fuiſſe memo-
Modeſtè. rabat, & ſua quemq; ſorte, parteq; contentum agere. At hominibus hodie,
Graviter. neq; quod ſatis, neq; quod minus eſſet, ſatia eſſe. Cum

---

25 *Sigiſmundus Imperator cum eſſet in Italia, audiſſetq; patres Baſileæ coactos Eugenium Papam ſummo Pontificatu deponere ſtatuiſſe, quamvis podagra laboraret itineri ſe commiſit, tantaq; celeritate advectus eſt, ut ante in Concilio ſit viſus, quàm eò venturus audiretur. Neq; enim bono Principi tolerabile videbatur, eccleſiam quam ſe autore ad conſenſionem & pacem Conſtantienſis ſynodus reduxiſſet, Baſilienſis denuo reſcinderet.*

26 *Conſolatoriæ ſuper morte fratris ad te miſſæ literæ magnum in te Regis amorem teſtantur, ſed quem ille amet, ſi te non amet, qui eum, vel poſt fata victurum facis.*

27 *Interrogatus aliquando Fridericus Imperator quid homini optimum poſſit contingere, reſpondit, Bonus in hac vita exitus. Qui jocos moderatè ferrent, ſapientes dicere Sigiſmundus ſolitus erat, qui promtiſſime jocarentur ingenioſos.*

28 *Anno ſuperiore Græcus ad Albertum Auſtriæ Ducem venit, qui ſe Conſtantini Cæſaris à Turcis occiſi Germanum diceret, quem cum exploratorem ille comperiſſet, quæcunq; in Germania pararentur, ad Turcos perferentem, gladio percuti juſſit. Carolus quartus Romanorum Imperator hominem, qui ſibi necem paraſſet, ad ſe vocavit, eique aureos mille dono dedit, quibus nubilem filiam nuptui collocaret. Illius ſe miſereri dicens, cui filia natu grandior domi clauſa eſſet. Homo gratias egit Regi, & ad conſpiratores egreſſus. Neſciebam, inquit, Carolus qualis eſſes, nunc liberalem & clementem Principem ferire nullo pacto poſſum.*

29 *Venatio, inquit Albertus Imperator, Ladislai pater, exercitatio virilis, ſaltatio muliebris: Siq; voluptate quavis alia carere poſſe, venatione non poſſe.*

30 *Siquem ſua ſorte contentum eſſe decet, non eſt cur Alphonſus de fortunæ diſtributione queratur, qui trium Deorum imperia obtinet, Plutonis, Hiſpaniæ regna, Neptuni Siciliam & alias inſulas, Jovis, Italiam, quamvis ſua virtus totius orbis*

31 Cum libris ſub ſponda ſolitum dormire Regem ſcimus, experrectum illos cum lumine poſcere ac lectitare. Ab his, quid ſibi, quid civibus conveniret edoceri potiſſimum ajebat. *Studiosè.*

32 Mendacium vero ex iis potiſſimum emanare dicebat, aut qui multum *Urbanè.* legiſſent, aut multum peragraſſent, aut vixiſſent multum.

33 In terra Hiſpania, qui vitrea vaſa vendere ſoliti ſunt, ea in baculo *Graviter.* quodam appenſa per urbem deferunt numero octena, hi cum aliquando, ubi Rex aderat, præterirent, ad illorum voces converſum Regem contemplatumq; dixiſſe ajunt, Conſimilem eſſe vitam beatam: Nam veluti ſiquis cum hiſce vitrariis ingens pretium paciſcatur, ſi octena illa vaſcula ad certam metam integra & illæſa perducant, contra ſi unum aliquod in itinere confringant, & vaſa & pretium omne deperdant: ſic nobis injunctum eſſe onus quinque ſenſuum perferendorum ac cocreendorum, nec non trium animæ potentiarum uſque ad vitæ exitum commendatarum, quibus ſi recte ac ſyncere ad finem uſq; fuerimus uſi, nobis merces ingens repromittitur, beata vita, ſin male ac perperam, pœna perpetua.

34 Cum aliquando de jactura rerum precioſarum ſermo haberetur, per- *Religiosè.* ſanctè affirmaſſe Regem audivimus, malle ſe gemmas, uniones, margaritas ſuas, quæ quidem eſſent in orbem omnem terrarum diffamatiſſimæ, quam libros qualeſcunq; perditum iri.

35 Optimum factum ſibi videri dicebat, ſi voluntas noſtra inter amorem *Graviter.* ac metum media incederet, ut quantum amor ad exceſſum impelleret, tantum timor illam è diverſo retraheret.

36 Cum vero audiſſet ab agricultoribus mala punica, quæ natura acria eſſent arte & diligentia fieri dulcia. Et nos, inquit, cives ac populares noſtros ingenio malo pravoq; bonos & emendatos induſtria reddamus: aliis forfaſſe

---

bis Imperium meruit.

31 *Studioſum eſſe Alphonſum librisq; deditum, nemo dubitat, qui cum eo verſetur, neq; enim ferme ullus ejus eſt, qui non doctrinam redoleat. Nuper rogabamus eum ne Tuſciam bello perire ſineres, qui ſe pacis Regem inſcriberet. Tum ille Caſſandram, inquit, divinandi arte & cognitione ſurti donaverat Appello. Id factum, in concilio deorum damnatum, qui futura providere mortalibus inhibitum confirmarent. At cum revocare divinum donum nefas ducerent, ſtatutum eſt, ne quis Caſſandræ prophetanti fidem haberet. Eodem modo quamvis pacificum me Regem appellem, mihi credit nemo.*

32 *Inter eos, qui mendaciſſimi ſunt, adde ſi placet, & qui militaſſent multum, Joannes Hanaelburgenſis non incelebratus medicus, jubente aliquando Sigiſmundo Imperatore ſecedere paululum omneis, qui Comanum neſcirent; nam cum Comanis et ret erat, qui ſunt Hungariæ populi, non paruit Imperio, interrogantique Cæſari cur non exiiſſet, quia ſolos, inquit, abire juſſiſti, qui Comanum ignorent, quæ juſſio haud quaquam me comprehendit. Nam mentiri ac furari, quod eſt Comanorum proprium, nemo æque ignorat atque ego calleo.*

33 *Denique divinæ legis mandata ſub magna nobis mercede commendata ſunt. At ſi unum fregeris, cuncta fregeris.*

34 *Quotorupus qui apud Moravos ultimus regnevit cum ſe abſente regiam conflagraſſe didiciſſet, interrogavit nuncium an cella vinaria ſalva eſſet, eoq; reſpondente abſumtis cæteris illam intactam igni ſuperfuiſſe, & nos, inquit, igitur ſalvi ac læti ſumus.*

35 *Quemadmodum ſuperi amari & timeri volunt, ita & Reges, ait Sigiſmundus. neq; enim bene amet, niſi timeas.*

36 *Vellem Alphonſi arte atque diligentia non ſolum civet, ſed militet quoq;*

Quomodo omni ætate commode uſus ſit Alphonſus. taſſe dubium videri poterit, quòd nunc hiſce adnotamentis adjecturus ſum, mihi quidem ſatis abundè exploratum & compertum eſt, Alphonſum cum pueris innocentia & puritate, cum adoleſcentibus ſtrenuitate ac viribus, cum viris prudentia & conſilio, cum ſenibus gravitate & autoritate, cum acutis ſubtilitate & argutia, cum ingenuis candore & ſimplicitate, cum omnibus deniq; ingenio, doctrina, virtute, arte & ſapientia contendiſſe.

Sapienter. 37 Maximum vero argumentum immortalitatis ſibi videri dicebat, quòd corpus in hac vita decreſcere videremus, ac per omnia membra ſuos quaſi fines & terminos habere. Animus vero quanto ad annos accederet, tanto magis intelligentia, virtute, & ſapientia creſcere.

Juſtè. 38 Cum accepiſſet Gallum medicum acutiſſimi quidem ſed avariſſimi ingenii ſophiſtam, relicta medicina ad cauſſas agendas ſeſe convertiſſe, forumq; omne ſophiſmatibus involvere, illum foro prohibuit, decreto edicto, ut omnis lis, quam Gallus patronus ſuſciperet, ipſo jure haberetur iniqua & injuſta.

Modeſtè. 39 Alphonſus, ſi, pro ut libitum fuerit, ſibi vitam agere liceret, Juliani eremitæ vitam ſeſe electurum inquiebat. Fuit etenim is Panormitanus, incolens amœniſſima loca prope Martini templum, quas Gallico verbu chambres appellant, irriguo horto tenuiq; victu lætus, ac Deo deditus.

Modeſtè. 40 Alphonſus cum interrogaretur, quos è popularibus ſuis percharos haberet: illos, inquit, qui non magis eum quàm pro eo metuant.

Liberaliter. 41 Ab ore Alphonſi nunquam omnino verbum obſcœnum excidiſſe ſcimus,

---

quoq; ingenio malo pravoq; bonos & emendatos reddi. Sed malitia, ut mihi videtur, ſentina vitiorum eſt, quæ nulla virtutis medicamenta ſuſcipiat. Alphonſum vero cum omnibus ingenio, doctrina, virtute, arte, ſapientia non ſolum contendiſſe, ſed tot etiam ut ita dixerim, natus, ut mihi videtur, ad omnia quæcunque aggredi ſtatuat.

37 *In terra Auſtria cum obiiſſet unus ex primoribus annos natus tres & nonaginta, qui vitam inter voluptates illecebraſq; nulla unquam valetudine offenſam duxiſſet, ignotaq; illi omnis calamitas, omnis mæſticia fuiſſet, idque Friderico Cæſari narraretur. Et hinc, inquit, illæ immortales animas cenſere licet. Namq; ſi Deus eſt qui hunc mundum gubernat, ut Philoſophi, & Theologi docent, eumq; juſtum eſſe nemo negat, profecto alia loca ſunt ad quæ poſt mortem animæ migrant, ibiq; pro factis aut mercedem, aut pœnam accipiunt. Nam hic bonis ſua præmia, neq; malis ſua ſupplicia reddi videmus.*

38 *Gallus medicus litem, cui patrocinetur, iniquam facit, Bellum, cui ſe immiſcet Hildebrandus, injuſtum, quod Picininus ſuſcipit injuſtum atq; impium.*

39 *Joannes de monte Damarum natione Suevus, ſit mihi, inquit, actus aliquis, in quo perpetuo degam: opulentum quempiam mercatorem, ut apud Florentinos eſſe aliquot ajunt, fugientem, admota tergo lancea quaſi jamjam capiam, inſequi velim. Sic enim ſequitur ſua quemq; voluptas, ut ait poëtarum latinorum maximus. At dulce otium & privatæ vitæ quies interdicta Principibus, neq; Diocletiano ad hortos reducto aſpiravit fortuna.*

40 *Interrogatus Fridericus Imperator, quinam ſibi chariſſimi eſſent, qui me, inquit, non magis quam Deum timet.*

41 *Juraſſe Fridericum nunquam comperi, niſi cum in civitate Aqueaſi apud Belgas, & cum Romæ coronatus eſſet, idq; juramentum conſtantiſſime ſervet. Cum enim jurejurando promiſiſſet, quæ bona poſſideret Imperium nullatenus alienaturum, & modo hoc modo illud ex eo peteretur, maluit avarus negando, quàm concedendo perjurus videri.*

Eamq;

mus, nunquam interiora membrorum ejus quempiam vidiſſe, nunquam juraſſe, niſi per oſſa patris, & id quidem raró gravi, & de cauſſa.

42 Scimus item Alphonſum Regem non modo vectigalium partem maximam civibus ſuis elargitum, ſed urbes etiam præclariſſimas, Comitatus Ducatusq; ſplendidiſſimos dono dediſſe. Ac interim ſolitum dicere. Regum inprimis ſtudium & officium eſſe populares ſuos locupletes efficere, popularibus enim ditioribus factis, nec nunquam Reges futuros pauperes. *Liberaliter.*

43 Cavernoſum ulcus in tibia exortum ſcatenſque ſolutus Rex, nec ab aliquo retentus, ignito gladio ſcindendum medico præbuit, nullo prorſus aut voce, aut gemitu, aut frontis contractu, doloris ſigno edito. *Patienter.*

44 Laudare Italos Rex conſuevit, tum ob alias cauſſas, tum quòd in prælio paucis equitibus inſtruerent aciem. Siquidem in acie, quæ Hiſpano more pluribus cunctaret, reliquos omnes, quoniam ſeſe explicare non poſſent, inutiles eſſe inquiebat. *Peritè.*

45 Philippus ille inclytus Mediolanenſium Dux cum fœdera inter ſe & Regem inita, ſeſe forſitan neglexiſſe animadverteret, ac proinde indignatum Regem atq; immutatum, ſtatuit ad eum certos oratores mittere Guarnerum Caſtilionem juriſconſultum, Franciſcum Laudrianum & Antonium Piſaurenſem, qui, videlicet, ipſius mentem ac propoſitum ſerutarentur, ſimul & conditiones inter Regem & Ducem ipſum in Gallia conventas, à quibus Rex liber & ſolutus, Ducis culpa videretur, denuo confirmare ac renovare ſummo- *Gratè.*

Eamq; ob cauſſam petenti Borſio Marchioni Eſtenſi Ducatum Mutinæ & Regii, tam diu reſtitit, donec monſtratum eſt eundem Ducatum, qui ſub annuo tributo concederetur, lucri magis quàm alienationis ſpeciem habere, præſertim cum Mutina ac Regium in poteſtate ſua non eſſent, quam rem nos ei potiſſime ſuaſimus.

42 *Auri nummûm centum millia civis quidam Pragenſis recepta chyrographo, Carolo quarto Imperatori mutua dedit, eumq; poſtridie ad prandium invitavit, convocatis aliquot regulis, convivium more Bohemiæ ſplendidiſſimum apparavit. Cum vero potioni & caſeo, ut illi conſueverunt, locus eſſet, neq; enim ſaccaratis confectionibus utuntur, Chyrographum in catino aureo juſſit adferri admirantibus convivis, & quid hoc ſibi vellet quærentibus. Cætera, inquit, fercula Cæſar communia ſibi cum hiſce optimatibus fuere, hoc tui ſolius erit. Nam aurum quod mutuavi nudiuſtertius tibi dono, omneq; debitum remitto.*

43 *Ignis, quem ſacrum vocant, digitum pedi Sigiſmundi Cæſaris exurebat. Et ne altius ſerperet timebatur. Medici abſcindendum digitum ſuaſere, porrexit Imperator & quaſi alius inſcideretur, ita immotus chirurgici ferrum inſpectavit, & pertulit.*

44 *Bohemi apud quos multa plana, raras foſſas invenias equitatum peditatumq; omnem intra currus claudunt, in curribus vero quaſi mœnibus armatos collocant, qui miſſilibus hoſtem arceant. Cum prælium committitur ex curribus quaſi duo cornua efficiunt, eaq; pro multitudine pugnatorum & loci neceſſitate explicant, retroq; & à lateribus tecti in fronte pugnant, interea paullatim aurigæ procedunt, hoſtiumq; acies circumvenire atq; includere conantur. Quo facto haud dubie victoriam parant. Cum hoſtes undiq; feriantur. Eſt quoque plauſtrorum compages ea arte compoſita, ut ad Imperatoris juſſum, qua velit, & quando velit, aperiatur, ſive ad fugam, ſive ad inſequendas hoſtes ubi ratio poſtulaverit.*

45 *Quamvis amici culpa ſolutum ſe fœdere Alphonſus dicere poſſet, memor tamen ſuæ conſtantiæ & accepti beneficii ratas eſſe pactiones voluit, quæ exciderant. Etſi enim ea non*

mopere annitentur. Hi vero cum hac de re argutiſſimam orationem habuiſſent, Rex Philippi ſuſpicione, timoreque deprehenſo, primum illos bono animo eſſe juſſit, dein ſe eodem animo atq; obſervantia in Philippum patrem, qua fuerit olim, cum ab illo degrederetur, eſſe reſpondit. Nec poſſe unquam Philippi errata, ſi modo aliqua ſunt, ſe à propoſito ſemel ſuſcepto dejicere, placere ſibi conditiones & fœdera eadem illa perpetuo fore. Quoniam beneficia ejus erga ſe perpetua eſſent, & perire neutiquam poſſent, quippe quæ velut res divina quotidie ſibi obverſarentur ante oculos, ſuæq; met voluntatis, ſe nuntium allaturum fuiſſe Mediolanum, ſi iter bellis uſquequaq; infeſtum non eſſet, bellum præterea Neapolitanum non tanta pertinacia geſſiſſe, quòd regna alia ſibi deeſſe viderentur, ſed ut captum pacatumq; Philippo benefactori, in aliquam beneficiorum compenſationem traderet, certe ut oſtenderet, ſe non minorem voluntatem in tribuendo, quàm Philippo in conferendo habuiſſe. Itaq; non ſolum pacta, olim conventa firma & inviolata perſtare Philippo referri, ſed regnum Neapolitanum etiam deferri ultrò juſſiſſe.

Strenuè. 46 Jaciebat interdum Alphonſus manu baliſtæ ſagittas quatuor paſſibus quadraginta, refixas in ſuum quamq; foramen iterum jaciens remittebat, eaſdem confixas tertiò jaciens ſigillatim in poſtremam partem feriendo diſtinguebat.

Senenſium eſt, quæ Philippo fuit, erga Regem beneficentia, eſt tamen Regis erga Senenſes illa, quæ fuit in Philippum conſtantia. Propterea ſi fœdus quoquomodo à Senenſibus violatum reperiatur, quod minime credimus, haud quaquam malitia ulla ſed ignorantia fortaſſis ejus rei cauſſa fuerit.

46 *Qualis fuerit Alphonſus juvenis ipſa nunc ætas major oſtendit, quem ſæpe veloci inſidentem equo perſequi feras, ac nunc apros nunc cervos jaculari vidimus, ſuaq; manu ſternere. Quæ opera in tanto Rege ſtrenuitatis magis quam prudentiæ cenſemus. Nam vitam, in qua tot populorum vita, conſiſtit ſine magna cauſſa periculis objectari nolim.*

ALPHONSI ORATIO
IN EXPEDITIONEM
CONTRA TURCAS.

Scio pleroſq; veſtrum mirari P. C. quid ſit quod cum totiens de expeditione in Turcas verba fecerimus, eamq; miro conſenſu omnes capeſſendam cenſuerimus, illa hactenus à me dilata ac penè derelicta videatur, quod equidem nolim arbitremini aut negligentia mea, aut puſillanimitate accidiſſe. Nam & bellum hoc nobis neceſſarium ſemper viſum eſt, & omnino ſuſcipiendum. Verum dum alios Europæ Principes reſpicio, ad quos hujuſcemodi belli cura, vel autoritate, vel potentia aut rerum peritia magis pertinere videbatur, in hunc uſque diem rem diſtulimus, certe ne inſolentiæ aut arrogantiæ argui poſſemus, in præſentia vero cum illorum neminem ad hanc rem animum intendere animadvertam, ac propterea hoſtium animos in dies magis creſcere atq; inſoleſcere, ſtatuo, ſi id quoq; viſum fuerit, bellum, in Chriſti Domini nomine, in Chriſtianorum hoſtes ulterius non differre, non quod ad tantam belli molem per me ipſe ſatis omni modo confidam: ſed quod in Chriſto, cujus res maxime agitur, quàm plurimum ſperem. Hic enim & vires nobis, & opes, & induſtriam, & deniq; victoriam adminiſtrabit. Nam ſi nunquam in ſeipſum ſperantes dereliquit, cur nos, qui non in noſtra potentia, quæ nulla eſt, ſed in ejus brachio & benignitate confidimus, deſtituet? præſertim ejus ipſius ulciſcentes bellum quod contra eum ſuſcepturi ſumus, P. C. qui Chriſti ſummi & Servatoris Dei templum fœdaverit, Mariæ matris effigiem ſagitta per ludibrium transfixerit, Sanctorum Martyrum reliquias, partim igni partim canibus edendas objecerit. Quo quidem in bello ſi vicerimus orbis terrarum præmium erit: ſi victi fuerimus, cælum, utcunq; res cedat, magna nobis & immortalis gloria paratur. Verum ego beneficia Omnipotentis Dei mecum nonnunquam reputans, tria illa vel præcipuè commendare ac præferre ſolen. Primum quòd me non belluam ſed hominem, hoc eſt, animal ratione præditum fecerit. Alterum quòd Chriſtianum. Tertium quòd tot, & tantorum regnorum Regem ac Dominum. Sileo præter hæc plura. Sed his tribus tamen Deo optimo & binigniſſimo me obligatum & obnoxium ſentio, ut mihi niſi mortalium ingratiſſimus eſſe & haberi velim, non amplius oſcitandum aut torpeſcendum ſit, neque expectandum, an quid alii moliantur, aut parent, ſed rumpenda potius mora claſſiq; habenæ immittendæ. Nam per immortalem Jeſum, quid eſt quod ve-

---

Oratio magnanimo Rege atq; ipſo Alphonſo digna, digitus Dei hic eſt. Neq; enim hæc verba, hos ſenſus, hanc denique mentem, niſi ſanctus ſpiritus miniſtravit. Exiit hæc oratio, exiit & ad nos, uſq; in Germaniam delata eſt. Non poteſt dictum indictum eſſe. Belli Rex tria in ſe magni beneficia Dei commemorat, qui non bellua, ſed homo rationis capax ab eo ſit creatur. Nec qualiſcunq; homo, ſed Chriſtianus homo. Nec qualiſcunq; Chriſtianus, ſed Chriſtianus Rex, addere illud modeſtia vetuit, quòd non qualiſcunq; Rex à Deo creatus eſt, ſed Regum, quot habet Europa potentiſſimus & ſapientiſſimus, & quod noſtro ſeculo inauditum eſt, Rex atq; Philoſophus. Verum quoniam honeſtum & laudabile eſt hæc promiſiſſe ſi perficiatur: ita & turpe, & vituperabile fuerit, ſi negligantur. Ad autum vero rem exequendam

verear, quo minus bellum hoc honeſtiſſimum, ac piiſſimum ampleſtar, an ne corpuſculum, an ne regna & reliqua bona, an ne deniq; animam ipſam amittam? Verum hæc omnia ut à Deo mihi conceſſa, ita ipſi Deo tandem reſtituenda ſunt, ut planè profitear, quicquid huic bello deſtinandum ſit, meum non eſſe, at ei, cujus id eſt, jure ac merito reddi debere. Bellum itaq; nobis proponitur, in quo nihil quod noſtrum ſit, perdere poſſumus: ſed in quo etiam perdendo vincamus, perpetuamque felicitatem adipiſcamur. Satis mundo inſervivimus, ſat voluptatibus conceſſimus, reliquum ætatis Deo dandum & conſervandum eſt. Victoriam olim de regno ſeculari dimicantes conſecuti ſumus, quid ſperamus fore ſi de Chriſto ac pro Chriſto pugnam omnium pulcherrimam ſubierimus. Perpudeat jam Chriſtianos, & Chriſtianorum Principes tot populorum à Mahumetanis domitorum, tot Regum procerumq; interemptorum, tot hominum in ſervitutem abductorum, aut in Mahumetanam perditiſſimam hæreſim redactorum, virginum ſtupratarum, Dei veri ac ſanctarum imaginum ſubverſarum, atq; hujuſcemodi propè innumerabilium contumeliarum. Et jam cogitemos capta Conſtantinopoli, hoc eſt, clauſtris Aſiæ deſtructis, ne hoſtium conatibus ſtatim obſtiterimus, de nobis deque Chriſtiana religione protinus actum eſſe. His atq; aliis rationibus adductus P. C. ſi vos item annueritis, bellum pro fide Catholica contra Turcas, quod nobis atq; omnium Chriſtianæ reipublicæ fauſtum felix atq; fortunatum ſit, confeſtim ſuſcipiam.

---

dam neceſſaria eſt Hetruriæ pax, quæ cum pertubata ſit, totam Italiam ſuſpenſam tenet. Hujus pacandæ poteſtas atq; arbitrium penes Alphonſum eſſe nemo dubitat. Suade igitur Antoni, ſuadete omnes, quibus apertæ ſunt Regis aures, ut relicto Picinino pacem Tuſciæ reſtituat. Sic enim aſſumtis in Turcas armis Chriſtianum nomen ut eſt ab eo vulgatum, & tueri & amplificare poterit.

JA-

JACOBI SPIEGELII

SELESTADIENSIS

SCHOLIOLA

LIB. IV.

IN PROEMIUM.

CEleberrima) De nobilitate hujus Inſulæ plura narrat Cicero in principlo quartæ in Verrem actionis, aſſerens eam omnium primam appellatam provinciam.

Saccarumq;) Maniardus Ferrarienſis vir doctiſſimus, multis convincit rationibus veterumq; ſententiis non eſſe Plinianum Saccarum, id omnino quod hodie vernacule Zuccarum vocamus.

Sardinia) Proditum quoque eſt in ea naſci herbam, qua qui veſcitur ridendo pereat.

Corſita) repone Corſica, niſi vernacula ſic Italis vocetur. Hæc contra Genuam Liguſtico mari alluitur, eſtq; vinetis cultiſſima.

Vinum) Vulgus Curſicum vocat.

Ebuſus) E Balearibus una ſitis contra Tarraconenſia litora, Majores minoreſq; olim dictæ. Hodie Imp. Carolo ut Hiſpaniarum Regi parent. In catalogo dictionum recenſente eas titulo diplomatum, Majorica Minoricaque, ut vulgo fit, corruptis vocabulis vocantur.

Cumq; ſit) Sylvius. Veſtivit ſeipſum nitidè magis quàm pretioſè, ſerico raro uſus aut oſtreo paludamento.

Torniamentis) Emendavi toreumatis.

Qui vero Muſica) Conſtat par ſtudium Cæſ. Maximiliano fuiſſe, eoque juvante, quæ vetuſtas ignoravit, muſices inſtrumenta eſſe inventa.

Seneſcet quidem) Ætas Alphonſi reliquiæ aurei ſeculi.

In Cap. I.

1 Servant propemodum morem hunc Auguſti fratres Imp. Carolus & Ferdinand. Cæſ.

Hac de re) Panormita Alphonſi legatus ad Venetos.

2 Idem fecit patrum memoria Sigiſmundus Archidux, Principum omnium ætatis ſuæ extra controverſiam liberaliſſimus, cujus recordatio præſertim Tirolanis, in quibus ſedem habuit, etiamnum in benedictione eſt.

3 Lege quæſo Pontanum in de Liberalitate & in de Magnificentia, ſanè cognoſces in ſpeciem, Panormitam omnino nihil ad gratiam Principis ſui, ſed ipſiſſimæ veritati teſtimonium retuliſſe. Cæterum quoniam hac re non modo par Alphonſo, ſed ſuperior multo fuit aug. me. Princeps meus Cæſ. Maximilian. ex multis incredibilis ejus liberalitatis exemplis, hic ſit ſatis hoc in univerſum meminiſſe. Eum, ſcilicet, in clariſſima Vienna ſua anno à nato Chriſto M. D. XV. in XV. duntaxat diem uſq; ſuis aluiſſe ſumptibus treis Reges comitatumq; eorum, impendendo ſupra ducenta millia aureorum Renenſium, excepto munerum pretio, quæ & multa & magna fuerunt.

4 Imp. Cæſ. Friderico tertio claves regni Neapolitani oblatæ. Panormita Imp. Fridericum excepit oratione.

Auguſta) Leonora, Alphonſi ex ſorore neptis.

Cæſaris frater) Nam Ladislaum Romæ ſub cuſtodia Æneæ Sylvii, cui nihil non fidebat, reliquerat.

Terracina) Reſtitui pro vocabulo ridiculo prorſus Tervacunitia. Vide Blondum in deſcriptione tertiæ regionis.

Stellatem) Volaterrano adjutus repoſui genuinam vocem. Habebat codex meus ab indocto quopiam monacho ſcriptus ſublatum. Vulgus autem agrum Stellatem vocat campum ultra Capuam.

Tranſeo venationes) Unius certe poſterorum memoria dignæ rei non poſſum non hic meminiſſe, hæc enim à Pontano relata eſt fideliter, libro jam citato tit. de Nuptiis. Friderico tertio, ut alia taceam, inquit, venatio exhibita eſt, quatuor millibus paſſuum à Neapoli, qui locus à Regibus venationi ſtatutus eſt; fixa tentoria in campis ſecundum Angujanam paludem, fontes è vario vini genere paſſim ad littus facti, menſæ apparatæ, in quibus ſupra triginta hominum millia diſcubuere. Huc accedit, quod qui ſpectandi gratia convenerant, plurimi mortales, onerati eſculentis plurimorum dierum domum rediere. Neſciam an Sol hoc magnificentiæ genere quicquam viderit magnificentius.

5 Pacem autoritate procuraverit) Sed quæ morte ejus ſtatim turbata eſt. Lege Pontanum in hiſtoria. Italia impatientiſſima eſt diutinæ tranquillitatis ob partium ſtudium, quod cum lacte bibit, unde calamitas illi perpetua & nata eſt hactenus, & naſcetur. Maximè vero ad Romanorum præſulum caſus impunitate propoſita, calamitatibus variis intra ditionem Eccleſiæ confligitur. Exempla habes apud Cardinalem Papienſem, & qui poſt eum ſcripſit Platinam. Oblivio privatarum injuriarum ob publicum bonum ſummopere commendanda.

Sors mentem abſtuliſſet) id eſt fatalis eventus. Innuit autem calamitatem non eſſe adjungendam calamitati.

Inhumaniſſimum) Quinimo iniquiſſimum, juxta tex. in C. cum percuſſio 7. q. 1. l. divus Marcus ff. de offic. Præſid. cum jurib. ſimilib. quæ Accurſianum ſcholium indicat.

7 Purgatum regnum) Ulpianus, congruet, inquit, bono & gravi præſidi
Quomodo provincia purganda. (quod nomen ceu generale, ut Macer Juriſconſ. docet, omnes provincias regentes complectitur) curare, ut pacata atq; quieta provincia ſit, quam regit, quod non difficile obtinebit, ſi ſollicitè agat, ut malis hominibus provincia careat, eoſque conquirat, nam ſacrilegos, latrones, plagiarios, fures conquirere debet, & prout quiſq; deliquerit, in eum animadvertere: receptoreſq; eorum coercere, ſine quibus latro diutius latere non poteſt. Certe a Romano Principe, qui a media ferè antiquitate modo Imperator, modo Cæſar communiter appellatur, cæteri Reges Proconſulum legatorumve loco verius cenſendi veniunt. Solus namq; Romanus Princeps, idemq; Germaniæ fortiſſimæ vereq; liberæ nationis Rex, Monarcha habendus eſt, a cujus obedientia, vel ſi mavis, ut vulgus loquitur, recognitione aliarum provinciarum magis quàm propriè regnorum ſeſe Reges ſubtraxere de facto, ut Bartolo cæteriſq; veritatis amantioribus viſum eſt, quicquid pro Rege ſuo Sorbonicus quidam Beda mendacii patronus, calumniatorq; quod orbi conſtat, nequiſſimus deblateret adverſus auguſtam Germanici ejuſdem & Rom. Principis majeſtatem, qui idem & Cæſar, & Imperator, & Auguſtus à Deo per os ſeptem virorum quos Electores appellamus, conſtituitur. Ridiculum autem, imò per ſummam impudentiam, nonnulli ſibi Gallorum dynaſtæ ſtemma Germanicum uſurpant, nuper ad regnum vocati, quum luce meridiana clarius ſit à Gallo Capetio, qui regium nomen invaſit, duntaxat Gallos in non ultra vere Francia, ſed Gallia Celticà rerum eſſe potitus, jam planè qui è Francis Germanicis regnarant in Gallia abſorptis.

8 Significans magnæ felicitatis eſſe ab improba muliere liberari. Placuit

Eraſ-

by Google

Eraſmo & hoc Alphonſinum inter cætera locare num. 15. ut & mox ſequens num. 14.

9 Sive quòd exiſtimaret multo optabilius eſſe, hoſtes in fugam vertere, quam occidere, ſive quòd putaret hoſtes pecunia ſollicitandos, ut ab acie diſcederent, Sic interpretatur Eraſmus noſter.

10 Habes argumentum vere conſtantis animi. Ejuſmodi fuit & Cæſ. Maximil. nec ſecundis elatus rebus, nec animo adverſis infracto.

11 Vocem audis vere Chriſtiano Rege dignam.

12 Nil ſe dolere) Quid hac moderatione civilius? Hoc exemplo facile eſt intelligere iis ignoſcendum, qui imprudenter delinquunt.

13 Antonio ſcilicet Caudola, de illo ſupra cap. 33. lib. 3. Caudolarum familiam præpotentem Alphonſi filius Ferdinandus Rex ſuſtulit.

Proditores) Italica vulgari lingua vocabulo hoc intelligitur, majeſtatis reus conſpirans in cædem Principis & publicæ tranquillitatis perturbator. Certe jure noſtro quæcunq; contra ſummi Principis voluntatem fit coitio, ut ſuſpecta pro conſpiratione rebellioneq; habetur. Quæ Principis autoritate nititur, ut nuper invictum Suevicum fœdus, juſta eſt maximè cenſenda. Eſt privatis ſocietas conceſſa modis tamen legitimis contrahenda.

Igne comburi) Pompeji exemplo, qui quum Sertorii literas in Hiſpaniis intercepiſſet, in quibus erant incluſæ complurium Ducum epiſtolæ, Sertorium ad novandas res ſtatumq; civitatis immutandum Romam invitantium, excuſſit omnes, ut improbis daret pœnitentiæ locum & in melius mutandi conſilia facultatem, ſimulq; docens quantum ſit crimen alienas reſignare literas, aut quod tibi per literas obſignatas creditum eſt, in lucem efferre. Lege Plutarc. in vita Pompe. Et eſt hic Alphonſini animi liquidum metu liberi argumentum.

14 Attende Indolem excelſam Alphonſi adoleſcentuli Regis. Pulchrè innuit paucos bonos Regum eſſe conſiliarios.

O amici) præſens reſponſum.

15 Non mirum igitur ſi Regum omnium ætatis ſuæ ſapientiſſimus ſit habitus. Hoc enim non præſtat nativitas, ſed inſtitutio recta frequenſq; lectio, vel Regibus inprimis neceſſaria, propterea quam ea in libris inveniant, de quibus a ſuis raro admonentur. Nam ferè hoc ſtudium eſt his, qui vivunt in aulis Principum, ne quid commoneſaciant, niſi blandum auribus. Qua de re ſupra nonnihil quoq; annotavimus. Quod ad hunc quoq; locum facit a Pontano in libro de Principe quod memoratum eſt à me in præfatione libri 3. & annotatum eſt. Cui addendum duxi, quod eodem autore Alphunſus nunquam ſine libris in expeditionem profectus, tentorium, in quo aſſervabantur, juxta ſe poni jubebat. Cumque nullas Fabiorum, Marcellorum, Scipionum, Alexandrorum, Cæſarum haberet imagines, alias, quas intueretur, in libris inſpiciebat, quibus geſta ab illis continerentur.

18 Ex hoc cap. deprehenditur Alphonſi Regis melior natura, ſingularis doctrina, commendanda exercitatio, raraq; in Rege affabilitas.

19 Ex libris) Hac voce profitens ſe libris debere omnia. Eſt & apud Eraſ. ut præcipuum haud immerito obſervatum num. 13.

20 Cyrus major, quo non alius Regum populo fuit charior, dicebat. Neminem debere ſuſcipere Principatum, niſi melior his In quos ſuſciperet. Socratis hoc dictum, ſive neſcio cujus, multo magis ad Principes, Magiſtratus & Epiſcopos Chriſtianos pertinet, quam ad Ethnicos.

21 Obſervandum verbum Chriſtiano Principe dignum. Genus omne vitæ turpis abrogare autoritatem docenti vulgatiſſimum illud apud Catonem carmen admonet.

Turpe eſt doctori cum culpa redarguit ipſum.

22 Aſperius regnare) Certe ut proditum de Alphonſo eſt, invitus ac ceſſit ad capitale ſupplicium, oderat tamen ſcelus, ſeduloq; vindicabat, ne quis impune peccaſſe ſe gloriaretur.

Trul-

Trullam auream) Bracellus ſcribit in fine hiſtoriæ ſuæ conventum eſſe de aurea patera quotannis Regi mittenda, ut ejus animus eo munere delinitus, & memoriam exueret quod devictus captuſq; fuiſſet, & fœdus attentiore cura ſervaret.

23 Cur male habitent, qui mediam domum incolunt.

24 Exemplum egregium de eo, quod in re ardua non eſt ceſſandum. Genuenſium fuga.

25 Pontiam Inſulam) Vide Blon. de hac inſula in tertia regione ſupra citata.

Maturare) pro properare uſurpat, nec ſine bonorum Scriptorum exemplo.

26 Cinerem omnes æquare.

27 Aliorum ſales pertulerit) Fortaſſe in ſe retortos, aut intempeſtivos & obliquos. Sic Julius Cæſar dicteria in ipſum torta probavit.

28 Idem Cæſ. Maximilianus fecit in quendam equitem Montiferraten.

29 Venatione uſus eſt) Plane regia exercitatione. Sane Xenophon gravis autor lib. de Venatione à ſe ſcripto, probare contendit venandi ſtudium plus ad virtutem habere momenti, quam cuivis credibile videatur. Quam vero Cæſ. Max. venationi fuerit deditus, non Germaniæ noſtræ tantum, ſed norunt etiam & Tagus & Ganges, forſan & Antipodes.

Lycurgus tradidit) autor idem Xenophon, qui & ejus rei meminit in libro quoque de rep. & Lacedæmon. Legibus, quem Fr. Philelphus latinitate donavit.

30 Ab Diis olim) Notavit verius Principum ambitionem, etſi inter privatos neminem quoque ſua portione contentum eſſe reperias, ut eſt apud Eraſ. num. 12.

31 Libri ſunt magiſtri præceptoreſq; Regum.

32 Mendaciloqui qui.

33 Comparat vitrariis beatam vitam.

34 Alphonſo fuera codices quovis theſauro pretioſiores.

Diffamatiſſimè) pro divulgatiſſimè. Quicquid autem ex hoc genere ubiq; præſtans inveniebatur, ante Alphonſum ad Ducem quendam ea ætate Bituricenſem deferebatur à mercatoribus, quòd nunquam pretio videretur, quod & Fridericum tertium Aug. Principem alioqui minimè profuſum feciſſe conſtat. Mortuo Bituricenſe nunquam quievit Alphonſus, donec eam laudem ad ſe transtulit, præſtantiſſimi quibuſq; gemmis, lapilliſq; ab ſe emptis: quin etiam cum aliquando compertum haberet inſignes quaſdam gemmas venales non eſſe, magna pecunia, ut eas videre poſſet, redemit. Paulus ſecundus P. M. viſus eſt hac in parte, gloriæ horum invidiſſe, & quamvis id agere ſe oſtenderet, ut in Pontificios ornatus ac templorum ornamenta ſplendorem hunc ſuum conferret, judicatum tamen eſt ſupra Pontificis gravitatem huic rei induſiſſe. Siquidem in mitram multas opes contulit, coëmtis undique ac magnis impenſis, adamantibus, ſapphiris, ſmaragdis, Chryſolitis, Jaſpidibus, unionibus & quicquid gemmarum in pretio eſt, quibus ornatus tanquam alter Aaron in publicum forma humana auguſtiore prodibat. Inſpici tum ab omnibus volebat & admirari. Hanc ob rem nonnunquam peregrinos in urbe retinuit, intermiſſa oſtendendi conſuetudine, quo à pluribus eodem tempore cerneretur. Pont. autor in de ſplendore, & Platina in vita Pauli ſecundi.

35 Hominum actiones media voluntate temperandas.

36 Arte pravi ſubditi meliores reddendi. Enumerat ſinguiares vereq; regias Alphonſi virtutes.

37 Scite colligit Rex immortalitatem animæ.

38 Sophiſta cauſarum patronus foro prohibitus.

39 Sibi vitam agere liceret) Quoniam juxta præceptum Apoſtoli, Unuſquiſq; in ea vocatione, in qua vocatus fuit, manere debet.

40 Sentit illos eſſe ex animo amicos qui Principem magis amant, quam timent. Sic interpretatur Eraſ. num. 11.

Ob-

41 Obſervandum Regem Alphonſum nunquam juraſſe, niſi per oſſa patris. Nec quiſquam unquam Cæſ. Maximilian. jurare audivit, obſcœnúmve verbum excidere ab ore ejus. Totus virgineus facie, lingua, moribuſq; fuit. Sed tamen affabilis, facetus, urbanus, jucundus & apertus erga eos quos in arctiorem familiaritatem ſelegerat.

42 Immenſa liberalitas Alphonſi ſcientis bonum Regem habere quidquid ſubditi poſſident.

Locupletes efficere) Nobile Conſtantii dictum huc adſcribendum putavi. Is amicis admonentibus quod in augendo fiſco videretur indiligentior, reſpondit. Publicas opes rectius à privatis haberi, quam intra unum clauſtrum reſervari.

Popularibus enim) Sapienter. Quoniam ſubditorum amor atq; benevolentia, veri ſunt Principum theſauri atq; divitiæ. Non pecuniæ imperatæ.

45 Alphonſus violati erga ſe fœderis nihilo ſecius obſervator candidus.

In Philippum patrem) Rarum gratitudinis exemplum.

Quoniam beneficia) Vulgus hominum contra facit. Si quid cui benefecerunt ſine fine prædicant, in ſe collocati obliviſcuntur beneficii.

Sed regnum Neapolitanum) Idq; ex animo inde apparet quòd eum Alphonſus teſtamento hæredem ſcripſerit in periculo quondam mortis, provocatus, opinor, ipſius benevolentia, qui prior Alphonſum hæredem inſtituerat in ſimili periculo.

46 Jaciebat) Sic legendum ut ſenſus conſtet, & non dicebat. Sed ut fides conſtet ſagittandi Alphonſinæ peritiæ haud gravabor ſubjicere Suetonii verba in Domitiano, quæ ſequuntur. Armorum nullo, ſagittarum vel præcipuo ſtudio tenebatur. Centenas varii gentis feras ſæpe in Albano ſeceſſu conficientem ſpectavere plerique, atq; etiam ex induſtria ita quarundam capita figentem, ut duobus ictibus quaſi cornua efficeret. Nonnuquam in pueri procul ſtantis præbentiſq; pro ſcopulo diſpanſam dextræ manus palmam, ſagittas tanta arte fixerit, ut omnes per intervalla digitorum innocuæ evaderent.

Diſtinguebat) pro findebat non intelligam.

EJUSDEM

JACOBI SPIEGELII

SCHOLIA IN ORATIONEM ALPHONSI REGIS.

SCio plcroſq;) Eſt hæc oratio petita potius cx rcbus, quàm cx artificio. Sed ſanè Rege digna.

Verum dum) Notatur ignavia Principum temporis ſui.

Hic enim) Fiducia in Chriſtum.

Si victi ſuerimus, cœlum) Perſuaſione condonationis delictotum.

Capta Conſtantinopoli) Nicolaus Quintus P. M. dum Conſtantino ſerius ſuccurrit, illum cum urbe Conſtantinopoli Mahometo Turcarum Regi trucidandum objecit, autor Pontanus in de beneficentia.

Confeſtim ſuſcipiam) Sed ſuſceptum ab eo nuſquam legitur. Quamvis teſte Ponrano Alphonſus Rex, ut magnam auri ſummam à ſacerdotibus exigeret, trajecturum ſe cum exercitu in Græciam adverſus Turcas ſolenni voto, ſacta etiam re divina publicè profeſſus eſt, quod huc Regem præſtantiſſimum effuſio compulerit. In Albania tamen & pecuniis & militaribus præſidiis juvit Georgium Caſtriotum cognomento Scanderbechum, virum fortem multiſq; nominibus clarum. Extat ejus rarum grati animi exemplum in Regem Ferdinand. Alphonſi F. cui circumſeſſo penè Barolin in Apulia ab Jo. Antonio Urſino, ac Jacobo Picinino ejus Duce ex inſperato affuit cum claſſe eq. circiter M. nec multo minore ped. numero, non rogatus ipſe, non certior ab Rege factus, ſed tantum memor beneficiorum ab Alphonſo illius patre in ſe collatorum. Qui & Trojam urbem, quæ nunc Croja eſt, à Turcis recepit autores Sylvius, Pontanus, Volaterranus.

AL-

ALPHONSI REGIS
TRIUMPHUS.

POſteaquàm Rex cum Principibus Regni decreverunt conventum celebrare Neapoli relicto Benevento, Primum Averſam, deinde templum divi Antonii extra muros Neapolis petiere, ibique tantiſper remorati ſunt, dum quæ ad triumphi ſpectaculum pertinerent, pararentur. Conſtituerant enim cives Neapolitani uno conſenſu omnes Regem triumphantem excipere, tum ob mirabilem victoriam tum ob clementiam Regis inauditam. Igitur ſexto & viceſimo Februarii die Rex ſeſe cum Principibus oſtendit ad portam Carmelitanam juxta quam non modica murorum pars diruta erat à civibus, & in honorem victoris introeuntis patefacta, atq; ibi triumphalis currus paratus, ſublimis & inauratus. In cujus ſummitate ſolium erat auro purpuraq; adornatum. Currui alligati erant equi albentes quatuor, totidem rotas tracturi, nimis feroces, ſericis loris, aureis frenis redimiti. Erat itam in curia contra Regis ſolium, ſedes illa periculoſa viſa flammam emittere inter Regis inſignia, valde & quidem præcipuum. Circumſtabant & currum viri patritii viginti, ſinguli ſingulas ſurſum haſtas tenentes, quibus deſuper gabatur aureum pallium, nuſquam alibi in tali re æquè pretioſum audi allitum, è cujus faſtigii extremis lineis, Regis & regni & civitatis ſigna circumpendentia haud invenuſtè ventilabantur. Sub hoc autem pallio aut potius umbella, Rex ipſe ſedens triumphanſque devehendus erat. Sed antequàm currum cunſcenderet, aliquid ſe dignum dicere aut facere conſtituit. Itaque vocato ad ſe primum Gerardo Caſpare de Aquino. Ego, inquit, adoleſcens ob merita & ſervitia patris, te Marchionem Piſcariæ conſtituo creoq; ſimulq; te hortor ad fidem, conſtantiam, & integritatem ejus, in cujus honorem nos hodie te tam ſublimi dignitate honeſtamus, quam patris beneficio partam, poſthac tua propria virtute conſerves, & amplifices. Te quoq; Nicolae Cantelme ob fidem & obſervantiam tuam Ducem facimus urbis Foræ, & te Alphunſe Cardnna ob præclara militiæ facinora ſingularemque virtutem, Rhegii Comitem deſignamus. His ferè verbis, eademque animi gratitudine complures in Comitatus dignitatem ſublimavit, Franciſcum Pandonum Venafri, Juannem a Sancto Severino Nurſii, Franciſcum ejuſdem cognomenti Maraciæ, ac Americum Capacii Comites fecit. Mox propè innumerabilibus viris de ſe bene meritis equeſtrem contulit dignitatem, quos recenſere omittimus, ut ad majora & ſimul jucundiora properemus. Poſthæc in Chriſti Dei veri ac ſapientiſſimi nomine, cui omnem victoriæ laudem, ac gloriam referri ſemper ac vehementer voluit. Currum aſcendit veſte ſerica coccineaq; demiſſa longeque protracta pellibus, quas Zibellinas vocant ſuffulta, capite detecto. Nunquam enim adduci potuit, quanquam à pluribus, & quidem viris magnis ſuaderetur, ut coronam lauream de conſuetudine triumphantium acceptaret. Credo quòd ſingulari ejus modeſtia ac religione Deo potius coronam deberi dijudicaret, quam cuipiam mortali. Sed ubi eminens in curru viſus eſt, tantus & virorum aſtantium & mulierum ſupra tecta domorum ſpectantium clamor & plauſus exortus eſt, ut nec tubicinum clangor, nec tibicinum cantus quanquam

quam

quam eſſent hi propè innumerabiles præ clamore exultantium quicquam omnino exaudiri poſſent. Erat interim cernere homines partim præ lætitia illachrymantes, partim præ gaudio ridentes, partim novitate rei obſtupentes. Progreſſus vero aliquantulum ſubſtitit, donec præcedentium agmen expediretur. *Laus Florentinorum.* In quibus Florentini omnium primi varios ludos ſingulari induſtria excogitatos, grandi affatim impenſa conſtructos in hunc modum explicaverunt. Præibant ſtatim poſt tibicines tubicineſq; adoleſcentes decem longo ordine in veſte, diploide ſerica coccineaq; argento & margaritis, prout inventum aut affectus cujuſq; dictaverat, exornata, caligis purpureis, ſeu, vulgo dixerim, ſcarlateis, multo ſimiliter argento gemmiſque diſtinctis, adequitantes omnes eximiæ pulchritudinis equos, & hos quidem nolis tintinabuliſque undiq; reſonantibus adornatos, ſcafiis innixi, ut ſellam ſi quis paulullum clune contingeret, veluti probro aliquo erubeſceret, dextera levata medium haſtile criſpabant, pictum & illud ac variis floribus inſperſum, quod modo in caput quiſque rotabat, modo in ictum protendebat, modo ut ſua cujuſque libido erat, attrectabat, ſertum unicuiq; capiti erat laminis quibuſdam aureis diſtinctum, quod tamen coram Rege tranſeuntes miſſis habenis ſiniſtra proni capite deponebant. *Fortuna.* Sequebatur hos rerum domina fortuna ſuper tabulato pictis tapetibus inſtrato, & ea quidem veluti curru alto ſublata vehebatur, capillis à fronte protenſis, occipite autem calvo, ſub cujus pedibus erat ingens aurea pila, & hanc infantulus quidam ſpecie Angeli extenſis brachiis ſublevabat, ſed is Angelus ſub aquis veſtigia firmabat, fortunam modico intervallo ſequebantur virtutes ſex pulcherrimis atq; inſtratis equis devinctæ, habitu perhoneſto & antiquo. Cæterum ut dignoſci poſſent, ſuum quælibet præ ſe ferebat inſigne. *Spes Fides Charitas.* Prima omnium Spes coronam, proxima Fides calicem, Deinde Charitas infantulum nudum oſtentabat. *Fortitudo.* Quarta proinde incedebat Fortitudo columnam marmoream manibus ſuſtentans. *Temperantia.* Quinta erat Temperantia, manibus phialas gerens, aqua vinum commiſcebat. *Prudentia* Ultima vero Prudentia ſpeculum dextera, læva ſerpentem populo exhibebat. *Juſtitia regina virtutum.* Juſtitia reſtabat, quæ velut regina cæterarum æquo modo contenta, ſub ornatiſſimo quodam pulpito eminens vectabatur, ornatuq; cultuq; conſpicua, dextera nudum enſem, læva vero trutinam geſtans, quæ velut ſequentibus ac colentibus ſe imperium eſſet præbitura. Poſt humeros loco eminentiore ſolium conſtituerat, & hoc quidem auro purpuraq; decorum, *Angeli tres.* ſuper quod Angeli tres, quaſi cœlo viſi deſcendere, coronam quiſque ſuam ſibi polliceri videbantur, qui hujuſmodi ſolium propter juſtitiam mereretur: *Mercet Juſtitia.* ſedem hanc pulcherrimam ſequebatur turba equitum maxima in habitu formaq; diverſarum nationum, principum, procerum. Sed ut hi ſedem ſequebantur, ita & currum perſonati Cæſaris anteibant. Adventabat enim Cæſar eminentiſſimo atq; exornatiſſimo quodam in pulpito devectus, ad quem gradibus inſtratis aſcendebatur. *Cæſar.* Stabat enim Cæſar laurea caput devinctus, armatus, paludamento amictus, dextera ſceptrum præferens, læva auream pilam. *Mundus.* Sub cujus pedibus mundus in formam ſphæricam continuè movebatur. Conſtitit coram Alphonſo & in hanc ferè ſententiam locutus eſt rhythmiſq; maternis. Ego te præcellentiſſime Regum Alphonſe, cohortor, ut ſeptem has virtutes, quas coram te modo tranſire vidiſti, quas perpetuo coluiſti, ad ultimum uſq; tecum ſerves. Quod ſi feceris, ut facies, certe ſcio, quæ te nunc triumphantem populo oſtentant, aliquando dignum efficient ſede illa imperatoria, quam modo tranſeuntem intuitus, concupiſti. Quacum, ut vidiſti, Juſtitia ſimul deducebatur, ut intelligeres ſine juſtitia neminem veram ſolidamq; gloriam aſſecuturum. *Fortuna.* Sed fortunæ quæ tibi paullo ante crinem aureum porrigere videbatur, nequaquam confidas, fluxa & inſtabilis eſt. *Virtut.* Ecce & mundus volubilis, & præter virtutem omnia incerta. *Florentia libertatis ſtudioſa.* Hanc igitur quod facis, religioſiſſimè colas. Ego Deum optimum maximum rogabo, ut te in proſperitate, & Florentiam in libertate conſervet. Hæc locutus Cæſar, agmini ſeſe immiſcuit, & ſecuti ſunt bino ordine Florentini numero

mero circiter LX. tunicis omnes purpureis ac coccineis amicti. Poſt hos veniebant Hiſpani, hi quos Latini Celtiberos vulgo Cathalanos vocitamus, & hi magna celebritate, magnoq; ſpectaculo ludos peragentes: aduexerunt enim equos quoſdam manu factos veris viviſque ſimiles; hos juvenes equitabant veſte ad terram uſque demiſſa, cumque ſuis pedibus juvenes moverentur, equi modo curſum arripere, modo in gyrum flecti, modo inſequi, modo fugere videbantur. Erat equitibus ſcutum ſiniſtra Regis inſignibus depictum, dextera nudus enſis. Contra hos pedites aderant ornatu Perſico Syroque ſuccincti, tiaris acinacibuſque formidabiles. Movebantur primo unà equites pediteſque leniter ad harmoniam, vel ad numeros, choreas more ducentium, ſaltabant. Deinde concitato ſenſim cantu, & ipſi pariter inflammabantur prælium que miſcebant. Atque ita magno militum clamore magnoq; aſtantium riſu aliquandiu digladiabantur, donec victores Hiſpani Barbaros undeunde fugabant, capiebant, proterebant. Poſt hos vehebatur lignea ingens turris mirificè ornata, cujus aditum Angelus ſtricto enſe cuſtodiebat. Nam ſuper eam vectabantur virtutes quatuor, Magnanimitas, Conſtantia, Clementia, Liberalitas. Hæq; ſedem periculoſam, inſigne illud regium præ ſe ferebant, cantantes ſuam quæq; compoſitis verſibus cantionem. Omnium primum Angelus ad Regem verſus in hunc ferè modum diſſeruit. Alphonſe Rex, ego tibi caſtellum hoc, & ſuperaſtantes quatuor inclytas virtutes offero manuque trado, quas quomodo tute ſemper veneratus & amplexus es, nunc te triumphantem comitari gratanter voluot. Proxima huic Magnanimitas Regem hortabatur ad animi excellentiam. Subinde demonſtrans Barbaros illos ab Hiſpanis victos, fugatoſq;, ut intelligeret Rex ſiquando bellum ſuſcepturus eſſet contra infideles & à Chriſti nomine abhorrentes Hiſpanos præſto eſſe, ac proculdubio victores evaſuros. Tertia erat condimentum virtutum omnium Conſtantia, & ipſa Regem admonebat ut humanos caſus, ſi quando accidunt, armato conſtantiq; animo perferret, ab honeſto glorioſoq; propoſito nullo infortunio abduceretur. Fortunam ſiquidem omnem ferendo ſuperari. Clementia deinde vultu præ cæteris exhilarata, velut in Rege, quaſi in ſpeculo ſe ipſa intueretur. Reliquæ ô Rex, inquit, hæ ſorores inter mortales tete ſanè præſtantiſſimum reddunt. Ego vero te non hominibus, ſed diis immortalibus facio æqualem. Illæ quidem vincere, ego te victis parcere, eoſdemq; tibi conciliari monſtravi. Hæc breviter effata conticuit. Liberalitas poſtremò in vulgum pecuniam prodigebat, ſignificans Regem actorum gloria dumtaxat contentum, reliqua omnia popularibus elargiturum. His itaq; mirum in modum compoſitis ac præcedentibus currum, quinq; aderant viri nobiles coccinea chlamyde induti, ex quolibet theatro unus. Dividitur enim civitas omnis Neapolitanorum in theatra quinq;, quæ illi à conſedendo ſedilia appellant. Hi quidem præerant currui dirigendo, equiſque regendis, toti deniq; præcedentium agmini, ordinando, tum ſcipionibus, quos dextra præferebant, tum autoritate maximè extimeſcendi. Præcedebat jam Alphonſus auguſta majeſtate venerabilis, ac totius corporis dignitate ſpectabilis. Et rurſum clamor plaudentium ad cœlum uſq; perlatus eſt. Currum pedibus omnes ſequebantur, ac totius regni reguli ac Principes ordine quaterni, omnium primi Ferdinandus Alphonſi triumphatoris filius, præclaræ indolis puer, Joannes Antonius Princeps Tarentinus, atq; hi medii: à quorum dextera Raymundus Princeps Salernitanus, à ſiniſtra Abranius Regis legatus. Deinde vir maximus proq; ſua fide & conſtantia ſempiterna memoria dignus Joannes Antonius Sueſſanorum Dux, Honoratus Fundorum Comes, Petrus inclyti Mediolanenſium Ducis legatus. Tertio ordine Antonius Dux ſancti Marci, Trajanus Dux Melfiæ, Antonius Xantilla Marchio Catroni, Jacobus Comes Nicolai Picinini viri fortiſſimi filius. Deinde ſuo ordine quoq; Duces Comiteſq; duo de quadraginta, proceres & barones circiter centum, equeſtris ordinis viri propè innumerabiles, præſtantium virorum, graviſſimorum Pontificum, literatiſſimorum hominum infinita etiam multitudo. Diceres

Laudes Hiſpanorum.

Pugna.

Turris pacis.

Magnanimitas.

Clementia.

Liberalitas.

poſt currum frequentiam ſi cerneres, non alibi in urbe homines eſſe poſſe. Sed ita præterea forum illud ampliſſimum, ita palatiorum omnium culmina, ita feneſtræ, ita januæ, ita porticus, ita viæ, ita theatra, ita loca omnia referta erant hominum, tum exterorum omnium undiq; ad ſpectaculum confluentium, tum civium ipſorum, ut ſi poſt currum nullum vidiſſes, nihil hominum ſupereſſe contenderes. Jam Alphonſus per media ſui triumphalis arcus fundamenta cepta, jam iter faciebat, monumentaq; rerum ſuarum paululum conſpicatus, numulariorum verſus regionem ire perrexit, ubi viarum pavimenta floribus ac frondibus ſparſa erant. Sed quod nuſpiam viſum, nuſpiam lectum eſt, feneſtræ ipſæ impoſitarum domorum coccineis, multoque auro contextis pannis jungebantur. Subter hoc aureo quaſi velo Alphonſus magno argentariorum mercatorumq; omnium plauſu, novoq; etiam ludorum apparatu, ac feſtivitate incredibili prætervectus, ad portæ novæ theatrum protinus pervenit, ubi virorum, puellarumq; ſanè pulcherrimarum infinita propè multitudo choreiſantium, concinentium, Regem ipſum incredibili deſiderio, infinita lætitia opperiebantur. Erant in hoc ſicut in cæteris theatris, parietes ipſi peregrinis aulæis, ſtragulisq; veſtiti, mulieres præſertim purpura, auro, mundo, gemmis, ſumptuoſiſſimè cultæ, in luxu ſatis erat, ipſi quidem Regi domino, patri, benefactori, cultus, ornatus omnis referebatur, exolvebatur. Igitur præſentem ipſum, ſaltatione cantuq; dimiſſis, aut rectius intermiſſis, puellæ omnes genuflexæ manibus junctis, quaſi Deum aliquem ipſarum pudicitiæ cuſtodem adoraverunt. Itidem viri facere, bonis viaq; ſervatis. Indeq; profectus theatrum, qui portus dicitur, offendit pari ſaltatu, pari exultatione deſudans, nec minore exornatu & venuſtate puellarum numerum, quæ item cultu, munditiaq; perpolitum, eadem gratitudine ac reverentia Regem conſervatorem exceperunt. Inde in tertium deductus theatrum nobile & antiquum, nulli ſuprà commemoratorum inferius, ſive parietum ornamentis, varietateque picturæ, ſive puellarum multitudine, ſive feminarum pulchritudine capiaris, ſive cantu demulcearis, ſive ſaltatione forſitan oblecteris. Et hic quidem omnes piiſſimo ac clementiſſimo Regi immortales gratias egerunt: & in Montaneam vetuſtiſſimum theatrum ſe contulit, ſimili cultu, ſimili gratulatione, ſimili omni affectione, à viris puelliſq; ſuſceptus. Inde digreſſus ad marmoreos matris Eccleſiæ gradus curru deſcendit, ac cum Principum procerumq; ſubſequentium pompa templum ingreſſus, Chriſti Jeſu veriſſimum numen humillimè comprecatus eſt, illi victoriæ laudem, illi triumphi gloriam, illi virtutum omnium honores, ac gratias tribuens. Exinde Jannotum Ritium de ſe bene meritum, virum equeſtri dignitate exornavit, currumq; conſcendit, cum magna ac propè incredibili puellarum, quæ in Theatro Capuano Regem opperiebantur, lætitia, ac plauſu. Nuſquam alibi aut rerum magnificentia, aut nympharum formoſitate, aut virorum generoſitate, aut animorum gratulatione, aut deniq; perſonarum rerumq; omnium ſplendore major apparatus habebatur. Hac itaq; Rex prætervectus in arcem tandem Capuanam ſplendidiſſimo huic theatro vicinam, & jam adveſperaſcente die perductus eſt.

IN ALPHONSI REGIS TRIUMPHUM

SCHOLIA SPIEGELIANA.

UNde ſuſcepta fuerit triumphandi ratio, Pontanus attigit in de Magnificentia, Alexander ab Alexandris copioſius in cap. 22. lib. Genialium Dierum primi. Rob. Valturius exactius, ut omnia ejus disertè ſcripta ſunt, lib. 12. de re Militari. Eſt autem triumphus omnium militarium honos ſupremus, maximaq; omnis utriuſq; ſexus, ætatis, univerſæ urbis exultatiu & occurſus.

Murorum pars diruta) Sic Cæſar. Maximilian. Ultrajectinis ad imperata facienda compulſis, eorum urbem non niſi muri diſiecta parte ingredi voluit.

In cujus) Deſcriptio arcus triumphalis.

Piſcariæ) Olim Aternus urbs.

Soræ) Priſtinum nomen retinet, ſed nunc mediocre oppidum.

Reghyi) Sic ſcribendum ad differentiam Regii Lepidi urbis in Ciſpadana regione. Hoc in Siculi freti littore jacet ad frontem Apennini in id freti porrectum, clarum Apoſtoli memoria, qui Syracuſis relictis, hoc primum loco Italiam attigit.

Venafri) Civitas Samnii oleis abundans.

San Severino) Id oppido in Campania nomen eſt. Si gentis Sanſeverinæ originem petis, tibi legendus eſt Pontanus in lib. primo hiſtoriæ ſive de bello Neapolitano.

Nurſii emendandu Nurſiæ) Eam Plinius inter Sabinos, Strabo inter Umbros ponit.

Maraciæ) Sic pro Marathææ, ut mox pro Capinacii, Capacii ponendum puto, recentioraq; oppidorum nomina ſunt, ut apparet. Meminit autam Panormita Americi cap. 42. lib. t.

Poſthæc) Victoria Deo tributa.

Nunquam enim) Corona recuſata.

Fluxa) Quod ſignat Genius ſub aquis veſtigia figens.

Inſtabilis) Id indicat volubilis pila certo neſcia ſtare loco.

Celtiberos) Ex Celtis & Iberis nomen mixtum ob communicatam invicem patriam. Lege Diodorum Siculum lib. 6.

Vulgo Cathalanos) Quod in ea loca conſederint, quæ Gothi primum deinde Alani tenuerunt, nomen eſt eis inditum, quaſi Gothalani.

Lubulonica) Si non depravata eſt à librario, Perſicam opinor eſſe vocem.

Sedem periculoſam) Nimirum propter ejaculatum ignem, ut ſuprà.

Alphonſe Rex) Angeli verba ad Alphonſum.

Nota condimentum omnium virtutum eſſe Conſtantiam.

Armato) pro forti, invictoq;.

Ego

Digitized by Google

Ego te victis parcere) Celebratur Ageſilai illius magni Lacedæmoniorum Regis dictum Principibus ediſcendum. Imperatoris officium eſſe, erga rebellantes audacia, erga ſubjectos benevolentia uti. Neq; enim vere victor eſt, qui iracundiæ vindictam flagitanti frenum neſcit imponere. Lege Senecam cap. 2. de Clementia, & Pontanum, qui poſt omnes melius ſcripſit de officio victoris libro ſupra citato.

Dividitur enim civitas) Neapolis in quinq; theatra diſtributa.

Tunicenſium) Sic repoſui pro voce nihili Luticenſium.

Ac totius corporis) Fuit gracili corpore, pallido colore, vultu hilari, & ad promorendam gratiam obvio, naſo aquilino, oculis illuſtribus, crine nigro & ad mediam cervicem extenſo, mediocriq; ſtatura.

Digitized by Google

JACOBI SPIEGELII
SELESTADIENSIS
SCHOLIA IN PRIMUM
COMMENTARIORUM
ÆNEÆ SYLVII
LIBRUM.

IN PROOEMIUM.

CHicmenſis antiſtes.) Eſt à ſuffragiis Archiepiſcopi Salisburgenſis, ejuſq; ſedes in Notico Inferiori haud procul à Pernau ad lacum Chimum ſive Chiemenſem, olim Teutnia vel Betunum.

Neſcimus qua eloquentia) Sylvius Ingenuè profitetur ſe Græce neſcire.

Apophthegmata) hoc eſt egregie, ſciteve dicta.

Plutarchi) Cenſet magnus noſter Eraſmus nullum extare inter Græcos Scriptores Plutarcho, præſertim quod ad mores attinet, ſanctiorem, aut lectu digniorem.

Philelphus vertit) Eſt & deinde à Raphaële Regio verſum opus. Sed uterq; in nonnullis locis lapſus eſt, nimirum homines erant ambo, ut recte Eraſmus dixit.

In Cap. I.

Opem ferre) Contra Florentinos quorum Senenſes perpetui ſunt hoſtes.

3 Coſſa) Neapolitanus patria, atq; is fuit, qui autoribus Joanne Archiepiſcopo Moguntino, Fridericoq; Auſtriæ Duce (quod oppreſſo Pontifice putabat Cæſ. Sigiſmundi autoritatem fieri majorem) è concilio Conſtantienſi aufugit, captuſq; apud Manheim oppidum Lud. Com. Pal. Rheni triennio cuſtoditus, tandem Coſmi Medicis ejus amiciſſimi procuratione, quadraginta aureorum millibus è cuſtodia liberatus. Cardinalis remanſit. Creditum eſt, Medicem pecunia Coſſæ opes ſuas in tantum auxiſſe, ut & primarius apud Florentinos cives & ditiſſimus omnium apud Italos ſit habitus.

Me oblecto) Sunt qui putant non probandos eſſe, qui prorſus non ferunt ullam adulationem, quod proſit in hoc, ut homo perſpiciat, qualis eſſe debeat.

4 Sapientis eſſe in tempore aulæ dicere, vale. Accinit Pontanus ad Buxutum lib. Amorum ſecundo.

Hoc ſapere eſt Buxute, frui melioribus annis
Cum libris, fieri carminibuſq; ſenem.
Caſtra alios, ac bella juvent, nos læta colamus
Ocia, & Aoniæ fila canora lyræ,
Vita bonum commune quidem eſt, bene vivere ſolus
Novit, qui ingenii dona beata colit.

Oſtendunt enim) Seneca gravis autor cenſet magno animo contemnendum, qui objurgat illum, qui poſita dignitate prætulerit quietem omnibus, quum plus conſequi poſſet. Apud alterum Senecam in Thyeſte Chorus ſecundus fortunæ humilis ſecuritatem commendat.

5 Sed forte non tam illi nocuere Livio, quàm Gregorius Rom. Pont. Is qui inter cœlites habetur, atq; quatuor Eccleſiæ doctoribus annumeratus eſt.

8 Quàm plurimas) Nam treis duntaxat poëtæ ponunt. Quamvis ſunt qui pu-

putent tribus Harpyis addi ab Homero quartam nomine Cryellam, quod tamen non probat C.æ ius cap. 26. lib. antiq. Lection. ſextodecimo. Græci grammatici Harpyias interpretantur aves rapaces. Sidonius Apollinaris videtur uſurpaſſe pro rapiatoribus, immorientibuſque pecuniæ. Harum formam deſcribit Verg. Æn. 3. Non obſcurum eſt quos hic ſignat Sylvius & ipſe aularum aſſecla. Nempe aulicos nonnullos, quibus eſt inſatiabilis habendi ſitis.

10 Bohemum) Vulgatiore cognomeuto de Praga. Conſtat eum & doctrina & eloquentia fuiſſe Joanne Huſſio ſuperiorem, cujus tamen de Eucharíſtia ſententiam minimè ſequutus eſt, ut apparet ex tenore ſententiæ in eum latæ.

11 Etſi Vvenceslaus, Sigiſmundus frater, Albertuſq; gener in depravata inciderint tempora, non tamen depravari ſe erroribus permiſere, & calice perpetuo abſtinuerunt, & inania dogmata contemſere, autor Jac. Volaterranus Cardinalis Papienſis lib. Commenrariorum ſexto. Scribit tamen Vvenceslaum publicorum omnium negligentem, atq; ita voluptatibus deditum, ut de paranda tantum menſa illi eſſent conſilia.

In Clitum) Sic legendum & non incitum. Cædem Cliti inter vina perpetratam autor eſt Plutarchus.

Pœnitentia facti docuit) Nam, ut Diodorus Siculus ſcribit, Alexander ſibi ipſi vim intuliſſet, niſi a ſtipatoribus retentus fuiſſet, atq; in cubiculum portatus. Ibi noctem diemque ſequentem in luctu tranſegit, ac nullo edito verbo tanquam elinguis jacebat, tantummodo prufundiſſimis ſuſpiriis æſtuans, amicorum ad ſe accedentium ſermones nullo pacto auſcultare poterat. Tandem cum Ariſtandes vates ſpeciem, quam de Clito viderat, aliaque ſibi cognita ei narraſſ.t, docuiſſetq; fato id ipſum, quod fecerat, eveniſſe, leniri cœpit.

Ut ait ille) Pſ. 136.

13 Salutaris, hoc eſt utilis. Decori itaq; exceſſus utilitate excuſatus.

14 Pietas in hoſtes arguit amorem in ſubditos.

15 Miſericordem pro clementem uſurpat.

Neq; his) intelligit Florentinos ipſe Senenſis.

16 In Albaniam) Olim Macedoniæ portio fuit, Sylvius in Europa putat, incolas ex Albania quondam veniſſe, quæ vicina Colchidi in Aſiatica Scythia memoratur.

17 Vera ratio) Quid enim eſt ſimulare, quàm ſub veritatis ſpecie velle decipere? Lego & alia vitia in Sigiſmundo eminuiſſe, præſertim apud ſcriptorem Hungaricum. Sed forte Sigiſmundus ſimulare pro connivere uſurpavit. Conſtat autem ad multa connivendum eſſe Principi etiam undacunq; laudato.

19 Siciliæ Comiti) Emendavi Celeiæ vel mavis, ut nunc vulgus vocat Ciliæ, ut forta Sylvius ſcripſit. Oppidum eſt veteris Norici quæ hodie Stiria nuncupatur, ditionis Auſtriacæ domus, retinens vetuſtum nomen, cujus Plinius meminit, ſed multum de veteri ſplendore deceſſit.

Concubinæ) Veronicæ illi nomen erat, quam tamen pater ejus in profluentem demerſit.

Uxorem) Ex Comitibus Croaciæ natam.

Interfecit) ſua manu. Sylvius autor in Europa cap. 21.

Anno proximo) Is fuit a nato Domino M. CCCC. LV.

Sardanapali epitaphium) Fuit is Rex Nini Perſicæ regionis, uſq; adeò effeminatus, ut ejus nomen in proverbium abierit. Vid. Eraſ. in Chiliad. Strabo epigramma refert lib. 14. Diodor. Siculus lib. 3.

20 E manu pauperis) Non tantum ſordidè ſed omnino injuſtè. Verum immenſæ opes ejus non pervenerunt ad tertium hæredem, ut ſtet, opinor, vulgariſſimum verbum:

De male quæſitis non gaudet tertius hæres.

Poſt aliquot enim annos ſub Cæſare Maximiliano vidimus eas majorem in modum attenuatas, diſſipataſq;. Eraſ.

Google

Eraſ. in opere jam nominato latiſſimè expiicat, quæ res huic proverbio, aut Regem aut ſatuum naſci oportere, dederit occaſionem, quem ſi legeris mox intelliges Æneam haud inſulſam facere optionem.

23 Darii regiam) Strabo lib. 16.

Sadrace Darii regia, ejus qui Hyſtaſpis filius fuit. Alexander ab Alexandro plures regias velut regalis opulentiæ monumenta apud pleraſq; gentes laudibus celebratas enumerat cap. ſexto libro Gen. Dier. tertio. De Neapolitana arce convenit Pontano cum Sylvio.

24 Franci) intellige de Gallicis Francis ſeu occidentalibus ut nonnulli loquuntur. Nam Galli à Francis Teutonicis ſive Germanicis ſubjugati victorum nomen tulerunt. Idem nomen Germania prima complecti cœpit, unde legimus Muguneiam Spiram, & Vuormaciam inter urbes Teutonicæ Franciæ ſive orientalis, quæ & Auſtraſiæ nomen habuit numeratas, & in hac Francia præcipuas ſedes habuerunt priſci Francorum Reges omnes, & Carolus ipſe Magnus ac hujus nepotes, ut Rhenanus noſter lib. rerum Germanie. primo luculenter oſtendit, Cui id quoq; debemus, quod hactenus pauci animadvertere, quod Francia Germanica poſt ſubjugatos Bujeros & Saxones totum regnum Germanicum complecti cœpit, quod hudie Rumanum Imperium appellatur, propter titulum quem Germanorum Reges habent.

Rex eſſet) è Merovingorum familia, cujus majores puriputi fuere Germani, ei Hilderico apud Gallos, quod nobis Huldrichus, nomen fuit, extincta in eo ſine liberis decedente Merovæi progenies eſt, à quo Meroſtingica familia, quæ per trecentos annos amplius domi foriſq; res egregie geſſit.

Sola purpura) Quoniam apud palatii præfectos, quos vulgus majores domus vocabat, omnis poteſtas manebat.

Crines totonderunt) Vide Chronicon Uſpergenſe in annis Pipini & Caroiomanni.

Nebulone) Opinor Cabilone legendum. Quamvis cœnobii nomen in quo abdicatus Hildericus monachum egerit, tacent omnes, quos equidem diligenter revolui, Reginus, Sigebertus, Annonius, Otto, Chronicon Uſpergenſe, Gaguinus, Æmilius, Platina, Volaterranus, Sabellicus, Nauclerius. Niſi Sylvius eum ideo nebulonem vocaverit, quod alicubi legerit eum fuiſſe diſſolutum & effœminatum.

Zachariæ) Moti ſcilicet oratione S. Burcardi Epiſcopi Herbipolenſis, quam refert Paul. Æmilius lib. 2. Nam initio minime audebat Pontifex tam magni momenti cogitationem ſuſcipere. Platina ſcribit hunc Zachariam inter opt. Pontifices annumeratum.

Autoritate) quod juramento fidelitatis dicto Regi Hilderico Francos ſolverit, ut refert Gratianus XV. q. c. Alius.

Pipinum) Caroli Magni patrem, decimo ab inito magiſterio domus anno, nato autem á Chriſto ſecundum Religionem D. CCL.

27 Hugoni Senenſi) Lego eum ſub Eugenio quarto fuiſſe in ſynodo Ferrarienſi, ubi invitatos ad cœnam Græcos atq; Latinos Philoſophos Theologoſq; monuit, uti proponerent, eorum ſe doctrinis omnibus reſponſurum, ac partes ſive Platonis ſive Ariſtotelis defenſurum.

Sozinorum) Sic emendandum pro Gonzinorum. Ex hac familia primum Marianus Sozinus ætate Sylvii ſcientia juris non ſolum apud Senenſes, ſed tota Italia late clarus habitus eſt, ſupparem ejus filius Bartholomæus Sozinus noſtra memoria eandem facultatem ingenti ſalario Paduæ profeſſus famam obtinuit.

Poteſt amati deformis) Simili ſententia Lucretius claudit quartum librum his verſibus:

Nam divinitus interdum, Veneriſq; ſagittis
Deteriore fit ut forma muliercula ametur.
Nam facit ipſa ſuis interdum fœmina factis,

Mo-

Morigeriſq; modis & mundo corpore culta,
Ut facile inſueſcat ſecum vir degere vitam.

Criſpini fortaſſe) ſubaudiendum uxori.

29 Picinino quoq;) Sc. Jacobo Nicolai F. Is eam prætexuit cauſam belli Senenſibus illati, quòd ea civitas tantum auri pondus non redderet, quod patri ſuo deberetur. Tam favit illi Rex Alphonſus, ut eum in adoptionem familiæ Arragonenſis receperit.

30 Cur primogeniti Neapolitanorum Regum Duces Calabriæ conſtituuntur) Hydruntina hodie terra dicitur, quæ Calabriæ pars olim fuit, ab Hydrunto oppido ad quod eſt ab Macedonia, Epiroq; quam breviſſima navigatio. Lege Pon. lib. hiſtor. ſecundo.

32 Flavianis) Birchemero Favianis, quæ & ei Juliobona, vel Vindobona, ſeu Vindomana.

Vienna eſt nomen) Metropolis Auſtriæ, ejuſq; Principum ſedes atq; regia, omnium urbium teſte Vadiano viro doctiſſimo, quas Danubius ſuſtinet, & ædium magnificentia & rerum facili copia clariſſima.

35 Adjacet lacui) Unde vulgo modo Lauſanenſis, modo Gebennicus, quod & Gebennam attingat, vocatur. Somniant qui Alemannis ab hoc lacu nomen inditum putant. Originem vocabuli quod multo recentius eſt quam Germanorum poſt Quadratum apud Agathiam, pete ex Rhenani Germanicarum rerum lib. 1.

36 Securus accepit) Tutius ratus dubiæ ſe fidei medici credere, quàm indubitato morbo perire, ut dicit Juſtinus lib. 11.

Antipater) Plutarchus ut cæteri ſcriptores id tribunt Parmenioni.

37 Principes expoſitos eſſe conviciis.

Si verbis tantum impetimur) Innuens eum, qui convicia velut dicta, quibus nihil levius, formidat, vix ſuſtentaturum popularium impetum. Alexandri Magni dictum illud eſt quàm celebratiſſimum, Regis id eſſe proprium à quibus male audierit, in eo beneficentia majore ut utatur.

38 Hypocritarum vitam) Eorum omnium idem eſt propoſitum, ut quod ipſi minimè ſint, id habeantur atque appareant. De quibus vide latius Pon. lib. 2. Ser.

Ultra Sauromatas) Sentit remotiores orbis partes. Ut Juvenalis Satyræ ſecundæ exclamatione initiali.

Inter mortales enim) Videtur ad illud Pſalmographi reſpexiſſe. Omnis homo mendax. Hoc Davidicum vice proverbii circumferri refert Polydorus libro Sacrorum Adagiorum. Cæterum taxat admodum ſatyricè Philelphus Hypocritas Hecatoſticha quinta Decadis ſecundæ.

Fictus, fucatuſq; ſit) Ut puellæ quæ fuco utuntur, quo aut formoſæ magis appareant, aut ut quod ineſt deformitatis omnino tegant, aut ex parte minuant, fucatæ recte dicuntur, ita quorum omnis verborum compoſitio ex eo adhibetur, quo aut verum occulat, aut fictum quippiam vero adjiciat, aut tanquam comat quod dicitur, ac res & verba lenia, fucum dicimus eoſq; fucatos, de quibus idem Pontanus libro jam citato.

39 In cœna Domini) Eadem magna feria Quinta aliis dicitur. Alphonſus Rex novas de Euchariſtia quæſtiones apud ſe ab oſtentare Dominicano excitatas ridet, ſophiſtamq; repellit lepida arguria, qua colligit è Chriſti corpore natum vermiculum.

40 Notat Italiæ ipſe Italus inconſtantiam, ejuſq; Principes ignobiles fuiſſe ſervos.

Picininum) Nicolaum patria Peruſinum, cui id cognomentum à puſilla ſtatura inditum eſt, quod parvulum ſonat, ſicut à Bracello nuncupatur. Cæterum quo inferior corpore, eo animi magnitudine & ferocia præſtantior fuit, Geſta ejus præclara multa Sabellicus refert.

Inter

Inter homines) Italos ſuos, ut ſequitur, intelligit.

Joannem de Huniad) Vuayuoda, hoc eſt, Præſes Tranſſyluaniæ ille fuit paterq; Matthiæ Regis, regnique adminiſtrator, durante ætate pupillari Regis Ladiſlai Auſtrii F. Alberti Rom. Hungariæ, Bohémiæq; Regis. Ejus geſta magna fide ſcripſit, qui Chronicon Hungaricum comportavit. Horum pleraque Sylvius attigit in Europa ſua.

Scanderbechium) Is fuit Caſtriotus cujus memini in Antonio Panormita, lego apud Pontanum eum Scandrum propter liberalitatem, ac fortitudinem agnominatum eſſe, quo nomine à Tureis Alexander dicitur, & Alexandria Scanderia. Ejus majores in Macedonia latè magnum Imperium tenuere, quod ubi patri ſucceſſit Mahometus Turcarum Imperator ſummis oppugnavit viribus.

Pogebracium) Boëmicorum Regum hic primus hæreticus fuit, ſi modo perfidiſſimo occupatori Regis appellatio competit. Facta illius copioſe ſcripſit Card. Papienſis ſexto commentario, attigit in hiſtoriis ſuis Sylvius, qui illi in Pontificatu acerrimus hoſtis fuit. Is audito Pii obitu & Paulli ſecundi ſucceſſione lætitia exultans dixiſſa fertur, Divina ultione ſublatum de medio Bohëmorum hoſtem, ſuffectumq; hominem Venetum, a quo ideo nihil timendum cenſeret, quòd levis ei nationi de anathematis cura eſſe ſoleret. At Paullus tandem urgente ipſum Joanne Card. Portuen: ante ſummum altare in Baſilica ſuggeſtum aſcendens in Pogebracium ex diplomate ſententiam recitavit, regnoq; privavit.

Marchionem Brandenburgen.) Geſta hujus inclyti Principis ſcribunt, Sylvius aliquot attingens in Europa, Nauclerus, & Crantius. Antiquitatis ille ſtudioſus, edidit libellum in quo aliquot nomina propria Germanorum ad priſcam etymologiam perquàm ſcitè maximeq; plauſibiliter reſtituit, quo hodie per omnes aulas profertur corrupte Brandemburg genuino vocabulo Brenburg, hoc eſt Brenni caſtellum appellandum tradit, pro ut hodie ab ejus urbis civibus appellatur, cætera vide apud eum.

Malo parcr) Verſus ſunt è Juvenalis Satyra octava ad finem.

Quam ex Hercule prognatum) Siquidem juxta veterum obſervationem, præſtantium virorum filii multum degenerare ſolent. Vide Roterod. enatrantem parœmiam: Heroum filii noxæ.

41 Goriciæ) putant quidam ex loci ſitu eandem, quæ Ptolemæo Plinioq; eſt Julium Carnicum, Sed Bilibaldo noſtro eſt Villacum maxime clarum oppidum in Carinthia. Video tamen è noſtris nonnullos nec indiligentes nec indoctos, qui inter Goriciam, noſtra lingua Gertz, Gurciamq; Gurgk nullum diſcrimen habent, quum Goricia in Carnorum tractu præcipua urbs ſit, quos vulgu tranſpoſitis literis hodie Cranos, die Kreyner appellet, ſunt item qui Goricienſem regionem, quæ pleroſque inſignes Imperii Comites ſuſpiciebat, donec deficiente ſobole facta eſt ditionis, ut nunc eſt Principum Auſtriæ, vocent auffdem Karſt. Gurciam autem in Carinthia vulgo Kernthen, quamvis & ipſa regio Carnis applicatur, Baſilica Epiſcopalis exornat, cujus Præſulem Imp. Fridericus primus in Principum ordinem aſcivit. Huic me adoleſcente præfuit primum Cardinalis Raymundus natione Gallus ob inſignem in Cæſ. Maximilianum perfidiam deteſtabilis, omnium bipedum ingratiſſimus in indulgentiſſimum Principem, qui eum honoribus emolumentiſq; mirifice evehendum curarat. Deinde Matthæus Langus Auguſtinus vir in Chriſtianorum urbe clariſſimus, cui, cum virtutibus, tum meritis ejus longe maximis exigentibus, idem Cæſar majoribus quoq; honoribus titulis axornando ſtuduit, declarato illo ſucceſſore à Julio, & P. M. Saliſburgenſis eccleſiæ, cujus Pontificum autoritas, ut ex annalibus noſtris conſtat, in Germaniis ſacroſancta eſt habita. Commemorationem hanc præſertim in opere tot Principum heroumq; memo-

riæ dicato, à Sylvio Pontificum omnium maximo, debeo Principi omnium humaniſſimo, eidemq; doctiſſimo, quod ejus commendatione mihi locus patuerit in Latinarum rerum, vel potius externarum, Cancellaria, in qua ipſe primas tenebat. Ejus favore curaq; qui potiſſimum ab eo pendebant, erantq; miniſtri laborum ejus, ſunt conſecuti debitos honores emolumentaque haud ignobilia, paucos ex innumeris honoris gratia referam eoſdemq; mihi vel patronos, vel familiaritate præcipua conjunctos, quorum primo loco mentio mihi nominandus venit Petrus Bonomus Epiſcopus Tegeſtinus, ut qui Italus me Germanum, haud ſecus atq; filium formaverit ad navandam Cæſarianæ Cancellariæ operam, deinde Joannes Collaurius U. J. Doctor, cui primum ut magiſtro epiſtolarum in Curia miniſterium meum aſſuit præſens, jamjam in immedicabilem, quo paullo poſt apud Tridentium non abſq; bonorum deſiderio extinctus eſt, valetudinem prolapſo. Huic Jacobus à Banniſſis natalium ſplendore, prudentia item ſingulari, tum rara doctrina linguarumque peritia nobilis, quo nulla Curiarum ſua ætate incorruptiorem alumnum habuit, ſucceſſit, qui Tergeſtinum alterum in me referens, non miniſtrum, ut ipſe magiſter epiſtolarum jure poterat, ſed uti parens indulgentior, filii me loco audientis dicto, habuit & fovit, nec unquam quam honoris præfatione vocavit, aut appellavit. Teſtem habeo, qui mecum tunc amanuenſem præſtabat operam, nunc venerabilem Canonicum Dominum Eraſmum Strenbergium. Langianam item beneficentiam meruere Andreas à Burgo, cujus mentio ſupra in Scholiis ad Panormitam facta eſt, Vitus à Furſto Iureconſ. & eq. Suevus, Somenii fratres Auguſtinus & Paullus, Rorarii fratres Antonius & Hieronymus, Paullus Gadius Blancæ Auguſtæ ab epiſtolis, Ioan. à Snapeck Baro, Cancellarius Auſtriæ, Eraſmus Toplerus Iureconſ. Noricus, Cuſpianus Medicus Oſtrofrancus, Chriſtophorus à Stadio nunc Auguſtenſis Pontifex, Margratus à Stain eminens Princeps titulis præpoſiturarum per Germaniam ferè inſignium, vir prudens ſanique cerebri, Petrus à Mota Hiſpanus Philoſophus acutus, Theologuſq; facundus, pòſt Epiſcopus Pacenſis Caroli Imp. V. magiſter epiſtolarum, Sebaſtianus Sperantius Epiſcopus Brixinenſis non tam eruditorum præconio, quàm ſua virtute etiam exteris nationibus commendatus, Ægidius Rhemus Præſul Chiemenſis, Maximilianus Tranſſyluanus, quo uſus eſt rerum ſuarum in Hiſpaniis procuratore, donec à Cæſ. Carolo propter ſingularem induſtriam, eruditionem, atq; fidem ad ſecretiora Sacrorum ſcriniorum negotia tractanda receptus eſt, Nicolaus Ribiſenus multæ vir experientiæ, ingeniiq; in primis acuti, ac maximè compoſitis moribus, qui mecum à condiſcipulatu Heidelburgenſi conjuncta amicitia hactenus illæſa perſtat.

Eſt enim mos) Bibitioni vel potius tumulentiæ apud Saxones honos habetur.

Fridericus) Quippe oſor ipſe vini, ebriorumq; ſeverus objurgator.

Mithridates factitavit) Alluſio eſt, vel, ſi mavis, Ironia. Nam is non vinum ſed venenum quotidie bibebat præſumtis remediis, ut conſuetudine ipſa innoxium fieret. Autor Plin. cap. 2. lib. 25.

42 Pacem Tuſciæ redderet) Sed quam datam ipſa diu ferre nequivit pro ſolita inconſtantia ſua. De Viriato in Antonium annotavimus. Quare nihil eorum, quæ illic relata ſunt, repetemus, brevitatis cauſſa, qua ſcholia in primis commendantur.

43 Alphonſum præfert magno Alexandro iracundo & temulento.

44 Ut Sylvius patriæ amantiſſimus nullam non arripit anſam ejus commendandæ.

45 Cæſar Fridericus Auſtrius ſaltationis oſor.

At Galli) Damnatur & eorum veſtitus à gentilitio ſcriptore Roberto Gaguino in Philippo Valeſio.

46 Dantem ferunt) Omnino Dantem legendum, qui fuit Florentinus è gente Aligheria Durantis nomine ab initio vocatus, interciſo deinde, ut fit in pueris, vocabulo Dantis.

Con-

48 Convivium) in duas voces depravarat ſtolidus ſcriba, ſcilicet, cujus nomen.

Non mirum ſi Domitianus) Lege Suetonium cap. 3. in ejus vita. Porrò quod plerìq; omnes ridiculum Cæſaris factum accuſant, Sylvius hoc honeſtare videtur. Nata tamen ex eo eſt illa proverbialis hyperbole. Ne muſca quidem.

At ego illis) Ut ſunt cuncta injuriæ obnoxia, libidoq; dominandi tam impotens, ut nihil impium aut nefarium ducat.

49 Vetuſtatis) quæ cuncta abolet.

Invidiæ) quæ ferè Comes eſt felicitatis.

Hecatonis emendavi pro nec Cathonis, quamvis Eraſmus noſter Heatæum apud Senecam putat legendum.

Utinam nec Senenſes) Et hoc amori patriæ dandum, & quod mox ſubdit.

50 Buxutus eques) Nomen illi erat Nicolaus Maria, Neapolis patria. Nobilitatus Pontani elegia, qua is ſui temporis militiam damnat libro Amorum ſecundo.

51 Virtutem in actione conſiſtere, loquacitatemq; eſſe ſtultorum.

52 Sena vetus) Iterum patriæ exerit amorem. Senam autem Hetruriæ urbem antiquam eſſe, non tantum multi autores, ſed etiam vulgatum dictum apud Italos demonſtrat, quo ſua lingua innuunt Mediolanum urbem amplam, Ferrariam pulchram, Bononiam fertilem, Florentiam locupletem, Senam vetuſtam, Romam ſanctam, & cætera. Eſt & Sena in Piceno, de qua vide Volaterr. in Paralipom.

Et natis) Æn. 3.

53 Barbari qui ſint habendi, non natale ſolum, ſed pravi mores demonſtrant. Habet hiſtoria Philoſophos aliquot, quos tamen nemo dixerit Barbaros, quia Græci & ſapientiæ nomine clari, qui mox potiti rerum crudelius illiteratis rem adminiſtraverunt.

54 Ennius) ſcilicet poëta quem Rhudiæ genuere vetuſtæ, ut ait Silius lib. 12. & qui primus amœno detulit ex Helicone perenni fronde coronam per gentes Italas, ut lib. 1. cecinit Lucretius. Fuit alter paullo poſterior grammaticus nobilis, qui de metris ſcripſit.

Regones Prælatones) Qua ratione, ut in Panormita dictum eſt, homones.

55 Tullio) lib. 1. Offic. de Juſtitia.

Eam ob cauſam) Attende quam prudenter Sylvius arrepta è verbis Alphonſi occaſione Senenſium ſuorum cauſſam commendet.

56 Coloniæ Agrippinæ) Caput eſt inferioris Germaniæ, quæ & ſecunda dicitur. Marcellinus lib. 15. Secunda, inquit, Germania ab occidentali exordiens cardine, Agrippina Auguſta, inquit, Tacitus lib. 12. quo vim ſuam ſociis quoq; nationibus oſtentaret, in oppidum Ubiorum in quo genita erat, veteranos coloniamq; deduci imperat, cui nomen inditum ex vocabulo ipſius. Idem autor eſt Agrippinenſes puduiſſe Germanicæ originis, Batavoſq; nullos pejus quam eos, quod patriam ejurarant originem, tractaſſe, quum tranſito Moſa extrema quaterent Galliarum. Cætera de Ubiis petenda ſunt ex tertio libro Germanicarum rerum doctiſſimi viri Beati Rhenani. Non prætereundum putavi quod Paullus juriſconſultus lib. ff. ultimo l.

In Luſitania) tit. de Cenſib. tradit, In Germania inferiore Agrippinenſes juris Italici. Quod eſt à cenſu tributòve immunem eſſe.

57 Protonotarius fuit) Sub Cæſ. Maximiliano, qui ab extincto per ſummum ſcelus Rom. Sacerdotis Chunradino Principum Suevicæ ſobolis ultimo, primus poſt Cæſarum in gentem ſuam externa attraxit regna (quum quæ ſuis adjecerit Cæſar Henricus Lucemburgius vel noſtratia vel affinia fuerint) pro Protonotariis cœperunt Secretarii vocari, qui priori ætati fuere magiſtri epiſtolarum, ſuperiori autem præfecti ſacrorum ſcriniorum. Nequeo continere,

quin

quin dicam, tametſi veritas, ut dicitur, odium parit, regnum Siciliæ, quod & Neapolitanum dicitur, una cum Arelatenſi, cujus nomine ſuperior Burgundia continebatur, Germanici eſſe juris, intercepti interruptiq; tamen per tot annos fraude Rom. Pont. ad quotum uſurpatam majeſtatem, quàm ægerrime ferebant fortiſſimi Suevicæ gentis Imperatores, mirum eſt quàm obmutuerint per ea tempora nimis ſuperſtitioſi Germaniarum Epiſcopi. Sed bene habet, quòd ab iniquiore occupatore noſtra memoria licet beneficiario titulo in conjunctiorem, magisq; affinem Germanico ſanguini gentem, tranſlatum eſſe, vel verius ut conſtat, armorum virtute ab ipſa gente receptum, videmus.

Alberto) Auſtrio ſcilicet genero Sigiſmundi Regis & Auguſti, ac utriuſq; regni Hungarici, ſcilicet, atq; Boëmici hærede. Unde nemo unquam majore ſpe, ut Venerus Egnatius teſtatur, ad Imperium venit. Sanè conceptam de ſe opinionem haud fefelliſſet, ſi non immatura morte intra biennium, quo præfuit, præventus eſſet. Ut in eo avorum memoria, ſic noſtra ætas in Rege Philippo Maximiliani F. ante diem quoq; erepto incredibilem Germanicum nomen accepit jacturam.

Conatus eſt) Studio amoreq; Viennenſium, qui tum opibus florebant, quæ non raro animos addunt, quos conſtabat quoq; Alberti fratris quam Cæſaris recens declarati Friderici ſtudioſiores eſſe.

Romam peteret) Anno ab ejus electione duodecimo, à nato Chriſto M. CCCC. LII.

48 Taxat aperte Principum Italiæ perfidiam.

Parabolanos) Vulgata lingua ſunt Italis parole, verba. Latinis verba dare, fallere eſt, unde apparet Sylvium parabolanos pro fallacibus uſurpaſſe, quo vocabulo, ut minus odioſo hactenus nemo, quod ipſe ſciam, uſus eſt eo in ſignificatu. Impe. Arc. & Theod. interpretantur parabolanos qui Alexandriæ ad curanda debilium corpora deputabantur. C. De epiſ. & Cler.

Paſſus eſt Viennæ vivere) Unde memorabile profecto ſetæ poſteritati tolerantiæ incredibilis exemplum reliquit.

59 Mazoviæ) Emendavi pro Maſoniæ Eſt ultra Viſtulam Mazoviæ Ducatus a Lituania Dravaniza fluvio diductus. Nominis rationem pete ex Polonicis annalibus. Puto apud Sylvium in Europa, quo loco Livoniam deſcribit pro vocabulo Maſſagetæ, Mazovitæ reponendum. Cæterum Erneſtus ſua ætate Princeps nemini ſecundus ex Zimburge laudatiſſima fœmina Alexandri Mazoviæ Ducis filia ſuſcepit Fridericum Imp. tertium, cujus dubio procul hic Alexander neceſſarius fuit, ſiva nepos.

Præpoſituræ) Tunc ea primi apud Viennenſem tum clerum tum populum erat loci, nunc autem poſt Epiſcopalem dignitatem ſecundi. Nam haud admodum multo pòſt Imp. Fridericus & eam & Novæ civitatis eccleſiam, ſedes Epiſcopales ſcito Pauli Secundi P. M. nuncupatas curavit, quum iterum in Italiam deſcendiſſet voti ſolvendi cauſa, quibus ille tunc cærimonialibus ritibus a Pont., patribus, proceribusq; Rom. exceptus fuerit, quos in ſenatu patrum Cæſar expoſuerit, qua liberalitate tractatus à Pontifice, qua item munificentia ornatus fuerit jam retroceſſurus in Germaniam, diligenter atq; ordine recitat ſeptimo commentariorum libro Cardinal. Papienſis. Ex prolixa ejus narratione, quæ tamen curioſo lectori non poteſt eſſe moleſta, quod mihi mire placuit, poſteritatiſq; notitiæ traditum eſt à Cardinale, qui rebus interfuit (quum is autor paucis, ni fallor, notus fuerit Germanis) haud gravabor huc adſcribere. Imperatorem admonuerat, inquit, inter veſtiendum cærimoniarum magiſter, ut tranſverſam ſtolam & pluviale ad ſiniſtram apertum acciperet. Sed ille me audiente qui proximus eram, non faciam, inquit, & utrumq; à collo ad pectus rectum induens converſuſq; ad magiſtrum, Sic, inquit, ſemper ſum ſolitus. Suadente iterum illo, ut poſt Evangelium decantatum pro aliorum conſuetudine ad pedem Pontificis oſculandum aſcenderet, germanico verbo, quod à circumſtantibus eſt intellectum, & hoc etiam, ait minime, putans,

tias, videlicet, ut creditum eſt, à vulgari aliorum obſequio majeſtatem Imperii ea in re vendicandam.

At qui literas) Pontanus in libro de Principe graviter refellit, qui literas accuſant. Licet autem non omnes, qui inter doctos numerantur, nota careant, vitium tamen non ad literas, ſed ad ipſorum ingenia referendum, quanquam literæ ipſæ propter celebritatem conſpectius illud efficiant.

60 Bononienſium inſania) Hoc ideo dicit, quòd, ſicut ipſe in Europa ſua de Bononienſibus ſcribit, mortuo Beſſarione Cardinale legato Pontificio, qui nobilitati plebiq; juxta charus fuit, eo deducta civitas eſt, ut Legati Papæ rogare magis quàm imperare queant. Bononiam prius Felſinam vocatam tradunt, deinde à Bojis, qui eam Hetruſcis ademerant Bojoniam & per paragrammatiſmum Bononiam.

61 At bene) Aſtipulatur Pontanus lib. 1. de Alphonſo ſcribens. Hoc regnante, inquit, Italiæ res maxime floruere. Nam & bella multa fortiſſime geſta ſunt, & bellis partim compoſitis, partim confectis pax ſecuta eſt tranquillitatis atq; opulentiæ plena. Hæc ætas fortiſſimos Duces, ſapientiſſimos rerum publicarum adminiſtratores habuit, viditq; literarum ſtudia magno favore, ingenti frequentia, poſt tot ſeculorum interiecta intervalla revocari.

JACOBI SPIEGELII

SELESTADIENSIS

SCHOLIA IN SECUNDUM

COMMENTARIORUM

ÆNEÆ SYLVII

LIBRUM.

IN PROOEMIUM.

SUpra verum extollunt) Periculoſa ſanè ac maximè peſtilens hominum confuetudo ac familiaritas, quorum quia primatum virorum Principumq; ac Regum præcipuè, plenæ ſunt aulæ, inde Adulatores dicti, iidem alio ſunt nomine aſſentatores ab aſſentiendo dicti, ſecuti Terentianum illud Ais ajo, negas nego.

Ego quidem) Proponit cunctis Regibus Alphonſum, tanquam Speculum quoddam virtutum. Quanquam ſi Pontano credimus & in eo & in Nicolao V. P. M. quædam vitia eminebant, claros tamen & amabiles faciebat dandi ſtudium.

In Cap. 1.

Teutonicorum appellantur) Sublato Templariorum ordine hic ſuccrevit autore Teutonico à quo agnominatus eſt.

Poloniæ) Sic dicta magna Sarmatiæ Europæ pars à planitie, quam Poloni vernacula lingua Pole vocant.

Anno ab hinc tertio) Is fuit ſalutis reparatæ à Chriſto M. CCC. LIII.

Prutenorum civitates) Siquidem terram maxime amplam fertilemq; ac eximie cultam poſſident, lingua & inſtitutis Germani, pars tamen regni Polonici Gentis originem oſtendit Stella, rectiuſq; ait Boruſſios dici, quorum terram uſq; hodie unius literæ ſuppreſſione Bruſſia vulgo dicitur. Eam nunc tenet Albertus Marchio Brandeburgen. primus nuper gentis Dux appellatus ſummam Germanicæ nobilitatis indignatione, quod in eo itum ſit adverſus Teutonici Ordinis leges, Imperiiq; majeſtatem.

Caſimirus) Ejus nominis tertius qui Uladislao Rege ad Varnam cæſo ex Lituania, cujus Princeps erat, ad regnum vocatus eſt An. M.CCCCXLV.

Portionem ſui regni) Ex eo videlicet quòd populares gentis Principi ſuo, qui nobis ſupremus magiſter vocatus hactenus eſt, rebellantes ſupplices per legatos ejus in ſubditos ſuos atq; protectionem ſuſcepiſſet, fidelitatis prius juramento è mole ab ipſis recepto. Quod factum ſummopere diſſuadebant Sbignæus Cardinalis & Epiſcopus Cracovienſis, quorum tamen meliorem ſententiam vicit deterior, majore numero nitens. Sed Rex difficili pòſt bello involutus didicit, quid ſit ſana contemſiſſe conſilia. Lege quartum lib. Annalium Polonic. cap. 60.

Fratribus) Marianis, militaribus nobilibus Teutonicis.

Quàm barbari Regis) Si quis inclyto, qui nunc imperitat Polonis Regi Sigiſmundo barbaros mores objecerit, eum ipſe etiam ſi è media Græcia Italiave natale jactitet ſolum, barbariſſimum appellarim. Tot enim in eo ſunt vere egregiæq; eædem regiæ dotes. Certe ut ille omnes ætate antecit Reges Chriſtiani nominis, ita & ſapientia, cujus illa condimentum à veteri Comico vocatur, & parta bellicæ virtutis gloria ſuperat omnes, quod tamen eorum

pace

pace dictum velim, vel eo præcipue, quod arma ſua non in Chriſtianorum viſcera, ſed in hoſtes religionis convertit. In literatura non arbitror ei unum aliquem Regem excepto Cæſ. Ferdinando, quem novimus feliciter inſtitutum, conferri poſſe, in pingendis tamen literis Sigiſmundus nedum cunctis Regibus laudem præripuit, ſed & Pontificibus Romanis longe præſtitit: binas ego vidi manu ejus ſcriptas ad Cæſ. Maximil. literas, qui & ſua ad eaſdem reſpondit, melioribusq; itidem apicum notis, quas impubes jam pingere didicerat. Optimus ille Princeps celebris memoriæ mihi oſtendit, Deus ſcit, non mentior, inter alia puerilis diſciplinæ ſuæ monimenta libellum de quatuor virtutibus hactenus Senecæ titulo falsò inſcriptum, quem ſub magiſtro conſtitutus ſtudioſius exceperat jubente patre, quod ei non rarò requirenti filii manus proferretur. In magnorum vero Principum ordine parem laudem obtinet Ludovicus Elector Rhen. Pal. Comes longè clariſſimus, qui & ſæpe & nitide noſtra vernacula, quos gentilitiæ poſteritati relinquet, in exquiſita membrana ſcribit non vulgarium rerum commentarios.

3 Huc) Neapolim ſignat.

De Populoſa) Vulgo von Volckenſtorf.

De Plena villa) noſtra lingua von Pfullendorf.

Sic eam vocitamus) Ulpiani verbo. Nam tit. de Legib. Princeps, ait, legibus ſolutus eſt, Auguſta autem licet legibus ſoluta non ſit, Princeps tamen eadem illi privilegia tribuit, quæ ipſe habet. Poſtrema clauſula numero multitudinis legitur in editione Haloandri quam rectiorem puto.

Sed non minori) Ecce quàm memorem patriæ.

Hoc anno) Qui fuit poſt Virgineum partum M CCCCLVI.

Chriſtophurum) Eum cum Joanne ac Helena impuberes amiſit. Maximilianum Conjugemq; ſuperſtites reliquit.

4 A Livio) Libro ſexto tertiæ Decadis ad finem ibi. Captiva deinde à militibus adducitur. Quanquam Gellius autor eſt lib. 6. cap. 8. Valerium Antiatem prodidiſſe à Scipione puellam non redditam, ſed in deliciis retentam.

Vulturnano) Correxi pro Vulterrano. Vulturnus, quod, ni fallor, in Panormita dictum eſt, Campaniæ fluvius cum oppido ejuſdem nominis, nunc caſtellum Vulturni vocatum.

Taxat incontinentiam Jacobi Picinioi, ut eum in odium Alphonſi trahat à diſparibus moribus.

Contumelia afficiuntur) Quod Tyrannorum eſt. Victores qui vere regio ſunt animo poſt victoriam, quatenus poſſunt vim omnem prohibent. Nihil eſt enim quod victorem melius commendet ſubjectis, quam Clementia. Hæc Cæſ. Maximilianum præcipue ornavit. Victoria potitus nullum iræ, nullum cupiditati locum permittebat, quantumq; poterat præſens militarem licentiam cohibebat. Cumq; maxime ad animum res gereretur, tunc maxime ajebat rerum volubilitatem humanarum ante oculos ponendam. Quum bello Bavarico quod contra Philippum Principem manſuetiſſimum ſocialibus armis ſuſceptum eſt, reſque in pacem deflecteret, quibus ea maxime diſplicebat, Maximilianum hortari, rogare, obteſtari denique vi fœderis, eumque omnibus modis propellere nitebantur, ut eam tantiſper protraheret, dum è ſede tantum ſua, quod factu facillimum ajebant, Philippus exigeretur, nec fineret famam inclytæ victoriæ elabi manibus, florentibus tamq; calentibus exercitibus. At callidum Cæſar rejiciens conſilium, ſatius duxit clementia nobilitari, quàm impotentium ſociorum voluntati ſatisfacere. Retundebat autem improbitatem eorum tandem maxime. Quis veſtrum, inquit, rogo, Catulorum ingenuorum, quos Philppus habet plures, ſi eum tota etiam exuerimus ditione, alumnus erit? Certe præter me non video alium. Cur igitur danti jam manum non relinquam, quod de meo poſt eſſet concedendum. Significans quod erat futurum, nihil omnino Catulis illis expectandum ab eis, ſi ad quod ſpectabant, cum Cæſare pleniore victoria potiti fuiſſent, quos, niſi per ejus autoritatem

ſte-

ſtetiſſet Philippus multorum opinione haud admodum magno negocio oppreſſiſſet. Cæſar autem multis nominibus, & quod ſæpenumero ab eo auditum eſt, invitus etiam non potuit non tandem accedere in partes ſororii Alberti Principis Bavarorum. Rebus vero compoſitis oblitus mox præteritorum, induit non tantum amici benevolentiſq; Imperatoris, ſed etiam patroni perſonam erga eam, quæ potiſſimum pridem ejus auſpiciis oppugnabatur, familiam. Novimus Ludovicum Principem, cujus paullo ſuprà mentio facta eſt, ob inopinatum Maximiliani deceſſum, qui legatis ejus præſentibus contigit, acerbo affectum dolore, perſtitiſſetq; in officio erga nepotes ejus, quod ſui amantiſſimo Principi ultra præſtare non potuit, Princeps ipſe inprimis promiſſorum ſervantiſſimus, paciſq; amantior, ſed nihilo ſecius, dum res poſtulat, autorum turbatæ tranquillitatis ſeverus caſtigator debuit eſſe.

Verum hæc Maximiliani æquabilitas, quæ aliis quoq; exemplis poſteritati commendari poſſet, irritavit poſt è Principibus viris nonnullos, ut Magno præcipue Sacerdote in Germania autore coitio tractata fuerit. Attamen quam prudenter Cæſar atq; in tempore unguiculam ut apud Italos frequens dicitur, præſcidit.

4 Ratisbona) Norici ſeu Rhetiæ ſecundæ, ſive Inferioris metropolis, olim Tigurina vel Auguſta Tyberii, ſeu Regino, ut certò affirmat Bilibaldus appellata. Vadianus Reginoburgum vocat, nos Regenſpurg, habet pontem lapideum ſpectandi operis. Accedo eis qui, juxta illam putant caſtra olim Romanorum Regina cognominata conſediſſe. Fuere namq; & in aliis hujus ripæ locis frequentes Romanorum adverſus Germanos excubiæ. Huic urbi vetuſtiſſimæ varia nomina tribuere ſcriptores, quæ recitat And. Althamerus vir doctus impenſeq; laborum patiens in luculentis commentariis ſuis in Cor. Tacitum, de noſtræ nationis populis moribuſq;.

Emmerani) Expunxi nothum vocabulum Timarani.

Leonis) Ejus nominis noni genere Alemanni, qui antea Bruto è Comitibus Dagcſpurgenſibus fuit progenitus.

literas attulit) Extat earum exemplum apud veterem amicum noſtrum Dominum Chunradum Peutingerum, ut ipſe in diſertis ſuis teſtatur Sermonibus Convivalibus.

Maſſilia) Urbe Galliarum in maritima ora Provinciæ ſita.

Valentiam) Hiſpaniæ, unde Regi fuit origo. Eſt namq; eo nomine civitas in Italia, atq; in Gallia, ſed clarior eis quæ in Hiſpania, nulli quoq;, ut audio, in tota ejus provinciis, ſplendore ſecunda, equitibuſq; eam nobiliſſimis habitari, unde non miror olim vetuſtiſſimos illos cives ejus honeſtiſſimos à Cicerone appellatos. Qui nunc tenent eam, veterum quoq; majorum Germanicæ originis virtutem atq; nobilitatem referunt.

5 Philippo) Cognomento Bono patre Caroli Principis, Gallorum Regibus ſuo tempore formidoloſi, auſpiceq; imp. Frid. aſciti filii Maximiliani ſoceri. Huic Philippo debet Leodium ſuam, quam patrum memoria accepit internicionem unico Caroli F. & Ludovici Gallorum Regis impetu irrogatam. Eam quarto libro Commentariorum ideò tam diſerte narrat atq; prolixe Card. Papienſis, quò poſterioribus Pontificibus eſſe documento poſſit, quantum ſeculi Principibus oporteat credi, quantumq; adhiberi curæ conveniat, ne ii paſtores plebi dentur, quorum vel ætate vel ambitione pro pane lapis & pro ovo ſcorpius juxta verbum Domini offeratur.

Contra patriam) Unde à pleriſq; ſcriptoribus non Princeps ſed tyrannus audit, ob oppreſſam patriæ libertatem, cum hæc poſt Deum ſecundum obtineat locum. Lege Pontanum de Immanitate.

6 Nougardia) Seu Novogradia, ut eſt Paullo, Jovio, & noſtro Bilibaldo. Sonat autem eorum lingua novum caſtrum. In ea, ut cœleſtium rerum periti tradunt, ſolſtitio æſtivo umbræ ferè nullæ ſunt, non multis antè annis totius Moſcoviæ caput fuit.

Ru-

Rutenos) Biſariam ſunt diviſi, in Inferiores Lituaniæ vicinos & in Orientaliores ac Boryſtheni propiores. Nunc recentiori qua interfluit, ſuum quoq; nomen indidit. Ea eſt omnium Moſchoviæ urbium longe clariſſima, atq; hodie non abs re è Nogardia huc translata ſedes Principum regiaq;. Vide Jovium in de moribus gentis, & Bilibaldum noſtrum in explicatione Germaniæ. Baſilius qui toti Moſchoviæ nuper præfuit, quum Cæſ. Maximiliani redderentur literæ, quòd epigraphe non Imperatori, ſed magno tantum Moſchoviæ Principi indicabat ſcriptas, recuſavit eas legere. Cujus tamen non multo poſt celebrem Legationem vidimus apud Maximilianum An. ſalutis M. D. XIIII. Gmundæ in Norico Ripenſi, ſeu in Auſtria vocata hodie, ſupra Anaſium ſive Aniſum amnem, jam land ob der Ens, Titulum ejus oſtentoſum refert Jovius, contra Principum noſtrorum morem, qui contractiore uti ſolent in epiſtolis.

Ampliſſima cognomento inq; ſcriptoribus magna, adeoq; ut & in proverbium abierit. Quis poteſt contra Deum & magnam Nougardiam: autor Crantius in Vand.

Lucanus) lib. 1.

Flavi Ruteni) Nunc Rutenenſes, inter Aquitanos trans Ligerim poſiti. Volater. interpres Verulanus civitatem Rutenorum ait unam eſſe ex Allobrogibus.

Sedem habent) Situm eorum jam citati Jovius & Bilibaldus ſumma & fide & diligentia demonſtrant.

Sed raro) Eſto ejus relationis fides apud Sylvium. Satis conſtat noſtra memoria, qui Nogardianis imperarunt, ejuſmodi Regum viciſſitudinem minime factam eſſe. Siquidem Joannes Baſilii pater, qui multa Imperio adjecerat, decedens filio reliquit, qui & ipſe forti magnoque animo vir, reiq; militaris eximiè peritus adeò receptos paternæ ditionis fines dilatavit, ut quum illa verſus occidentem a mari Baltheo incipiat, per quingenta milliaria Alemanica & magna quidem, Orientem verſus ſe extendat, ita ut longe Tanaim nec non Volgam hoc eſt Kha fluvium ſuperet & per Aſiaticam Scythiam excurrat, quod & noſtra ætate Helvetiorum doctiſſimo Vadiano in deſcriptione Sarmatiæ viſum eſt.

7 Leonora Cæſ. Maximiliani mater abſtemia. Fridericus Imp. parce uſus vino, atq; eodem aqua macerato, maluit ſterilem quam vinibibam uxorem.

8 Albertus frater Cæſ. Friderici, dum is ad Aquiſgranum (quam primariam regni ſedem cis alpes Carolus Magnus inſtituerat) cingendus Inſulis regalibus proficiſcitur, in Carnos movet. Publica privatis anteponenda. Obſerva memorabile verbum Friderici, clementiæque exemplum in fratrem hoſtem.

Profligatum reperit) à Ducibus ſi exercitus quos procuratores Cæſar vocabat, ſe in Anuvalder, vocabulo liberaliore. Nunc ſuperbè ſatis atq; novis nominibus utimur, & ut lego apud Labacum Carnorum oppidum clarum. Sclavini accolæ Lublanam vocant, Teutonicè Laibach. Ornavit urbem Fridericus impetrata ſede Epiſcopali à Paulo ſecundo, fruſtra reclamante Aquileienſe patriarcha.

9 Patavi) Neſcio de noſtràne, quæ nobilis Epiſcopali ſede ad confluentes Oenum & Danubium in Rhetia ſecunda poſita eſt, an de Venetorum Patavio urbe clariſſima, atq; munitiſſima loquatur.

Magnus) Vere vir omnibus modis magnus futurus ſi in meliora incidiſſet tempora. Quanquam nec ſic apud Latinos, qui de rebus in natura inſignibus ſcripſerunt, ſuperior omnis ætas ſecundum dederit, ut nec forſan poſterior ſimilem ſit paritura. Lego de eo quum in ultima ſenectute à ſtudioſis viris conſuleretur, reſpondere plerumq; eſſe ſolitum, Quærite Albertum in libris, adeò non modo non præ ſe ferebat tot annorum ſtudia lucubrationeſq;, ſed memoriæ videri volebat diffidere, cum tamen & memoria optime valeret.

Inediæq; ſuæ) Noſtra ætate apud Auguſtam claram Alemanniæ urbem (quam mirum eſt eruditiores etiamnum pergere Vindelicorum appellare, prodito manifeſtiſſimo errore, ſed hic non tantum pertinax eſt falſa perſuaſio) mulier fuit, quam & ipſe vidi & loquentem audivi comes Joanni Stabio magni ſeculo noſtro nominis mathematico, qui Cæſ. Maximiliani juſſu pleraque ex ea ſciſcitabatur, credita paſſim ab omnibus abſtinuiſſe multis annis, ſed quæ apud viros ſummo tum faſtigio, tum loco inediæ fidem jam obtinuerat, tandem a cordata Principe Cunigunde ſorore laudatiſſima jam vidua matre inclytorum Bojoariæ Principum, qui nunc amabili concordia rerum potiuntur, ob fraudem miro ingenio deprehenſa ultimum merebatur ſupplicium, clementia tamen Cunigundis intercedente tantum Provincia interdictum eſt. Itaq; vertere ſolum coacta Friburgum Helvetiorum venit, nupſitq; illic manualium baliſtarum conficiendarum opifici jam vetulo, qui nuper priorem uxorem amiſerat. Abduxerat ſecum alumnum ſuum, puerum mercatoris cujuſdam Auguſtani filium, quem is apud Sanctiſſimam Virginem pro mercede educandum collocarat. Accidit autem ut puellus moreretur. Ibi illa veterum impoſturarum memor, quum educationis compendio ſe fraudandam cerneret, alicunde æqualem, & forma non ita diſſimilem aſciſcit, atq; de parentis cognatorumq; nomine & conditione quantum poteſt, educet. Vocat filium ſuum in Sueviam pater, vivere eum putans. Impoſtrix iſta adulterinum filium ſummittit. Fraus neſcio unde ſubolet patri. Scribit Helbingo conſuli Friburgenſi, quo cum illi propter mutua negotiationum commercia haud mediocris intercedebat familiaritas, ſuſpicari ſeſe dolo circumveniri à muliere, cujus fucus pridem toti Germaniæ innotuiſſet. Conſul compellatam eam in carcerem duci jubet. Ibi confeſſa de aſcititio puero facinus, quum priora crimina judices reputarent, capitis damnatur, manu carnificis paullo poſt in Zana fluvio qui id oppidum præterlabitur, ſuffocata. Maritus ejus, quòd fraudis conſcius non erat, dimiſſus eſt. Aureus Germanicos ſexcentos non ita contemnendum ut talis mulierculæ peculiolum, fiſcus accepit. Hanc mercedem impoſturarum ſuarum juſta numinis vindicta tandem tulit Anna Auguſtana ſuæ civitatis diu miraculum, nunc ludibrium.

Deo charus) Sic habitus Gerardus quidam Cœnobita Cajetanus ſub Rege Ferdinando Alphonſi F. De eo, nec non de aliis nonnullis, qui perſuadere conarentur Angelos victum ad illos quotidianum ferre, ciboq; divino paſcere, pluribus meminit Pontanus libro ſecundo de Sermone.

10 Comitum de Vuittembergo ſeriem geſtaq; eorum & varios eventus pete ex Nauclero, qui bene longum Chronicon ſuum opus, loco tamen, tempore, ordineq; debitis in narrandis eis bona fide locupletavit.

In Suevia) Recentiore, cujus Althamerus ſitum valde exacte in notiſſimis commentariis deſcribit.

Appellatione careant) At nunc qui præeſt provinciæ Uldericus illuſtris Princeps tertius Dux à Comite Eberhardo cognomento Barbato, quem primum Cæſ. Maximilianus in celeberrimis illis Germanorum apud Vuormatiam comitiis, quæ hodie Germanis nominantur der groſs Reichſtag zu Vuombrs, Ducem Vuirtembergæ Tecciæq; appellavit. An. à Chriſti die natali M. CCCC.XCV. Sueviæ appellationem, ſeu titulum, ut vulgo dici ſolet, magno quidem opere ſtudioq; & ambierat & optaverat, ſed quod provincia uni ſoli non pareret, ut quæ pridem ad multorum Principum, Comitum, Baronum, civitatumq; Imperii ditionem perveniſſet, ab inclyta denique Auſtriaca familia Sueviæ Princeps, quod Diplomatis ſatis conſtabat, renunciatus, illuſtre alioqui nomen originis ſuæ nobiliſſimæ ad Ducalem appellationem ſublimitatemq; extulit. Fuere tunc in magnis viris, quod multis poſt annis ore Cæſ. Maximil. excepimus, qui nomen, dignitatem, autoritatemq; adauctam minime voluiſſent. Eos namq; haud latebat quo conſilio atq; reſpectu cordatiſſimus vir maluerit in Ducibus poſtremo

eſſe

Digitized by Google

eſſe locn, quàm comitum in ordine cum primis cenſeri. Nauclerus, ejus alumnus, diffundit calamum in narrandis quum virtutibus tum meritis laudati Principis, quæ pariter avunculus meus Jacobus Vuimphelingus honeſti, recti, veri, ut cætera ſileam, cultor ſtudiuſus, hecatoſticha celebravit.

Improbi) Rectius ſort. ſuperbi, quia ſecundas fortunas, ut ait Plautus, faciunt ſuperbos.

Qui neq;) Ratio dicti.

Henricus ſeptimus) Italis, nobis vero debet eſſe octavus, nam illi Henricum Saxonum & Turingorum Ducem, qui Chunrado primo, qui per Franciam Germanicam & totam Germaniam regnavit & ex Carlingorum genere apud nos poſtremus deceſſit, jam ſobole cui uni & eidem Gallicum regnum & Germanicum ſimul adminiſtranti paruerant, pridem in Gallia abſorpta, non dignantur nomine catalogòve Romanorum Auguſtorum, quòd Romæ nec unctionem nec coronam ſuſceperit, quod nugaturium ridiculumq; eſt, quum ſub Romanis Pontificibus pleriq; fuerint Imperatores nec inuncti nec coronati, ut recenti memoria, ne vetuſtiores repetamus, Albertus & Maximilianus ſine ulla approbatione Imperii munus egregie munierunt. Quod hujus Henrici tam eleganter ſcriptam vitam geſtaq; habemus, multum profecto debemus eximiè docto viro Vecerio. Utinam ſuperiores Principes ſimiles ſcriptores eſſent nacti.

In conſpectu Cæſaris) Senſus requirit ut pro contractu, conſpectu aut comitatu legamus.

Cui Henricus) Sanè memorabilis vox, qua monſtravit obtrectatori non habendam fidem.

11 Pontani & Siculi meminit in ſcholiis Panormitæ adjectis.

12 Amator & hic vetuſtatis) Habet & in noſtra ætate ſuos veneranda vetuſtas miratores, præcipuos autem apud Suevorum Auguſtam Chuonradum Peutingerum, ac noſtrum Beatum Rhenanum viros multis alioqui nominibus præclaros. Unde dignum æquumq; exiſtimo, ut ab ea viciſſim dierum ditiſſimi fiant. Quanquam Rhenanus non tam erotis è terra numiſmatis delectatur, quàm flagrat amore reſtituendi antiquiores autores germanæ lectioni. Unde, ut ipſe primus eſt, qui monſtravit ſuo exemplo, ut verius reparari depravatorum codicum lectio poſſit, ita ſtudioſiſſ. quiſq;, niſi malignus ſit, non puterit non fateri primas ei quoq; eſſe dandas.

Veteres dicaverunt) Autore Numa ſecundo Romanorum Rege. Clauſum eſſe ferunt Janum ter in univerſum viri haud ineruditi, quum unus Auguſtus Jani templum ter clauſerit, quod non ignoravit Oroſius, & Suetonius apertiſſimè prodidit, apud quem pro vocabolo ter, incurioſi hiſtoriæ perperam tertio legerunt, quorum lectionem demiror Eraſmum reliquiſſe, quum palàm hiſtorica fides refragetur, interpreſq; Beroaldus teſtetur ſic emendatos codices habere. Sanè ſemel ab ipſo à quo conditum, iterum à T. Manlio Coſ. & ter ab Auguſto, atq; ita quinquies clauſum eſt Jani templum. Sciendum igitur Auguſtum ab Oriente poſt Antonium Cleopatramq; devictos, cum victoria redeuntem primum clauſiſſe Jani portas, quo die primum Auguſtus conſalutatus eſt. Deinde potitus Cantabrica victoria iterum, & eaſdem tertio clauſit, cum ab Oriente in Occidentem à Septentrione in Meridiem, ac per totum Oceani circulum cunctæ gentes una pace compoſitæ forent, quo non multo pòſt tempore natus eſt CHRISTUS, cujus adventui, ut eleganter Oroſius dixit, pax iſta famulata eſt & cætera cap. 22. lib. 6.

Tanti Regis) Alphonſi. In Panormita plura ejus legimus ornamenta. Sed ne domeſtico tantum nitamur teſtimonio, Marinum Scodrenſem audire licet. Is libro nono Caſtreoticæ hiſtoriæ, de morte Alphonſi verba faciens. Et fuit, inqoit, non indignus Alphonſus, qui nedum Epiri & ſociorum, ſed totius orbis terrarum longas querelas, atq; apertas lachrymas ſecum ferret. Mœſtiſſimum æque omne cum eruditorum, tum militarium virorum genus reliquit opti-

optimus optimorum omnium Mœcenas, extincta æquè cum eo ſunt ſua literis, ſua armis præmia, ac ſtudioſorum cunctorum ornamenta vix longo forſitan poſtliminio reverſura. Ita nullus (pace omnium poſteritatis præſertim dictum ſit) illo melior vel virtutis, vel meriti humani æſtimator multis ſeculis non effulſit. Regiam præterea comitatem, ac tantum in rebus facetis, quantum in gravibus ingenii, & omnium (ut ita dixerim) earum judicium, quis non appoſitiſſimis ſemper præconiis excoluerit? Variante fortuna, & nunc ſecunda (ut fuit) nunc adverſa maxima ubiq; gloria parta. Ad hæc in tanta clementia & liberalitate vix ullus Regum ejus ætatis tantas opes, & adeò locupletes theſauros reliquiſſe narratur.

Gratiam conſequi) Eam profecto in oculis Alphonſi invenit Panormita. Nam de eo Pontanus libro de Sermone ſexto, ſic ſcribit: Antonius Panormita, qui obliteratam, nedum langueſcentem in Italia Poëticam reſtituit in antiquam penè formam, cum a ſtudioſis perſæpe hominibus de perverteti, dubitataq; ſive Poëtæ aliqua, ſive oratoris interrogaretur ſententia, quadam etiam cum frontis hilaritudine, ac ſi memoriæ diffideret, Ite, reſpondebat, ad Jovianum, adeò etiam ſenex & primarius vir in Alphonſi Regis aula, quod ſæpenumero docuiſſet, ſcire ſe diſſimulabat.

13 Imitatum eſſe Cæſarem) Qui potuit? ſi modo verum eſt quod apud Laurentium Vallam de eo judicium extat. Cæſar Maximilianus quum rogaretur quid nam de commentariis Cæſaris, ſi quandoq; legiſſet, ſentiret, Reſpondit, ſermo quidem ornatus, at autor de ſeipſo.

Lituaniæ Ducem) Regio eſt latiſſima in eaq; ſunt plures ſitus; moreſq; gentis atq; ſutria bellicoſorum Ducum geſta ſunt a noſtris ſcriptoribus petenda, Crantio in Vandalia, Matthia Michoviano cap. 2. lib. 2. Bilibaldo, in explicatione Germaniæ, atq; Chronicis Polonorum Annalibus.

Svitrigalum) temulentum, crudelem. Is impia in fratrem arma de ſe optime meritum accepit nomine Jagellum, qui deficiente regia ſtirpe Polonica, fidem Chriſti unà cum regno accepit, ac poſt ſuſceptum baptiſma Uladiſlaus vocatus eſt ſub annum ſalutis M. CCC. LXXXVI. Svitrigalus ut immanis bellua à conſpiratoribus trucidatur, ſimulatione urſæ, quam ipſe aluerat.

Quaſi Apicius) Fuit ille, teſte Plinio, ad omne luxus ingenium mirus, appellaturq; ab eo omnium nepotum altiſſimus gurges, Libros dicitur de gula ſcripſiſſe, pro qua multas abſumſit opes.

Dum ligurit) Elegans verbum, nam id huc pertinens à Sylvio ſcriptum opinor, idiota librarius poſt particulam dum, depravarat in legitur. Ejuſmodi interceptis apicibus non tantum ætati illi familiaribus, exemplar meum ſcatet, quum nec hodie omnino abierint in deſuetudinem. Eſt namq; ligurire etiam paullatim & cum quadam mora atq; elegantia comedere, quaſi ſinendo ut per ſe cibus in ſtomacho liquefiat.

Itaq; occidentales) Dubia ſententia cui ſimilem in toto Eraſmo non facile inveneris. Cura illi fuit quod ad compoſitionem ejus lector minime hæreret intelligereturq; ab omnibus, quod in ſcriptore omnium maxime commendandum eſt. Nec eam præſtiterunt claritatem, qua omneis Batavos ille vicit, qui ubiq; gentium ſe tantum non pro Ciceronianis haberi voluerunt. Budæus ita ſcripſit ut videatur huc reſpexiſſe, ne quis ipſum imitari vel poſſit vel velit, vir alioquin extra controverſiam ad miraculum doctus.

14 Rara avis) Notum proverbium, quo rem quamvis novam inventuq; difficilem indicamus. Juvenalis.

Rara avis interris, nigroq; ſimillima Cycno.

Homines amat literatos) Duas maxime res in his, qui præſunt cæteris, eſſe oportet, bonitatem & doctrinam: prima præſtat, ut ſi per ſe non ſapit, viros adhibeat ſapientes. Hujuſmodi fuit Alexander Imp. qui quanquam puer juriſconſultos & matrem prudentiſſimam rebus præfecit.

Nur-

Nurſini) Emenda ſi habes, ut meum exemplar, Vuſini. Nurſia namq; Umbriæ civitas ſtudioſiores rei bellicæ quàm literariæ nutrit alumnos.

Sic enim literatos vocant) Quemadmodum noſtri eruditis iniquiores vocare ſolent eos per contemtum die Gelederren.

Procul atœnt) Idem audio, ſi modo verum eſt, noſtros facere Norimbergenſes. Satis conſtat Sixtum Pontificem moviſſe loco capitularis ſenatus, qui eatenus illum tenuerant, doctores, in haud incelebri ad Rhenum eccleſia. Ferendum profecto levius, ſi illaudatus doctores arcuiſſet, aut equeſtri tantum genere propugnatos edixiſſet aſciſcendos. Sic enim ad literarum ſtudium revocaſſet Germanicam nobilitatem, quæ eas ferè ſola calluit olim. Contrà Julius Pontifex ferè analphabetum, ut qui Donatum vel recte legere nequeat, quod in deliciis eum habuerit, ut fama eſt, doctorem appellavit, ſacerdotiiq; non ita contemnendis honeſtatum ad natale ſolum remiſit. O tempora! o mores!

15 Ruperto) E ſamilia Com. Palatin. Rheni cujus regio hodie vernacula lingua Pfaltzia, indocte Palatinatus vocatur, penes eam eſt Electuræ dignitas, imperatoriuſq; Dapiferatus.

Baccharacenſe) Quod Baccharaci oppido Palatinæ familiæ proveniat. Unde Rudolphus Agricola putat à Baccho dictum Baccharach. Aſtipulatur Celtis noſter elegia 13. lib. Amorum tertio.

Ut ante relatum eſt) cap. 46. primi libri.

16 Id ubi negatum eſt) Sordido Gallo diſſimilis admodum fuit coætaneus Urſus Comes Nolanus, ſingulis enim ille annis, quibus Nolæ præfuit, ſatis bonam pecuniam puellis collocandis decreverat, unde & vivus maxime charus Nolanis fuit, & mortuus ab omnibus deſideratus. Autor Pontan. in de Liberalitate.

17 Italici ſacerdotes ignari Evangelicæ doctrinæ.

Thaboritas) pro Laberhictos legendum. Ex Viclephitana namq; hæreſi aliæ, ut fit, ſunt derivatæ. Thaboritarum, Orphanorum, Adamitarum, Orebitarumq;, quorum non ſtultæ modo, ſed pudendæ etiam fuere inſaniæ, de quibus lege Papienſem, & Sylvium in Boëmica hiſtoria, qui autor eſt fratrib us Thaboritis nomen inditum à monte Thabor CHRISTI transformatione nobilitato. Ætas noſtra tulit mulierculas, quæ ſacerdotibus magni nominis apud Germanos ſacrarum literarum imperitiam objecere.

18 Cum quo) Certe, ut quidam prudenter admonet, niſi noſmetipſos mala ſemel concilient, quæ imminent toti orbi Chriſtiano, ut adverſus tantum hoſtem, qui irreconciliabili odio ac deſiderio extinguendi Chriſtianum nomen, nihil intentatum relinquit, nos accingamus, verendum ut brevi Epitaphium ſimus conſcripturi LIBERTATI.

19 Vitoldus) Librarius externum in notius Germanis vocabulum Luitholphus mutarat. Sylvius alibi hujus Vitoldi meminit, ideo ſic repoſui, licet à nonnullis Vitaudus appelletur. Fuit bellicoſus Princeps atq; Sigiſmundo Aug. tam charus, ut Regem eum appellaverit, nequicquam reclamantibus Martino V. Pont. Uladislaoq; Polonico Rege, cui ante nomen Jagello fuit, quàm ſanctiſico lavacro mergeretur, affirmans eam poteſtatem ad Imperatorem duntaxat pertinere. Quanquam Vitoldus omnium Chronographorum conſenſu, jam fama rerum ſtrenue geſtarum inclytus prius obiit, quam ad eum perferrent legati Diadema.

Gimſenſibus) Correxi Gunzienſibus. Nam Gunzium oppidum in Hungaria eſt Stiriæ atq; Auſtriæ proximum, quod latrones occupaverant cum pleriſq; circumſitis caſtellis, ex quibus in Auſtriam profecti, magnam vim pecorum atq; hominum abegere. Motus ea re Cæſar comparato raptim exercitu in Hungariam trajecit. Narrat & Sylvius in Europa Friderici fratrem Albertum ad Muram fluvium octuaginta item latronum colla fregiſſe laqueo, qui omnem circa regionem rapinis, atq; incendiis vexabant.

21 In hoſpitali) Ejus Pontanus in de Liberalitate his, quæ huc referenda videbantur, verbis meminit: Neapoli in hoſpitali S. Mariæ, domo, quæ ampliſſima eſt, expoſititias puellas uno tempore non adultas educari vidi, quod quanquam abunde mirandum, illud multo admirabilius, majoribusq; laudibus proſequendum, quòd eaſdem pudice liberaliterq; inſtitutas, qui domui præſunt, honeſtis viris bona cum dote collocant.

Hic, inquit) Contempto vaticinio pugnat Alphonſus.

Quarto Non. Jun.) Anno a nativitate Jeſu Chriſti Domini noſtri Milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſecundo poſtquam in eam Renatus Andegavienſis pervenerat anno quarto. Bracellus tamen ſcribit octavo Idus Jun.

22 Ad claſſem evaſit) Vide Plutarchum in vita Cæſaris, ibi, Bellum Alexandrinum, & Suetonium, cap. 64. in vita ejus.

Batavos) Horum loco, quæ recitat Althamerus in Commentariis præſertim in inferiore Batavia, tenent nunc Hollandi, quotum mores Eraſmus Hollandus & ipſe graphice deſcripſit in Parœmia, Batava auris.

Conſtat) Ex lib. 2. Taciti.

23 Urbis Cellam) Repoſui Orbatellum adjutus Sabellico. Eſt oppidum Hetruriæ, quod, quia erat natura loci munitiſſimum, ut in Europa ſcribit Sylvius, cui eſt Urbetelium, Picininus per proditionem recepit, ſed qui non multo pòſt veniſſet haud dubiè in poteſtatem hoſtium, niſi ad Orbatellum, Alphonſi Regis triremibus exceptus ſeſe hoſti ſubtraxiſſet.

24 Teutonicum Achillem) Cur ita Sylvius latius aliquanto explicat in Europa cap. 39.

Norimbergenſes) Eorum urbs tameſi non admodum vetus, inter claras Germaniæ civitates præcipuum nomen obtinuit, nec ſuis laudatoribus caruit, quorum duo è noſtris memoriæ poſteritati ſe ſacrarunt Celtis, & Eobanus. Sunt qui Norinbergæ nomen inditum velint à Norico monte, quod ſolus eorum immineat agro, contractaq; vulgo dici Nurnberg pro Nureinberg. Sylvius alibi prodidit Norimbergenſes nec Bavaros, nec Oſtroſrancos videri velle, ſed tertium quoddam ſeparatum genus.

Hic moriat) Forti viro nuſquam honeſtius quam ad ſignum occumbere.

26 Presbiterum montis Calui) Significat den Pfarrher vom Calenberg, cujus tum dicta tum facta, nonnulla teutonico carmine conſcripta atq; edita leguntur. Certe eorum pleraq; haud illepida videntur, multa ridicula extra ſcurrilitatem tamen etiamnum narrantur ab accolis per manus poſteris tradita, quæ ipſe nondum vidi typis publicata. Vadianus Coſmographus illuſtris Montem Calvum putat nunc eſſe, qui veteribus Cæcius vocatur. Bilibaldus affirmat in Nurico ſitum, Styrenſiumq; hodie eſſe montanum. Nec deſunt qui Cæcium haud procul Arrabone germanicè Rab ſtatuant. Verius autem eſſe puto, quod Cæcius Pannoniæ primæ initium ſit, & Norici terminus. Germanice der Kalenberg dictus, quòd in ſummitate excisis arboribus calvus inſpicientibus appareat.

Nam quamvis) Vide Sphæram Joan. de Sacro buſco cap. 2.

27 Hoc cap. meminit filiorum Principum qui ſua ætata in parentes impia arma ſuſceperunt.

28 Hoc anno) Qui fuit à nato Chriſto quinquageſimus ſextus ſupra milleſimum quadringenteſimumq;.

Altaq; familia) Etiamnum noſtri Germani ſolent plurimum tribuere nobilitati generis. Porrò qui nihil aliud habet, quam majorum imagines, opinione nobilis eſt verius quàm re.

Poſteritati meæ comparavi) Certe claritudini generis præſtat ſua inclareſcere virtute.

Ita in me) Nec vane, ut late explicat Chronographus Hungaricus ad finem Annalium. Simile dictum fertur Iphicratis, qui Harmodii abnepoti cognomini generis probrum, quod ſutore patre natus exiſtimaretur, per convi-

cium

Digitized by Google

cium objicienti, Meum, inquit, genus à me habet originem, tuum vero in te deſiit. Hoc item Cicero imitatus eſt, Salluſtio reſpondens, & unde petenda ſit vera nobilitas oſtendens inter alia, Satius eſt, inquit, me meis rebus geſtis, quàm majorum opinione niti, & ita vivere, ut ego ſim poſteris meis nobilitatis initium & virtutis exemplum.

29 In noſtram familiam) Burgrafianam, videlicet, quam nobiliſſimam nec minorem comitum claritudine fuiſſe ſatis arguunt connubia eorum cum filiabus ſublimiore loco natis contracta. Quibus vero cæremoniis res acta ſit in Conſtantienſi ſynodo dilertè refert Nauclerus ad finem 48. Generat. Ejus autem nominis familias quatuor Annales Germanici referunt. Magdeburgenſem, Vuirteburgenſem, Norinbergenſem & Rotenburgenſem ad Tuberum, De quibus vide Irenicum non ita contemnendum, quin etiam vel eo nomine laudandum, quod primus illuſtrandæ Germaniæ tam late campum aperuerit, tot veterum probatorum utriuſq; linguæ autorum recentiorumq; Chronographorum monumentis revolutis, nemini interim invidans, qui meliora faciat.

Ætate ſuccedit) Quia ſecundo genitus.

Voitlandiam) Eam Latini quidam, at parum latine Terram Advocatorum vocarunt. Expunxi autem Forlandiam, ut forte ab homine Italo ſcriptum eſt. Regionem nobilitavit Pinifer mons, qui quatuor amnes in quatuor mundi plagas effundit. Ægra, Nabum, Mœnum & Salam. Voitlandiam Althamerus pro Prætoriana terra non inſcite intelligit.

Quicquid Franconici juris poſſideo) Hoc eſt, quicquid ditionis jure in Oſtrofrancia teneo quæ certe non parva cenſenda eſt. Quanquam regionis Dux appellatur quiſquis Epiſcopus Herbipolenſis ab Imperatore Regève Rom. de ea, ut Feudiſtæ loquuntur, inveſtitur, quod eſt Latinis in verba Cæſaris, hoc eſt ad præſtandam ei obedientiam, jurejurando venire.

Partem Moſicæ) Repoſui Miſniæ. Nomen percelebri regioni, quam olim incoluiſſe volunt Hermunduros, inditum à Miſſena urbe epiſcopali: autor eſt Aithamerus.

Uxor) Nomine Barbara Sigiſmundi Aug. affinis, à quo Ludovicus primum Mantuæ Marchio dictus eſt. Qui nunc rerum potitur Franciſcus Ducis appellationem à Carolo V. Imperavit. Gonzagarum familia origine eſt Germanica.

30 Partem Auſtriæ) Kiburgenſem comitatum maternam hæreditatem.

Apud Heluetios) Inter Rilam & Arulam flumina, vel ut quidam tradunt, ad Schafhuſam oppidum è navicula in ripam egredientem.

Incautum) Quid enim mali ab eo expectaret, quem coluerat, quem educaverat?

Remiſit) Dicens Imperatoris occiſorem ab Imperatore judicandum.

Agere pœnitentiam juſſit) Sententia minime ſevera in parricidam majeſtatiſq; reum. Sed ne quis miretur rerum ignarus, libet externi, natione Itali, temporum ſcriptoris eximia cum doctrina tum fide clariſſimi huc verba adſcribere, quibus palàm fit, quo fuerit animo Cæſar Henricus Lucemburgius erga magnanimos magnificentiſſimoſq; ubiq; Principes Auſtriacos. Ea ſic habent: Henricus Cæſar conſilium proximorum Cæſarum vituperabat, qui per ignaviam timiditatemq; Italiam non fuiſſent ingredi auſi. Id ſibi unum elaborandum, ut ad priſcum decus nomen Cæſareum redeat, reviviſcat, recolatur. In Germania etiam Cæſarum parente Auguſtiſſima, multa ſecus ac oportuerit, facta diſſimulataq;. Ob unum Auſtriæ Ducatum quinq; Cæſares interemptos, eos Duces dejiciendos ex illarum rerum arbitrio: ut ea nobiliſſima regio Cæſaris tantum imperio pareat. Mox Henrici concilium, hæc cupiditas non latuit proceres illius gentis, exortæq; ſunt liberæ voces: verendum igitur Cæſari, ſi pergeret alienas opes appetere, ne ſextus Cæſarum numeraretur Auſtriæ cauſſa interemtorum. Ita permotus, Fridericum Alberti hujus occiſi per ſcelus filium, Ducem Auſtriæ appellavit, in verba ſua jurejurando adactum,

Odium Vatinianum Cæſ. Henrici Lucẽburgii in Duces Auſtriacos.

ac

ac juſſum apud ſe Italico bello militare ducentis cataphractis equitibus. Quod & alio loco annotavimus, nempe in primum Cimbriaci Encomiaſticum.

31 Fabella Bern. Senenſis in ſacra concione relata. Pontanus non refellit morem Prædicatorum (nam hoc vocabulo non raro utitur, quod Ciceroniani hujus noſtri temporis ut ſcopulum fugerent) qui prudentiſſime excogitata quædam & ficta in exemplum adducunt. Porro, quod apud ipſum Pontanum legimus Fran. Philelphus hunc ſanctulum tam teneræ illi delicatæq; erant aures, Mediolani prædicantem dicto aculeatiori ita pupugit, ut ex eo omnem eorum ordinem, qui Minores Fratres dicuntur, non in ſe modo, verum in omneis literatos armaverit, exindeq; inſectari ſtudia hæc humanitatis, ordinis ejus prædicatores nunquam publicè privatimq; deſierint. Candide tamen nec uno loco tantum meminit poſt Bernardini in Satyrarum opere neutiquam negligendo, quod contineant, ut ipſe in ultima fatetur, quæ magna dies tolerat.

32 Albertus) Avus fratrum Principum Bavariæ Vuilhelmi, Ludovici, & Erneſti, qui hodie in humanis agunt.

Strubingum) Oppidum vetus in dextra Danubii ripa, quo loco quondam Thunicates conſedere, quorum fuit Auguſta Acilia, quæ ut Bilibaldo videtur ac aliis eruditis, eſt ipſa urbs, Strubingum ex eo maxime, quòd hodie Azelburg vocetur.

Ob noxam) Pro ob noxium reponendum.

Qui potentiorum) Quorum illud eſt. Sic enim volo, ſic jubeo.

33 Hoc caput in meo codice deeſt, quod puto dormitantis ſcribæ factum incuria, quum Sylvius fateatur in epiſtola ad Ponormit. lib. primo præfixa, in ſingula ſe capita ſcripſiſſe.

34 Anglici Epiſcopi atq; proceres adorantur à miniſtris ſuis. Eorum igitur faſtus plus quàm ethnicus. Commendat autem Germanorum cum ſummi Principis, tum magnatum morem, quo dum edunt, uti ſolent.

35 Ut ex fidelibus) Contrà Alphonſus Rex, autore Pontano, cum indignis tum à quibus male audiebat, multum & ſæpenumero contulit, dictitans offulam objiciendam oblatrantibus canibus.

36 Hinc diſcendum vires Principum Germaniæ formidandas eſſe rerum publicarum civitatúmve moderatoribus.

39 Colligit è dicto Cæſ. Friderici judices non juſtos tantum & prudentes, ſed & acutos ac ſolertes eſſe oportere.

Ziſcha qui cætus) Unde eleganter dixit Sylvius in hiſt. Boëmica, Cæco populo cæcus placuit ductor, indeq; tametſi veræ res ab eo geſtæ, apud poſteros plus admirationis quàm fidei eſſent habituræ. Expunge cætus.

40 Improbum petitorem Fride. Imp. lepido dicto compeſcuit. Philippus Macedonum Rex quum Cliſophum Athenienſem adulatorem increparet, cur ſemper aliquid peteret, lepido joco reſpondit, obliviſcor.

Anno ab hinc ſecundo) qui fuit Servatoris noſtri M. CCCC.LIIII.

41 Morbum monere nos ad capeſſandam meliorem vitam.

42 Neapolim) Lege Pontanum in hiſtoria paulo ante calcem ultimi libri.

Arcem) Cujus illa opus fuerit narrat Bracellus mox ab initio lib. 5.

Formaq;) Fœdè hic locus corruptus eſt, apparetq; mihi non unum aut alterum vocabulum deeſſe, ſed totum verſum, ſeu lineam, ut vulgo dicitur. Proinde conjectura tantum uſus ſenſum lectioni utrumq; reſtitui, de quo lectorem admonitum volui, ſi forte quis exemplar emendatius nactus eſſet.

Sit effuſus) Sub Diocletiano apud urbem Puteolos.

Poſtremo) De Bajis, Cumis, ac Puteolis vide Blon. & Camertem in Solinum.

43 Cadavera) Scripſi rudera, ut opinor, rectius.

Suſcepit) Unde Aug. ejus nominis ſecundus, cujus memorabilis vox Principum aures perpetuo percellere deberet.

Principem) Quem enim quiſq; amat, eum ſi fieri poſſit, vivere perpetuò expe-

expeit, nulliq; minus exercitu opus eſt quam ei, qui plurimum ametur. Laudatur Thomæ Pontani dictum, quod is libenter uſurpabat. Amorem nunquam feciſſe ſtipendium. Illud etiam ejuſdem, ut prudens, commendatur. Amorem inermem quidem incedere, dormire tamen loricatum. Devinciet autem Princeps popularium, ſeu, ut nunc vocant, ſubditorum animos. Inprimis ut amari ab eo ſe intelligant. Deinde fidos faciet liberalitas grato animo conjuncta, eſtq; demum humanitas Cyri exemplo, qui quum ob inopiam liberalitate uti minime poterat, benevolentiam ſuorum humanitate conabatur aſſequi. Quippe quibus etiam in faciundo opere adjutor adeſſet, ac laborum ſocius.

Solam innocentiam) Hoc eſt honeſtam opinionem, quam proficiſci è virtutibus jam dictis neceſſe eſt.

Fida cuſtodia) Satellicium ſignat, quo ei non raro opus erat, præſertim in florentiore conſtituto ætate, quod tum multa inconſiderate ageret, nec quam maxime decebat animi moderationem adhiberet, atq; continentiam. Lege autorem cui debetur appendix Chronic. Hungaric. cui fidem dictionis ſimplicitas ſatis vendicat.

44 Alberto) Cujus modo mentio facta eſt.

Ladislai) Poſthumi.

Vita functo) Quum vix toto biennio imperaſſet. Commendat Cæſ. Fridericum, Electorem item Brandenburgenſem cognominem, Albertumq; Bavarum, quòd vocati ſua tempeſtate ad regna adhuc ſuperſtite legitimo hærede eadem contemſerint. Quemadmodum legimus de Ferdinando Rege citerioris Hiſpaniæ, quæ nunc pars in Aragoniam & Cathaloniam diviſa eſt. Is ſollicitatus à plerisq; ut ulterioris Hiſpaniæ regnum ſuperſtite etiamnum mortui Regis in incunabilis filio, ſibi aſſumeret, itaq; ut erat non minus prudens quàm juſtus, in publico ulterioris ferè totius Hiſpaniæ conſpectu convocatorum de more procerum ac populorum procuratorum, expectantium ut Regem ipſum declararet, prodiit in medium, editoq; è ſuggeſtu infantulum regio ornatum cultu, atq; impoſitum humero, alteq; ſublatum, ab omnibus conſpici ut poſſet, oſtentans, En Regem, inquit, ô Hiſpaniæ Principes, liberarumq; urbium oratores. Noſter hic Rex eſt, hunc veneremur, hunc colamus, huic fidem magis ſervemus, quàm mos Hiſpanorum eſt gentis adverſum Reges. Atq; his dictis collocatum regio in ſolio infantulum ipſe primus, ut moris eſt, ad pedes ejus procumbens & veneratus eſt illum, & in verba ejus juravit, utq; idem cuncti facerent, exemplo ſuo adegit. Pont. lib. 2. de Magna.

45 Provinciarum) Vide elegantiſſimam l. illicitas. ff. de off. præſ. item l. Congruet, eo tit.

46 Aulicis ſe extricare occupationibus irretitum, difficillimum.

Milites) Aulicos intelligit opinor, togatos & inermes. Probus Imperator laudatiſſimus non patiebatur armatum militem eſſe ocioſum, dicens, Annonam gratuitam militem comedere non debere.

47 Cæſ. Sigiſmundus adulationis impatiens impudentiorem adulatorem cedit, modeſta fortaſſe non ita improbanda eſt adulatio, ob cauſſam, ſuprà in cap. 1. relatam. Cæſ. Fridericus Amadæi Allobrogum Ducis filiam forma præſtantem, & ſimul copioſam admodum oblatam dotem ideo renuit, ne ducta illa uxore ſocer ei à ſynodo Baſilien. papa pridem appellatus agnoſcendus eſſet.

48 Cum nos) Indicans in regibus eſſe ne male audiant. Certe Regibus honeſta tantum licent, & quæ juſta ſunt, nec ullibi eos ab officio ceſſare oportet. Immane quantum abſunt ab hujus Principis ingenio, quod cum non raro committant deteſtanda, idq; palam, monitorem tamen ferre non poſſunt.

Et putrida) Pravos ſentit cives ſubditoſq; rebelles reſecandos.

At à Deo) Diſſimile, quanquam iterum prodit ſupina ignorantia librarii, quem apparet hactenus aliquot capita, quod male cohæreant deſſecuiſſe. Ob-

ervanda vox tam pia, tam Chriſtiana dubio procul à præſcripto æternæ ſapientiæ, qui eſt filius Dei, perfecta. Quid autem præſcribit ſapientia Regibus? Miſericordia, inquit, & veritas cuſtodiunt Regem, & roboratur clementia thronus ejus. Hanc ſapientiam quæ ſecum omnia bona defert, orabat Solomon, ut ſuo throno ſemper adſiſteret, fidiſſima, certiſſimaq; conſiliaria.

49 Duri, inexorabiles.

Immites) crudeles. Quos tyrannos, vel portenta verius dixeris, qualia nulla non ætas ſub Principum titulo pertulit.

Nam) Juxta illud Chriſti; in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis. Vopiſcus loco mox citando autor eſt, Imp. Aurelianum, à multis neq; inter bonos neq; inter malos poſitum, quod ei clementia Imperatorum dos prima defuerit.

51 Stultum ſeſe neminem judicare. Obſervandum item, imperare, eſſe artem artium, omniumq; difficillimam. Flavius Vopiſcus in Aurel. tradit ſe audiviſſe à patre ſuo, Diocletianum adhuc privatum dicere ſolere: Nihil eſſe difficilius quam bene imperare, cauſſa addita: Colligunt, inquit, ſe quatuor aut quinq;, ſimul conſilium ad decipiendum Imperatorem capiunt. Dicunt quid probandum ſit. Imperator qui domi clauſus eſt, vera non novit. Cogitur hoc tantum ſcire, quod illi loquuntur. Facit judices, quos fieri non oportet. Amovet à repub. quos debebat retinere. Ita ut dixit Diocletianus, bonus, cautus, optimus venditur Imperator. Itaq; concludit Vopiſcus, nihil difficilius eſſe bono Principe: quæ autem res malos Principes faciat, idem recitat. Inter Socratica apophth. apud Eraſmum, quæ ad hunc locum faciunt, habes num. 10. & 12.

51 Qui brutis) Unde dictum cujuſdam inimici ſcurræ, qui fuit temporibus Divi Claudii, celebratur. Videlicet, in uno annulo bonos Principes poſſe perſcribi, atq; depingi. Quanquam Principes à Carolo noſtro Magno, qui Germanicæ originis Ro. Imperii titulo rerum habenas moderati ſunt, collati ſuperioribus ſive Italis, ſive Græcis uno atq; altero exceptis, inter ſanctiſſimos atque optimos collocandi ſunt, præcipue vero qui à tricornibus Jovibus, quod eorum ſuperbiam, ut cætera ſileam, ferre non poterant, execrati ſunt, quorum è numero fuere Henricus nobis quartus; Friderici pater & nepos Principes ut innocentiſſimi, ita per Cainos maxime implacabiliter perſecuti.

52 Duos pueros) Vulgato patrii ſermonis more, Adoleſcentulos nominat pueros. Quamvis etiam propria ſignificatione, cum puerum dicimus, impuberem intelligimus, id eſt, qui quatuordecim annos non expleverit.

53 Forma præſtantes) Pulchros, formoſos.

Improbitatem) More eccleſiaſticorum pro turpiter factis videtur uſurpaſſe. Pulchrum enim & turpe ad mentis rationem inter oppoſita continentur. Vide Platonem in Hippia majore. Lego Aſpaſio Ravennati magiſtro epiſtolarum Imp. Alexandri Mammeæ F. id dictum tribui, Nempe fieri non poſſe, ut qui omnino deformis ſit, bonus ſit. Sed & apud jureconſultos relatum eſt, Sapientis judicis eſſe ex ipſo vultus corporiſq; figura mentis bonitatem ſpeculari atq; conjicere.

54 In liberis apud Germanos civitatibus Peculatum familiarem eſſe. Repoſui peculatum pro peculiatu, quæ ſane proba dictio eſt, ſed huc non pertinens, eum qui peculia habet ſignans. Contrà expeculiatus, qui pecunia exhauſtus eſt, metaphora à ſervis ducta, qui peculium conſumſerunt. Cæterum peculatus rei qui ſint, quæ ve eorundem pœnæ conſtitutæ, docent juriſconſulti lib. ff. XLVIII. tit. XIII. & impp. Honor & Theodoſ. aa. l. Unica. C. de crimine peculatus. Quanquam conſulto Friderico ſeverius animadverſum eſt apud Auguſtam Suevorum in quendam è primorum numero peculatus inſignire reum, cui patrum memoria gula laqueo fracta eſt, ut & noſtra ibidem alteri ejuſmodi criminis reo minoris tamen ſubſellii, eadem pœna irrogata eſt. Conſtat item apud Agrippinenſes non multis antè annis quam Aug. Maximilianus

Imp.

Imp. excederet, aliquot optimates ex hoc potiſſimum, ut ferebatur, capite detruncatos. Quæ res mox Agrippinenſes difficili involuit negotio, quum inconſulto Cæſare efflagitanti populo id factum adverſus leges, decorionumq; hoc eſt, magiſtratu fungentium prærogativam, cum fuerit: Juriſperitorum ſententia eſt decurionem delinquentem comprehendi quidem, at non prius, quàm ad Principem relatum delictum ab eoq; reſponſum acceptum ſit, torqueri poſſe, aut de eo ſupplicium ſumi. Quamquam à præceptore noſtro clariſs. me. Dn. Zaſio ſæpenumero auditum eſt illaudatos Germanorum mores Das althatkommen, optimis legibus obeſſe.

55 Stultis) Scurras & moriones Schalcknarren intelligo, quorum non unam eſſe ſpeciem oſtendit Pontanus lib. de Sermone tertio. Et in Liberalitate ſcribit, Alphonſum Regem, quanquam eſſet profuſior, hujuſmodi tamen homines ciſternæ rimoſæ perſimiles dixiſſe, quas ut nullas impleret imber, ſic hos nulli quamvis magni proventus rerumq; compendia ſatiarent. Itaq; de fatuis natura qui parvo aluntur non arbitror ſenſiſſe Cæſarem.

57 Ut vincamus noſmetipſos) Diſcant noſtri Principes victores exemplo Friderici temperare animum, neq; inſoleſcere ob res ad voluntatem cedentes, parcereq; victis, quatenus tamen ratio patitur, ſiquidem videndum ne renovari bellum poſſit. Atq; ut ſeditionum Principes puniendi, ubi alia ad ſecuritatem nulla eſt via, ſic imbellis multitudo etiam fovenda.

Atq; avaritiæ) Nam primum eſt victoris, ut magnopere videat in ipſo vincendi curſu, ne ſtudio cædis, aut rapinarum bellum gerere videatur.

58 Immitem) rigidum, inexorabilem in caſtigandis facinoroſis. Innuens ignoſcentiam eſſe potiorem pœnitentia.

61 Caliſtum tertium) Sed is Alphonſi beneficiorum immemor perverſa conſilia & perfidiæ plena adverſus filium Ferdinandum agitare cœpit. Quippe qui eſſet fluxa fide, pervicaci ingenio, variis conſiliis, præcipiti ambitione, ut Pontanus prodidit in hiſtoria, cui quàm Platinæ magis in hac narratione puto credendum. Sed cogitationes omnemq; Caliſti conſilium mors interrumpit. De quo Dominicus Capranicus ſacerdos Cardinalis, cum intellixiſſet eum Pontificem creatum à collegio Cardinalium, quod ejus degenerantem cognoviſſet animum, quàm fatuè, inquit, fatui fatuum creavere.

JA-

JACOBI SPIEGELII
SELESTADIENSIS
SCHOLIA IN TERTIUM
COMMENTARIORUM
ÆNEÆ SYLVII
LIBRUM.

IN PROOEMIUM.

VIrtutem magis uſu diſci, quàm præceptis. Virtutis enim laus omnis, Cicerone teſte, in actione conſiſtit. lib. Off. primo.

Non qui facienda dicunt) Diogenes dicebat eos, qui de virtute loquerentur, nec recte viverent, Citharæ ſimiles, quæ ſono prodeſſet aliis, ipſa nec ſentiret, nec audiret quicquam.

Sed qui dicenda faciunt) Taxat latenter, qui per vitam omnem nihil aliud quàm de virtute diſputant, quod virtutem verba putant, ut lucum ligna, quemadmodum notans eos dixit Horatius.

In omnium rerum licentia) Quum Sex. Nero Cæſar nihil flagitiorum ſibi non permitteret, elatus tanto rerum ſucceſſu, dicebat neminem Principum ante ipſum, ſciſſe quid liceret. Verum qui hoc dixit, ſenſit tandem quid viciſſim liceat populo in malum Principem. Eraſ. lib. Apoph. ſexto.

In Cap. 1.

Fama vivere poſt mortem præclaros autores.

Tu neq;) Sentiens cum Diogene vitam ſine literis mortem eſſe.

2 Principes commodis publicis minus recte conſulere poſſe propter conſiliatiorum privatos affectus.

3 Levius rerum quàm famæ jacturam) Sic emendavimus locum in diverſum ſenſum depravatum. Affuit enim Sigiſmundo liberalitas ac munificentia quanta in nullo antea Principum.

4 Romæ) quum Fridericus Imperialibus inſulis à Nicolao V. cingeretur.

5 Uxor fuit) Et ſimul amica. Nihil enim degeneravit à paternis moribus. Nam filia fuit Friderici Comitis Ciliæ omnium ætatis ſuæ viri flagitioſiſſimi. Meminit ejus Sylvius in Europa, & hunc imitatus Volaterranus.

Turturis exemplum) Hanc lex Dei velut caſtæ hoſtiæ munus elegit. De ea lege divum Ambroſium quæ ad hunc locum faciunt, cap. 19. lib. Hexam. quinti.

Cur non columbas) Vox parum pudica, ſed quam aliam, quæſo, expectares ab ea, quæ perſuaſa erat, animam æque atq; corpus interire.

Columbas) Quod fatui ſæpe indulgeant.

Paſſeres) Ut hi avium ſunt ſalaciſſimi, ita vitæ breviſſimæ feruntur.

6 Moroſa uxor, mors viri.

7 Ottocatus) Repoſui Ottacharus, qui quia Ott ſeu Od (ut Anonymus doctus proculdubio ac juxta diligens autor ille, qui aliquot nomina propria Germanorum ad priſcam Etymologiam reſtituit, tradidit) ſignificat, Hatto Hetto. Eſt autem Hatto ſeu Hetto idem quod pater. Unde adhuc hodie teſte eodem in Haſſia pueri appellant patres ſuos Hatto, ſicut & in noſtra Alſacia, Hetto, quod forte eum latuit. Et credit Chattos, quos nunc Heſſos vocamus, priſco vocabulo Hattos, id eſt, patres, & Hattiam patriam appellatam eſſe.

Digitized by Google

eſſe. At eadem ratione Alſacia, Hettia videretur eſſe vocanda. Interpretatur autem Hetteger, pater cuſtodiens, ſetvans, tuens. Hegem enim ſignificat cuſtodire, inde nomen Heger, quem nunc Hoyer vitioſe dicunt. Cæterum Cutacharus is eſt, quem acie victum Cæſar Rudolphus occidit altera in eum ſumta expeditione, haud longe ab oppido Maregck in tractu, cui à Matavaha flumine nomen eſt Marcfelt, ut à Lecho ad Suevorum Auguſtam, Lechfelt.

Ne cornua) Nimirum ſentiens id in ſua ferendum, quod quis in aliena patrat, juxta celebrem mimum, Ab alio expectes, alteri quod feceris. De Curnutis extat haud illepidum carmen, quod Joan Nevizanus juriſconſoltus indefeſſæ & ad miraculum lectionis, refert in Sylva ſua nuptiali. pag. CXLV. Porrò non ſatis conſtat de qua oxore accipiendum ſit, quum Ottackarus pro Regum vel potius tyrannorum licentia ſuperduxerit alteram repudiatæ ut anui & ſterili Margatitæ Auſtriæ, quæ fuit ſorot Ducis Friderici Auſtrii, in quo fine ſobole defuncto laudatiſſima per multos annos familia Leopoldina cognominata, extincta eſt, cui ſumma Cæſ. Rudolphi virtute partæ, quæ nunc rerum, potitur nobiliſſima totius Germaniæ gens Habſpurgica ſucceſſit, nullam unquam, ut cæteræ, interea intertuptionem ſtemmatis paſſa. Sola itaq; ſetiem continuam referre poteſt, quæ & induſtria ſtudioque Cæſ. Maximiliani nullis non annalibus monimentiſq; veterum excuſſa, texta eſt in libto, cujus ſtatim mentionem feci in primis in Ant. Panormit. ſcholiis.

Poſt annum, inquit) Sic Joannes Geilerus vulgatiore cognomento dictus à Keierſperg (quod eſt Alſaciæ oppidulum, haud ita contemnendum, in civitatibus decem, quæ ſub Cæſaris præſide, Imperatorem tantum agnoſcunt) celebris ſua tempeſtate Prædicator, electo, qui hodie præeſt Argeotorate. eccleſiæ Epiſcopo è præclara illuſtrium Comitum ab Honſtein familia Vuilhelmo tertio, quiq; ut alias plane egregias virtutes prætercam, peculiare in procerum conſeſſu, nomen Principis & magni cum uſus tum conſilii, pacificatoris deniq; in provincia meruit, jam concionem ſoluturus, elapſo, inquit, anno videbimus, an novus præſul vobis laudandus veniat. Proculdubio imprudentia eſſe ratus de eo publice verba facere, cujus mores nec dum ſatis noviſſet, quos etiam non raro magiſtratus mutare ſolet.

9 Fratris) Vuenceslai abrogati Cæſaris.

10 Pontano ſcurratum omnium defotmatiſſimi ſunt, qui apud Principum menſas, inq; dominantium aulis verſantur, non modo rei familiaris amplian dæ gratia, ut noſtra recordatione Chuontadus à Roſis, atq; Vitus Pfortzheimius, quod tolerabilius quidem videatur, verum ut ventri ſatisfaciant atq; ebrietati, hiq; facile quidem in omnem turpitudinem dilabuntur gulæ ac veneris ſtudio, Græco nomine nunc Paraſiti vocati, nunc Sycophantæ.

11 Philelphus) Cum Volaterrani tum Camertis aliorumq; excellenti doctrina virotum teſtimonio ſua tempeſtate extra controverſiam omnium doctiſſimus, qui, ut de Vinicio dicebat Auguſtus, ingenium in numerato habebat.

Satyras) Opus profecto refertum bona fruge.

Antonino Pio) Scribendum omnino, Caracallo, quod Oppianus Severo mortuo, à quo pater ejus in Melitam inſulam relegatus erat, oblato poëmate ejus filio Antonino Caracallo & parentis in patriam reditum impetravit, & ab eodem, quod Æneas hic refert, totidem aureis nummis, quot erant verſus donatus eſt. Quanquam hujus rei haud quaquam indignæ relatu Spartianus non meminerit.

12 In Trenia) Emendavi, interea.

Obſidere inſtituiſſe) Quia Ladislaum adoleſcentulum in Italiam abduxerat, Honeſta ratio.

Nec mihi veriſimile) Fides erga ſubditos.

Terris) Repone treis. Sic enim ab Ænea veterum more ſcriptum arbitror, quod ignaro prorſus exſcriptore, ut apparet, omni ferè linea, impo-

ſuit, ut ſcriberet contracte, qui mos etiamnum ſervatur iis, qui ſecretioribu Principum negotiis adhibentur.

13 Inter ſe contendiſſe) Subindicans & eis quoq; id pomum, ſicut evenit, diſſidium pariturum.

Ziſponem) Pipponem vel Pippum ſcribendum. Hoc Duce geſſit Cæſ. Sigiſmund. gravia bella adverſus Veneios. Vide Sabellicum & Volaterra:

Ex domo Stroziarum) Idem commemorat gentem Stroziacam maxime præpollulſſe cum divitiis tum equitibus, Ferrariæ quoq; per exilium propagatam. Siquidem Coſmus Medices a Stroziis expulſus, à Florentinis poſt annum revocatus, tallonem & ipſe adverſariis reddidit.

14 Conſilium præcipitatum Cæſ. Fridericus reſutat.

Cum Maranis) Moravis reſtitui, qui noſtrate lingua die Merrher appellantur. Olim regionem habitavere Marcomanoi, de quibus Rhenanus noſter luculenter diſſerit in Germania ſua.

Ulricum deinde) Fides Principis in conſilarium.

15 Conſilium peſſimum cumq; crudelitate conjunctum à Cæſ. Friderico rejectum. Non ſic Auguſtus, qui Cæſarionem Cæſaris patris ex Cleopatra filium è medio ſuſtulit, quo ſolus imperaret. Digni profecto erant, qui ſic invitabant Principem ad cognati ſanguinis effuſionem, ut mox è numero memoriaq; viventium tollerentur pœna legis Pompeiæ de Parricidiis.

Divitiis antepono) Sentiens ea duntaxat Regibus conſilia ſequenda, quæ honeſta ſunt, atq; juſta.

16 Qui ſumtus metitur) Quocirca opulentiſſimi etiam Reges, dum profundunt ſua, dum nullam facultatum rationem habent, ipſi quoq; eò devenire aliquando ſolent, ut exinanito ærario rei familiaris anguſtiis preſſi, ad ea quæ non conveniant, amplectanda cum conſilia, tum ſacta prolabantur, cujus rei maximum exemplum præbuit Alphonſus Rex alioqui laudatiſſimus. Vide Pontanum, qui illud refert in de Liberalitate.

17 Peſtem odiſſe) Bias Prienæus interrogatus quod eſſet animal omnium maxime noxium? Si de feris, inquit, percontatis, tyrannus, ſi de mitibus, adulator.

Bavus) Eſt Hungaris præſes. Emendavi corruptum vocabulum Marchlang, ſcripſiq; conjectura tantum Marcus Banus ſuit.

Dalmaciæ Palatinus) Huic regno ſecundæ tribuuntur à Rege, vocaturq; Palatinus regni, ne putes familiæ nomen, ut eſt uni in principibus ſeptemviris longe clariſſimo.

18 In cunabulis moriantur) Jodocus à Calbo patrum memoria theologus Heidelbergenſis, quum is ab avunculo meo amice monitus eſſet, ut quæ ſuperiore concione de ſalute Principum per quàm libere diſſeruiſſet, proxime concionaturus mitigaret temperamento quoppiam, vir perpetuo tamen ſibi conſtans, recepit ſe rem cordi accepturum. Sequenti igitur concione præfatus ſe quidem per occaſionem nonnihil de ſtatu Principum in futuro ſeculo dixiſſe, quæ ſorte minus vere, atq; aliter ac ſenſerat, delata auribus eorum, non admodum grate accepiſſent. Proinde ne ambigant, qua mente ab eo proclamata, ſint recipienda, ipſum jam ut ſua natura eſſet, aperte exponere velle. Videlicet, quæ antea de principum ſalute univerſim in medium protuliſſet, non niſi cum mica ſalis ſuiſſe accipienda. Etenim ſe minime eos excludere Principes æterno regno, qui ſeptennes moriantur, cæterum de per ætatem corruptis dictum eſſe. Videlicet jure cui videri poſſe, apud ſuperoos ferinam carnem perraram, ſi quis ex illorum numero ad cœlicolas conſcenderit.

Divæ Ferinæ) ſort. Serenæ.

19 Alberti) Eo nomine primi.

20 Commiſſurus prælium) Memorabilis ſane pugna, ut quæ ab ortu Solis in occaſum ejus protracta eſt. In ea Fridericus, qui antea bis victor abierat diverſis locis, inferior tandem captus eſt, & non occiſus ut Itali & in iis Egnatius,

tius,

tius, prodidere. Nam Leopoldus frater Ludovicum modis omnibus vexare non deſtitit, donec res Friderico ſuæ Auſtriæ reſtituto componeretur. Patria mea Seleſtadium ſecuta Friderici partes, recuſavit prius agnoſcere Ludovicum, imperataque ejus ſacere, quàm ille quævis ſen. pupque Seleſtadien. à Friderico conceſſa, nec ita contemnenda privilegia approbaſſet, quæ pariter clementia poſterorum principum permanent rata.

21 Quæ res) Lege annales Hungarici Chronographi in rebus Sigiſmundi Aug.

22 Memorabile Integritatis exemplum. Inter Joannem) Filium Imp. Henrici VII. qui adeptus dotale Boëmiæ regnum id ſucceſſoribus tradidit uſque ad Sigiſmundum Aug. ann. C. XXV. Cecidit in prælio cum toto exercitu militans Regi Gallorum adverſus Anglos. Lege Polydor. lib. 19. in hiſto. Angl. Gaguin lib. 8. & Paul. Æmil. lib. 9.

Henricum Carinthiæ Ducem) Habuit enim & ille in regno, qui partes ejus tenebant, quod ei altera atq; adeo major Vuenceslai Regis cognomento junioris ſoror nupſerat. Sed hunc primum Cæſ. Albertus Auſtrius expellens filium ſuum Rodulphum Regem conſtituit, quo paullo poſt mortuo res ad Henricum revertitur, contra quem rurſus Rex Joannes profectus, armis regnum ab eo accepit.

23 Ziſcha) vide Sylvium in hiſtoria cap. 38. Ritium lib. 2. de Regib. Hungar. qui eum Siiskaluſcum appellat. Quanquam librari inſcitia duo in unum vocabula coacta videntur, ut ſit legendum. Si vero Duce Ziſca luſco, quia altero captus erat oculo & quæ ſæquuntur. Vide & Papienſem Cardinalem lib. Comment. ſexto, ut cognoſcas quàm infeliciter Catholici contra Wiclephitanos pugnaverunt. Nam Guſſitarum (quorum fuit Ziſcha Imperator, hoc eſt, ut nunc dicunt, Obriſter feldthauptman inſania, quod nemo niſi, & ipſe inſani capitis negare poteſt, originem habet à Wiclephico dogmate.

Namq; hoſtes venientis) Senſus exigit ut legamus. Nam ut hoſtes viventis aſpectum non ferebant, ita mortui &c.

24 Hector Samentinus) Repoſui, ut in Antonio Neſtor Faventinus. Nimirum à Faventia Italiæ urbe oriundus. Nam qui genere obſcuro nati ſunt, ut inclaruere, utrumq; quiſquis ſuis factis à patria vel vicina loci natalis cognobiliore urbe cognomentum accipiunt. Sic ille Liebholdus à Scleſtadio.

Copiarum Ducibus) Audi & Eraſmum de bello vere Chriſtianæ differentem in explicatione parœmiæ, Dulce bellum inexpertis, digna profecto ut aureis notis tota excripta quotidie ante oculos Principum magnorum conſpicienda ponatur. Si ex re, inquit, omnium peſſima quicquam omnino commodi poteſt colligi, id totum ad ſceleratiſſimos aliquot latrones derivatur, ad militem mercenarium, ad ſtrenuos præcones, ad pauculos forte Duces, quorum artificio bellum in hoc ipſum fuerat excitatum, & quibus cum nunquam melius agitur, quàm in ſummo reipublicæ naufragio.

26 Contra eventos) Expunge, & Venetos repone. Et mox Mahumetes, pro Machmetus. Hunc debemus Sergio monacho ob ſectam Hæreſeos è Conſtantinopoli in Arabiam profugo. Leges ſuperſtitionis Sergio magiſtro condidit, quas uno volumine conſcriptas Alcoranum appellant, quæ piorum judicio non tam argumentationibus armiſq; quàm morum integritate, ac vero Chriſti Dei & Servatoris noſtris cultu refellendæ ſunt. Moriens prædixit ſe iturum in cœlum, quod diu expectantes tandem tetro coacti odore ſepulchri mandaverunt apud Mecham civitatem, quæ aditur ab eis ut à noſtris Hieroſolyma.

27 Socrates duxit uxorem) Lego eum ſimul aluiſſe domi duas uxores, Myrtûn & Xantippen. Proinde demiranti cuidam in quem tandem uſum aleret duas mulieres, præſertim rixoſas, nec eas domo exigeret. Hæ, inquit, me domi docent tolerantiam, qua mihi in publico utendum eſt; harum moribus exercitatus commodior ero ad aliorum conſuetudinem.

Gra-

28 Gracifcitanæ) Emendavi Groſſitanæ. Sic enim habet catalogus Epiſcopalium eccleſiarum Tuſciæ. Groſſitanen. vel Groſſetanus. Vide ſextum volumen Tractatuum juriſperirorum ſol. 87.

29 Verba jactarent) Sed ut eſt vulgi ingenium in utramq; partem immodicum, ubi Pragam recepit, qui paullo ante Boëmorum hoſtis, ex adulterio natus, Antichriſti filius, ſacrilegus, publicis hominum votis perdendus cenſebatur, extremis honoribus exceptus eſt, Vide Sylvium in hiſt. cap. 52.

Per præconem) Sic ars arte deluſa eſt.

30 Parricidium offerens à Rudolpho Imp. integerrimo rejectus.

31 Hæreſes) ſectas, de quibus Laërtius lib. primo. Hippobotus eodem referente novem ait fuiſſe. Sed duæ præcipuæ habitæ, quarum altera Academicorum, & altera Peripateticorum eſt: Horum concordiam, quam dum meditatur Jon. Picus Princeps illic incomparabilis, ut optima quæq; ſolet invida mors ſuperveniens intercepit trigeſimo ætatis anno. Lege vitam ejus, à nepote Jo: Franciſco ſcriptam itidem Principe omnium mea recordatione doctiſſimo, invenies quæ Hugonicæ ſententiæ aſtipulantur.

32 Occidi juſſit) Quum Imperatoris indulto, cujus Judæi, ex eo Regem non habemus niſi Cæſarem, ditioni ſubjecti ſint, ſynagogas habeant, hæreticis ut execrabilioribus ideo negatas, quòd profeſſam fidem violarint, cautumq; diſerte Rom. Pontificum lege, ne cui liceat invitos Judæos ad Chriſti fidem compellere, quod illa ex neceſſitate minime proficiſci debeat, non video quo colore tam crudele edictum, quod innuit Sylvius, verbo deſæviens, ſuſtineri poſſit, niſi nunc multitudo, ut à Seneca dictum eſt, tollat pudorem, & quod quidam juriſperitorum, neſcio quàm recte, uſurpant. Multitudo peccantium conſuetudinem facit. Sed eos reſpicere oportuit ad illud vulgo jactatum. Non minus ardent, qui cum multis ardent.

Ad Chriſtum, unum & ſingularem Deum) Is namq;, ut impp. Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius Augg. ad Eutropium Præſ. Præt. referunt, Nicenæ aſſertor fidei & catholicæ religionis verus cultor accipiendus eſt, qui omnipotentem Deum, & Chriſtum filium Dei uno nomine confiteiur. Quod negabat Arrius trahens in eam dementiam magnam partem orientalis eccleſiæ, annitentibus præſertim pro eo quibuſdam Imperatoribus, ut eſt in hiſtoria Caſſiodori, quam repurgatam illuſtratamq; debemus clariſſimo viro civi noſtro Beato Rhenano.

Multi metu) ſcilicet, vel vitæ vel rei amittendæ. Ejuſmodi Marranos hodie vocant Hiſpani, clam Judaiſmum obſervantes ſacro fonte abluti.

Incitatur) Correxi, minatur.

Carmen) Forte unum aliquem pſalmum.

34 Fœnus ita demum) Petitum è c. Sicut non, diſt XLVI. Certe publice intereſſet l. eos. co. de Uſuris obſervari, quæ certum modum fœnerantibus conſtituit, ut qui eum excederet, plecterentur. Alciatus, ut videtur, notat Epiſcopos & Sacerdotes Italiæ, quod fœneratores potius ſuis clàm creditis pecuniis in id lucrum, adjuvant, quam ullo modo coërceant. Quod & divus Cyprianus conqueritur.

35 Sexto & quadrageſimo) Scribebat enim Sylvius Paralella hæc, vel ut ipſe nominat Commentarium, dum Neapoli eſſet, Anno reparatæ ſalutis M. CCCC. LVI.

Duos gladios) Lage cap. 43. & ſeq. lib. 4. Annal. Polonic. ut cognoſcas memorabilem pugnam, quæ facta eſt. XIIII. Julii Anno à nato Domino M.CCCC. X. In ea plus minus quinquaginta milia hominum cecidiſſe referuntur. Uladislaus autem is eſt, qui ethnico patre natus Olgerdo Lithuanorum Principe rei militaris perito, cui & ille inter duodecim filios, natu maximus erat, licet prius à patre Ludovico Regi Hungariæ & Poloniæ Duci Auſtriæ Wilhelmo deſponſam virginem filiam Heduigim, quam Itali Galliq; more ſuo nomina externa corrumpentes Ajugam vocant, ducens uxorem, ut ſupra dictum eſt,

eſt, Polonæ regnum & ſimul regenerationis lavacrum accepit, ſummo tamen Epiſcoporum & Sacerdotum gentis ſcelere, invitæ adeò puellæ, ut quæ jam mater eſſe è Wilhelmo cupiebat, paterna vota rata grataq; habens, novum maritum obtrudentium. Horum & ſualu proceres regni aliquot ſimulantes à ſe ſponſum Ducem Wilhelmum, nec certe ita contemnendum, ut quidam ſcripſit ſuo Jovi blandiens, ad thalamum Reginæ, ut juſtum maritum, ſicut dubio procul apud Deum, ac ipſam Heduigim fuit, id morte ejus non multo poſt tempore ſecuta oſtendente, perducendum, quo jam è ſponſa conjux fieret, cum injuria ludibrioq; excluſerunt. Ut ſtet illud vulgatum Lucani carmen mutato uno duntaxat verbo:

Nulla fides pieraſq; viris qui lucra ſequuntur.

Oppidum beatæ Mariæ) Nobis eſt Marinburgum, in quo magni magiſtri ordinis Theutonicorum ſedes erat, priuſquam Poloni illud cum magna provinciæ parte occupavere.

Omnis Pruſſia) poſtremæ Germaniæ ora eſt ampliſſima, de cujus antiquitatibus non contemnendus libellus extat Eraſmi Stellæ. Crantius in Vandalia, Althameruſq; in commentariis ſitum, moreſq; gentis, bellaq; referunt. Tota olim fuit militiæ Theutonicæ ſanctiſſimæ Virginis Mariæ.

36 Exemplo Sigiſmundi Imp. pulchrius eſt benefaciendo quàm potentia inimicos vincere. Forte legerat aliquando Philippum filio Alexandro ſuaſiſſe, ut eos qui in rep. pollerent autoritate tum bonos tum malos ſibi conciliaret amicos, ac bonis quidem uteretur, malis vero abuteretur.

Neq; enim mortuus bellum excitat) Parœmiam Italice protulit, multarum namq; linguarum peritus fuit. Latinis eſt, Mortui non mordent. Noſtris vero, Canis mortuus non mordet. Theodorus Chius cum deliberaretur, utrum Pompejus ab Ægypto repellendus eſſet, an admittendus, cenſuit receptum occidendum, addens hoc dictum, Mortuos non mordere.

37 Albertus Auſtriæ Dux) Ejus nominis quintus filius Alberti, ni fallor, quarti. Bellum hoc quod autore Sternenbergio regulo, ſeu Barone inter Bohemi proceres tunc magna autoritate, excitatum eſt, in hiſtoria cap. 55. & referunt Annales Polonici lib. quarto cap. 53.

Si alium) Prudentiſſimus Princeps noluit per legatum, ſed per ſe gerere. Nam ut quidam ſapiens vere dixit, commonſtrantibus id multis noſtræ tempeſtatis exemplis, & quidem domeſticis, ne vel ſuperiora vel externa, tametſi horum affatim ſatis eſt, repetamus. Videlicet hoc eſſe præcipuum hulcus omnium rerum publicarum, quod omnia munia per vicarios adminiſtrantur, interdum alteros ac tertios. Ac frequenter is qui & honore & ſalario fruitur, minime omnium idoneus eſt ad functionem obeundam. Annotent hoc Principes qui ſubinde coguntur exactionibus gravare populum.

Fruſtra Ducem appellatis) Quod ejus ſit præcedere, petita ab etymologica ratione.

38 Exemplum conſtantis vereq; Socratici animi. Legimus enim Xantippen de marito ſuo Socrate prædicare ſolitam, quòd ſemper vidiſſet illum eodem vultu revertentem domum, quo exierat.

39 Obſervandum exemplum quo Cæſar Sigiſmundus heroëm invictum ſeſe ac virum fortem oſtendit.

Voce) Placida ſane atq; ſedata. Quoniam iratus aliquis, aut furoris ſtimulis percitus virum fortem præſtare nequit.

Audacia) Non raro rerum ſcriptores ſolent etiam laudare audaciam, eamq; in bello pro muro habendam dicunt. Atq; adeò paſſim ab omnibus uſurpatum vetus proverbium. Fortes fortuna adjuvat: admonet iis plerumq; res proſpere ſuccedere, qui fortiter periclitantur fortunam, ceu infenſam iis, qui nihil audent experiri.

Quiſq; timens) Sceleris, ſcilicet, conſcientia.

Conjurati) Hungaricus ſcriptor autor eſt, quod Sigiſmundus à duobus ac tri-

triginta regulis, quos milites regni vocatos dicit, juſſu ejus ſecuri percuſſis regnum nunquam ſine metu tenuerit, ac poſt prioris uxoris mortem captum, necandumq; magis quam aſſervandum fœminæ, cujus maritum ille interfecerat, eſſe traditum, quo vero dimiſſus fuerit modo cap.44. hujus lib. audiemur. Porrò cordatum certe Antonini Getæ dictum, nunquam magnorum Principum animis excidere deberet. Is, quum pater ejus Imp. Severus hoſtes ejus omnes necare deſtinaſſet, interrogavit quantus eſſet occidendorum numerus, eum quum pater edidiſſet, rogavit num iſti haberent parentes ac propinquos, quum reſponſum eſſet habere & quidem multos, plures ergo, inquit, in civitate triſtes futuri ſunt, quàm læti.

40 In eo bello) Meminit ejus Nauclerus Generat. 49. & Sylvius in Europa cap. 39.

Sexto) à virginis partu. M.CCCC. & quinquageſimo.

Granburgum) Scribendum Gravenburgum.

In valle jacet) Ad amnem Pegneſum, qui Laufenium Norimbergamque attingit.

Quamvis in ſe unum) Sic reſtitui interpolatam lectionem.

Attende non modicam laudem Germanorum, quod fœminas devictarum urbium ſervant inviolatas.

41 Jodocus.) Ea ætate Princeps celebri fama, & prudens & ſtrenuus religioniſq; atq; juſtitiæ cultor habitus. Certe nihil tam ad conciliandos popularium animos valet, quàm juſticiæ ad divini cultus opinio. Quamobrem non tam mirum ei delatam Imperii adminiſtrationem quam abrogatam, Wenceslaum æquiore hic conſtat animo depoſuiſſe, brevitas imperii, utputa semeſtris, Jodocum catalogo Principum excluſit. Geſſit graviſſimum ante bellum cum fratre Procopio. Lege Crantium in Vandalia lib. 9. cap. 29.

42 Cum ſciſſa eſſet) improprie dictum ex eo apparet, quòd concio fidelium, pro qua conſtat Chriſtum, inviſibile ejus caput, in Evangello rogaſſe, ne deficiat fides Petri, gratiam quotidie in eccleſiam infundentem, adeò ut neq; ſchiſmatici eam dividere, neque hæretici ſubvertere valeant, ſemetipſos ab eccleſia catholica alienantes. Nam qui delinquit ſeipſum condemnat. Unde vulgo dicitur. Ex maleficiis reum naturali obligatione teneri ad pœnam, quia videtur conſentire, ut merita pœna afficiatur, quod ferè omnes juris civilis interpretes tradiderunt in l. ex hoc jure ff. de juſt. & jure. Quamombrem donec ad ſanitatem revertantur non ſunt pars eccleſiæ, ex qua exiverunt, una in re ſolum intenti, ut contradictiones cunctis orthodoxis adducant, ut ubiq; concordiam extinguant, nuſquam pietatem adjuvent, ut vere dixit Alciatus maximus ille juriſconſ. cui uni ſolide docto vereq; pie ſentienti tribuendum eſt, quàm ſexcentis plauſtris concluſionariorum, quorum omnes hæreticæ ſententiæ veterum orthodoxorum commentariis confutatæ ſunt, ut idem Alciatus jam melior theologus late docet in enarratione epiſtolæ Joannis Papæ ſecundi ad Imp. Juſtinianum C. de ſum. trin. Sed bene habet, quod qui errat cum eccleſia, feliciter errat, ſi modo errare poteſt, quæ Chriſti ſpiritu regitur, regeturq; uſq; ad conſumationem ſeculi. Proinde rectius eccleſiam Romanam ſciſſam dixiſſet Sylvius, cujus Pontifices & erraſſe olim, & errare poſſe nemo negare poteſt. At interim in Catholica eccleſia, quæ ejus ſedis primatum, non ex frigidiſſimis decretis ſolum à CCC. annis citra uſurpatum, ut quidam hæreticorum ridicule tradiderunt, ſed ab Apoſtolicis temporibus per manus traditum, agnoſcit, Chriſtianorum dogmatum manet ſynceritas. Quanquam fatendum eſt, ſi per illos ferè annos Ro. Pont. vita moreſq; ex æquo reſpondiſſent profeſſioni Apoſtolorum Principis Petri, hoc eſt tam ardenter quæ Chriſti ſunt, qui ſpirituale regnum conſtituit, quæſiſſent, quàm eos forte exigentibus ſic, non ſatis, ſed populi peccatis, cæca ambitione, ac evangelio plane inimica cupiditate raptos, mundialibus opibus attrahendis ſtuduiſſe, operibuſq; carnis delectatos res ipſa declarat, nulla invidia

labo-

laboraret Sacerdotium, ſed ei priſtinus honos veneratioq; ſtaret, quæ ut reparari poſſint in Scholiis noſtris in Guntherum Ligurinum è verbis Pauli Æmilii, quem Canonicum Pariſienſem accepi, quod tum ignorabam, retulimus. Sapientes igitur qui pravos mores non urbis tantum, ſed orbis etiam quo Chriſti nomen receptum eſt corrigendos potius, & minime Rom. Pont. extinguendum putant.

Petrus de Luna) Hiſpanus è Cathalania qui Avenione Clementi pſeudopontifici ſucceſſerat Benedictus XIII. vocatus.

Bald. Coſſa) Neapolitanus vir potius militari quam ſacræ idoneus diſciplinæ, ut Volaterranus dicit, Bononiæ creatur quod & legatus Bononien. eſſet, & armatos milites haberet, ut ſi precario id obtinere non poſſet, armis conſequeretur, autor Platina. Eſt nonnullis Joannes XXIII. aliis XXIIII. de quo & ſupra dictum eſt.

Corarius) Emendavi Carrarius, patria Venetus ti. S. Marci Presbiter Cardinalis in Pontificatu nomen ſumſit Gregorii XII. creatus Romæ hac lege ut ſi ex re foret eccleſiæ ſe Pontificatu abdicaret.

Conſtantiam) Sicut conſtanter affirmant Vadianus, Althamerus, ab Conſtantio Conſtantini magni patre appellatam. Bilibaldo conjectura eſt fuiſſe olim Hamodurum.

Suevorum ut nunc) Quòd loca Rhetiæ primæ, cujus deſcriptionem pete ex primo libro Germanic. rerum Beati Rhenani, occuparunt. Alemanni occuparant, qui Suevorum nomine continebantur. Itaq; Turegum oppidum Sueviæ vendicatur, quod Suevi, id eſt, Alemanni pagum Turgavenſem poſſederint, in quo ſitum eſt Turegum. Conſtantiam autem in Rhetia prima cenſam fuiſſe veterum præſidiorum monumenta convincunt.

Sigiſmundus Imp. curavit) Imperatoris enim eſt in ſchiſmate procurare, ut congregetur conſilium, quod verum eſſe magni nominis juriſperiti interpretantur, ubi Pontifex Romanus ex magna cauſſa eſſet ſuſpectus, alioquin ad eum pertinere ſynodi vocationem, & eo negligente ad eos Cardinales, qui minime ejus labis ſuſpitione notantur, quæ conventui peragendo cauſſam præſtat. Ubicunq; autem de hoc oriretur aliqua dubitatio, exiſtimat Alciatus, ob ejus diſceptationem Imperatorem forte adeundum.

Ut nationes omnes) Unde Cæſ. Maximilianus eum per jocum Viatorem clericorum nuncupabat.

Electus) Maxime procurante ipſo Cæſ. Sigiſmundo, quo invito pòſt ſtatim in Italiam revertit.

Duos) Lunam, ſcilicet, & Coſſam. Luna pertinax retento Papæ nomine mortuus eſt, cui ſuffecerunt Clementem octavum canonicum Barchinoninſem Ægidium cognomine Muniovium duo Cardinales, Alphonſo Rege adhortantem, quod Martini Pont. opera abrogatum ei eſſet Siciliæ regnum à Regina Joanna, quæ prius eum heredem conſtituerat. Coſſa dolore animi, ut putatur vitæ pertæſus private moritur.

Tertius) Carratius.

Renuntiavit) per procuratorem Carolum Malateſtam, quum ipſe ad ſynodum proficiſci recuſaſſet, decreta eſt ei legatio agri Piceni, quia facile ceſſerat, in qua tamen non multo poſt moritur, Martino nondum Pontifice creato.

43 Suo periculo avertere alienum magnanimi eſt.

Cur igitur) Fuit illa tempeſtate, ut conſtat ex ſcriptoribus inquietior Senenſis reipub. adminiſtratio propter diverſa civium ſtudia, quæ Florentini fovebant.

44 Captum) Cum propter nobiles juſſu ejus, ut paulloante retuli, occiſos, tum quod apud Nicopolim ab Amurate Turcarum tyranno prælio victus inglorius revertebatur exutus caſtris, tum etiam quòd defuncta Maria uxore

con-

Digitized by Google

conſtupratorem ageret virginum, ſi modo in eo fides habenda eſt Hungaricarum rerum ſcriptori.

Cognomento Garzii. Scribendum Garil. Nam eorum pater Nicolaus à Gara Palatinus à ſcriptoribus appellatur.

Scio, inquit) Verba Regis Sigiſmundi ad fœminam, cui ob maritum ejus interfectum traditus fuit adſervandus in caſtro Soclos vocato. Nota Reges timere exempla.

Quod ſi me) Promiſſa magnifica. Sed à libertati reſtituto Sigiſmundo ſervata.

Debellatis rebellibus) Nomina eorum ſi forte requiris, petenda ſunt ex libro ſecundo Ricii de Hung. Regib.

45 Auſtriæ clariſſimæ in magna Germania provinciæ deſcriptio.

A Leſto) Emendavi Leyta. Hodie hoc flumen haud procul ab Aldenburgio Pannoniam ſuperiorem ab inferiori dividit, ubi & à Danubio recipitur. Anaſus qui & Aniſus, haud procul ab eo caſtello quod Chatnſtat, rude vulgus Raſzſtat nominat in profundæ vallis planitie ortus, primo tenuis, mox utrinq; illabentibus rivis auctus aſperrimis montium anguſtiis illabitur, atq; inde longis ſonoriſq; flexibus eluctatus Norici Ripenſis campeſtria ingreditur, curſu adeò citato, ut his in locis quibus interdum vadoſus, & quamvis fortia jumenta ſubſiſtere & ferre impetum vix queant. Ad hujus ripam, quod prius à veteri amico noſtro Vadiano viro docto atq; diligenti annotatum eſt, proximo anno Turcarum acerrimæ incurſiones patuerunt. Nam fluvii qui ſub Aniſo Danubium ingrediuntur in Norico, multis locis ſunt vadoſi. Neq; eſt ulla provincia hujus lateris, quæ tot amœnis, limpidiſq; & in totum piſcoſis amnibus irrigetur. Aniſus infra urbis Enſii mœnia juxta Mathauſen Danubio commiſcetur Anaſo urbi vulgo Ens, ab eo ſubter allabente id nomen dederunt, cum Laureacum veteribus fuerit oppidum archiepiſcopali ſede nobile, quæ poſtmodum Salisburgum tranſlata eſt. Ab hoc item amne, quicquid ſupra eum ſitum eſt, ab Auſtriacis popularibus Oſterreich ob der Ens, & quod infra jacet Aniſum Oſterreich under der Ens vocatur.

Norici) hoc eſt ut poſterius dici cœpit. Bavarici, prout nunc in ea portione qua in plana demittitur propemodum tota ditioni Principum Bavariæ ſubdita eſt. Quo vero autore, quòve jure in Auſtriacum nomen ceſſerit, copioſius ut ſuo loco, in Scholiis noſtris in Guntherum Ligerinum diſſeruimus.

Oenus ingens flumen) Et rapidiſſimum vulgo der Inn. qui verius è Rhetiæ primæ alpibus, quibus nunc nomen eſt Atheſinarum. à fluvio Atheſi, vulgo Etſch, delapſus oppidum Oenipontis Innsbrug præterfluit, à me olim celebratum in commentariis, quos in Stauroſtichon Pici ſcripſi juvenis, à quo quidem loco primum navigabilis, ſed montium anfractibus variè tortus, nec ſtatim in plana admiſſus, ubi longius per campeſtria ingreſſus eſt, amnibus aliquot non ignobilibus è Norico venientibus demum juxta Patavium cum tali impetu undarum in Danubium ruit, ut per longiſſimum ſpatium curſum ſuum ſervet, nec Danubianis admiſceatur aquis, quemadmodum perſpicue ex undarum colore apparet.

Pataviam) Scripſi Patavium meliores autores ſequutus inter quos præcipui Bilibaldus, Vadianus, & quem Germanos amare colereq; & venerari decet, Ricardus Bartholinus, cum quòd Italici ſanguinis vir immortali poëmate Germaniam noſtram, cui toto pectore ſavit, illuſtraverit, tùm quòd Cæſarianarum partium ſtudioſior haberetur apud Julium Pontificem accuſatus forti animo decennale exilium extorris tulerit apud nos. Extant noſtri in eum commentarii, quos niſi præcipitaſſemus amicorum precibus fatigati, multo meliores nunc dare poſſemus. Quanquam arbitror me non ſemper à ſcopo aberraſſe, atq; ideo apud gratiorem poſteritatem conatum quoq; noſtrum futurum gratioſum.

Vien-

Viennam) Capnion Vianam appellabat. Sic & Bartholinus lib. primo Auſtriados. Video eruditis inſequentibus haud diſplicere, quod ſcholium noſtrum admonuit, urbi indubie à Germanis conditæ, nam Favianis non eſt, ut putarunt non indocti viri, recepta provincia Romanorum præſidiis ejectis, à ſuburbano fluvio, von der Vuien, nomen inditum.

Poſonium) Teutonice Presburg quibuſdam placet ut Romane magis Piſonium vocetur, ut Sempronium pro Sopronio, Cedenburg.

Primo à Marchionibus) Video Sylvium ignoraſſe, Carolum Magnum, dum appararet Bavaricum bellum adverſus Taſſilionem in Hunnos, qui ſuperiorem Pannoniam inſederant, auxilia propinquis Bavaris & conſaguineis laturos, præmiſiſſe ex ſuis nimirum Oſtrofrancorum proceribus ſibi ſtrenuis bellorum ductoribus cum parte copiarum Theodoricum Alafredum, qui, ut ſcribit Æmilius, aliquot ſecunda prælia facere, munitioneſq; opportunis locis & præcipue ad coitiones fluviorum objectas expugnarunt, terroremq; circumſerentes hoſtem longis latiſq; finibus utentem ſubmovere, ex ea, quæ nunc Auſtria nomine indito ab Auſtraſia Belgica, pridem Germanica facta, in qua, quod nemo ſani capitis negare poteſt, majores Caroli puri Germani orti rerumq; potiti ſunt, atq; ipſe Carolus apud Ingelheimum natus. Itaq; victores, eorumq; poſteri virtute ſua parte provinciæ comitum nomine præfuere, quod ut vetuſtiſſimum, ita Carolingorum Principum temporibus uſitatiſſimum. Marchionum vocabulum plane barbarum poſterius propemodum ſub exoleſcentem Carolingicam ſobolem receptum eſt. Proba vero noſtratis linguæ vox eſt Marcgraf, eoſq; ſignat, qui ſub veteribus Imperatoribus Limitanei præpoſiti vocati ſunt, Videl. Viri ſpectabiles. C. de diverſ. off. & apparit. lib. 12. & Alciat: enarrantem rubricam de fundis limitrophis libro undecimo.

Stirps Ducum) Ea cognominata eſt Leopoldina, quod Cæſ. Henricus primus genere Saxo, cujus ſupra mentio facta eſt, propinquum ſuum Leopoldum Sueviæ Ducem origine Oſtrofrancum, defuncto Rudigero à Pechlar nuncupato, qui mox his qui è Carolingico ſanguine, hactenus rerum potiti ſunt, abſq; liberis extinctis, Auſtriam, quæ & orientalis Marckia dicebatur occupaverat, Marcgrafium appellavit, beneficiariumq; Imperii Principem conſtituit.

In fœmina) Margarita ſuperſtite fratri Friderico ultimo Duci Auſtriaco è Leopoldina ſtirpe nato, quæ à prædicto Leopoldo plus minus annos CCC. & XXVI. inclitæ provinciæ factæ Germanici Imperii per Carulum Magnum præfuit. Fridericus in acie adverſus Hungaros fortiter occubuit. XVII. Cal. Jul. An. M.CC.XXXXVII. Hungari, quod neceſſariorum olim ſuorum Hunnorum fuerat, Auſtriam ſæpe vexarunt. Itaq; Cæſ. Rudolphi virtute erepta ab occupatore Boemo Habſpurgiæ familiæ, ſummo Principum Germanorum conſenſu permiſſa eſt, cui imperavit hactenus circiter ann. CCLV.

Nam Bohemum) ut conſtet ſenſus nec legendum eſt.

Franconibus) Rectius Oſtrofrancis.

Hodie) Hoc eſt anno a nato Chriſto M.CCCC. quinquageſimo ſexto.

Non mihi ſitiebam) Rudolphus ſitis tolerantia prudenter ſitibundum exercitum refocillavit, ita Lyſimachus ſitis impatientia fractus & ſe & exercitum turpiter dedidit. Itaq; factus jam is captivus. O dii, inquit, quàm brevis voluptatis gratia, me ex Rege ſervum feci.

Cæterum obſervandum exiſtimo, Sylvium & Italum & Epiſcopum Rudolphum Imperatorem vocare contra rude vulgus præcipue Canoniſtarum quod nulli eam à Rom. Pontifice capite prius cincto diademate concedit appellationem. Cujus tamen cauſſa Rudolphus, ut quidam magna fide, doctrinaq; præſtans ſcribit, id electoribus exprimentibus ſe in Italiam intra annum profecturum receperit. Sed conſtat nunquam Italiam ingreſſum eſſe, ſemper novas occupationes publice cauſatum. Verum apud amicos vir præcellenti ingenio & prudentia non diſſimulabat ſe ab Italia deterreri priorum veſtigiis Prin-

eipum. Confirmatus eſt tamen à Gregorio X. in Concilio Lugdunenſi, ut quibuſdam placet, aut Lauſannæ quod verius puto, verſiculiq; veteres probanr. Bis ſexcenti ſeptuaginta treſque ſtetere anni, Lauſannæ dum Rex, & Papa fuere.

Porrò quod magno ſcriptores conſenſu cjus avaritiæ adſcribunt, id magis conveniebat prudentiæ viri, quæ in eo maxima fuit, tribuere. Nam quum longo interregno Rom. Pontificum nihilo deterior facta eſſet majeſtas, jamq; eorundem ſtudium cognitum haberet, totius ad ſe Italiæ, ſi liculſſet, trahendi dominationem, inſerviens tempori Rom. Eccleſiæ Bononiam conceſſit, cæteras autem urbes regulis tantum liberavit, poteſtatemq; fecit conſtitendi è ſuis civibus magiſtratus, modo in ejus poſteriorumq; Principum fide permanerent, quemadmodum inoleverat pridem apud Germanorum reſpub. quas etiam adeo prærogativis libertatibuſque ornaverat, ut niſi eas ad reclamantium Epiſcoporum Prælatorumq; Germaniæ improbam inſtantiam contrario reſcripto, cujus mox verba ſequuntur, reſcidiſſet, poteſtas ei regia protinus abrogata fuiſſet. Accedebat favor Rom. Pont. quibus haud omnia probabantur, quæ Vicarii Rudolphi in Italia gerebant. Reſcripti tenor ſic habet.

RUDOLPHUS Dei Graria Romanotum Rex ſemper Auguſtus. Univerſis Imperii Romani fidelibus præſentes literas inſpecturis, gratiam ſuam, & omnem bonum. Quia Regalem decet clementiam ſic libertates impendere, & bene meritis liberalitatis & munificentiæ ſuæ gratiam impartiri, Quod ex eo Imperio ac eccleſiis & eccleſiarum Prælatis nullum prorſus in ſuis juribus præjudicium irrogetur. Ad univerſorum tam præſentium quàm futurorum notitiam volumus pervenire, Quod per libertates illas quibus à creationis noſtræ tempore civitates & loca quæcumq; dotavimus nullum volumus Imperio & eccleſiis ac eccleſiarum Prælatis in ſuis juribus, & hominibus præjudicium generari. Sed volumus quod Imperium & Prælati Eccleſiaſtici omnibus viribus illis gaudeant, quibus ante libertatem hujuſmodi civitati & locis à nobis indultam uſi fuerunt, & quæ in eis ante tempora libertatis ejuſdem habuiſſe noſcuntur. In cujus rei teſtimonium præſens ſcriptum Majeſtatis noſtræ ſigillo juſſimus communiri. Dat. in Hagenavve. IIII. Non. Decemb. Indition. XI. An. M.CC.LXXXII. Regni vero noſtri anno decimo.

46 Seniorem) Filium Ducis Stephani cognomento Ingolſtadienſis, quod ſedem illic haberet. Princeps minime fortunatus, ut qui à filio degenere, ut ſupra relatum eſt cap. 27. lib. 9. grandævus jam exercitus eſt.

47 In Calcſio) Alii Coletum inter quos Polydorus, olim Morinorum Portus Icius vel Geſſeriacus, nunc in Picardia vulgo Cales oppidum quod Anglorum Regi paret, gentiſq; decreto Angli homines tantum habitant.

In Marinis) Repoſui Morinis, quorum caput Morinum, nunc Terravana regioni fecit.

Ad Regem Franciæ) Hiſtoriam texuit Polydorus lib. 23. rerum Anglic.

Cardinalis) Henricus Epiſcopus Vintonienſis Regis Angliæ legatus ad Attrebatum.

48 Fridericus ſenior) Clarus innumeris detrimentis, quæ Princeps priſci moris accipere maluit, quàm fidei nomen, quod Joanni XXIII. obſtrinxerat maxime ſecurus verba Cæſ. Sigiſmundi Conſtantianæq; ſynodi hic plane inconſtantis, prophanare, ut quæ pòſt declaraverit adverſus naturæ legem, rationis lumen, fidem non eſſe ſervandam hoſti eccleſiæ, quem interpretabantur hæreticum. Cujus autoritate Cæſar Sigiſmundus, jam ſatis ſerio clericorum viator, ut joco Imp. Maximilianus eum ſepius appellavit, Ipſum ejecit Principatu, quum poſt gravem Epiſcopi Tridentini vexationem, quæ in Conſtantianis actis continetur, abſtentus dictus eſſet. Conſtat tamen Cæſ. Sigiſmundum, qui, ut hominum eſt, non omnibus horis ſapuit, pòſt & maxime ſub exitum inconſolabiliter coactæ ſua opera ſynodi pœnituiſſe, cum Friderici cauſſa, quam jam

non

Google

non etat in manu ſua in integrum reſtituere, tum maxime omnium, ut id etiam non diſſimulaſſe ferunt, tum apud familiares aulicos, tum & propinquos Principes, quod fruſtatus omnino fuerit fructu Synudi, quem unice capere ſtudebat. Videlicet ut certo jam conſtituto in eccleſia eapite, puriores priſciq; mores revocarentur per omnes qui Chriſtiano nomine cenſerentur ordines. Sed bene habet, quod poſteros nee latet neq; latebit, interſuiſſe nonnullos, ut pauci ſemper eſſe ſolent, qui meliori judicio nituntur, inter quos Gerſon ille magni vir nominis ſanctimoniæq; opinione inſignis referendus eſt, qui Synodi pleraq; acta improbarent, quibus ſorte conſtitit etiam ſanctum ſpiritum conciliarem quandoq; non interfuiſſe, quem nec operatum ſemper Apoſtolis orthodoxi meliorumq;, ut ajunt, genium Theologi prodiderunt. Hæc à me nemo putet in ſugillationem ſynodi relata, ſed potius, quod haud degenerum filiorum officii putamus ad patres dormitabundos interdum excitandos, ad horam qua minime ſomno indulgendum eſt, diſſidiorum in eccleſia renaſcentium tollendorum componendorumq;, non magis præjudiciis nitantur ſynodalibus, quam ſcripturæ autoritas concedat, ſine qua quicquid conſtitutum eſt; maxime ad Fidei rationem pertinens, neq; lucem, neq; ætatem diu ferre poteſt. Cæremoniæ item ſanctioneſq; Principum Romanorum hoc eſt, & Pontificis & Imperatoris, quæ Oeconomiam reſpiciunt, publico tamen Eccleſiæ conſenſu eur mutari nequeant, nemo ſani cerebri dixerit.

Friderici patruus) Nam ejus frater Erneſtus, germanus erat Dux, qui Imp. Fridericum genuit. Obſervandum autem Principem Fridericum mercenarium egiſſe.

De purpuratis ſuis) Quorum aliquot poſt juſte tamen omni eorum fortuna exuit, quod tandem ſic didiciſſet, iis autoribus ei nihil ſucceſſiſſe, quicquid cum ſuis popularibus ageret. Accepimus quòd qui inter eos & autoritate & opibus præpollebat, cujus nomen honoris gratia prætereo, quùd reliquiæ propinquitatis tantum, extincto familiæ nomine ſuperſtites ſint, cum illâ Bolzani in gentis comitiis Fridericus privato ſimilis obujus fuiſſet, per ſummum contemptum multo plurimis popularibus audientibus dixiſſe fertur. Heus tu Friderice, quando fatuum depones. Teutonice Hoereſt Fridle vuann vuilt den narren laſſen. At ſtatim Fridericus excipiens. Mox, inquit, ut tu ſapientem agere deſièris. Creditumq; eſt ab hac voce tacitus injiſſe conſilium mutato habitu corporis agendi mercenarium inter populares conditione agreſti. Quod euuſq; illi ſucceſſit, ut ejectis purpuratis omnia pòſt ei proſpere ſucceſſerunt, collecto non ita contemnendo theſauro, quo conſtituerat principales reditus liberare ab alieno ære niſi præventus morte fuiſſet, relicto uno duntaxat hærede impubere filio Sigiſmundo, quem Cæſ. Fridericus tutor unà cum theſauro in Auſtriam aſportavit.

De me, inquit) Argumentum vel potius exemplum pro eis, qui retulerunt in literas, Principes difficile audire verum. Vide Eraſ. lib. Apopht. quinto.

50 Hoc unum) Deeſt in exemplari meo Sylviana contentio ſeu mavis parallelum in cap. 49.

Hoc unum eſt) Videlicet obſervare cultum religionis.

Regis) Alphonſi, qui Pontano teſte ſacra ſtata rituſq; Chriſtianos ac ſolennes cæremonias tanto cultu obſervavit, ut non tantum omnes ætatis ſuæ, multorumq; ante ſeculorum Reges ſuperaverit, ſed etiam ſacroſanctis Pontificibus in hoc prævenerit.

Henricus) Ejus nominis quintus à quo poſteriores Reges ſecuti exempium ejus Franciscos quoq; appellarunt, Vide Polyd. lib. 22.

Craſtina die) Futura eventus. Veterum hiſtoriæ tribuunt ſimilem fiduciam victoriæ Alexandro magno, Scipioni majori, & hujus legato C. Domitio.

Factis) Emendavi peractis.

Sequenti die) Attende quàm parva Anglorum manus, ferè incredibili numero

mero Gallorum ſtragem omnium memorabilem ediderit. Sed hæc rara non ſolent ſine numine divûm evenire. Commiſſa eſt ad viculum, cui Dagincurto nomen circiter dimidium diei, quæ divis Criſpino & Criſpiniano ſacra eſt. Anglis etiamnum ſolennis, à reparata ſalute anno M.CCCC.XVI. Quanquam Volaterranus & Polydorus tantum numerum non memorant, alter decem millia in acie, captivorumq; numerum penè parem, ſi in caſtris ab hoſte trucidari non fuiſſent, alter omnino quindecim millia Gallorum cecidiſſe ſcribit, ſexcentis ad ſummum Anglis deſideratis. Sylvio ipſe haud facile fidem abrogarim, quod is proximo mox ſeculo floruerit, ſtudioſus rerum geſtarum indagator.

Gallorum opes fregit) Hi paulloantè, tanta enim eis certæ victoriæ ſpes, ſed vana erat, ad Henricum nuncium miſerant quæſitum, quanti vellet ſe redimere, quem ferunt reſpondiſſe. Se ſperare intra duas trêſve horas, ita uſu venturum, ut potius Galiis, quàm Anglis eſſent de redemptione cogitationes ſuſcipiendæ.

Hieronymus idem ſcribit enarrans cap. 7. in Micheam ſe legiſſe in cujuſdam controverſia. Amicus diu quæritur, vix invenitur, difficile ſervatur.

Cicero) Non eſt Ciceronis ſed Platonis in Phedone; unde reponendum Plato. Lege divum Hieronymum ad Principiam virginem.

Commentatio mortis) Olim in divitum epulis apud Ægyptios unuſquiſq; cadaver ligneum, ſed quàm proxime ad verum effictum oſtendit ſingulis, dicens, in hunc intuens pota & oblecta re, talis poſt mortem futurus.

JA-

JACOBI SPIEGELII
SELESTADIENSIS
SCHOLIA IN QUARTUM
COMMENTARIORUM
ÆNEÆ SYLVII
LIBRUM.
IN PROOEMIUM.

PRinoipium Prooemii ex ultimo Solini ſumtum eſt, ubi laudes Hiſpaniæ pluribus attigit. Deinde Sylvius commendat Cardinales, qui interfuere Synodo Baſilienſi. Poſtremo dotes ſuas immortali omniumq; ſeculorum Regi Deu ſert acceptas Rex mortalis Alphonſus.

Literarum notitiam) Aſtipulatur Sabellicus libro ſexto Enneadis decimæ. Rei, inquit, literariæ adeò ſtudioſus, ut nullius æque rei, deditq; præcipue operam Grammaticæ arti, novit dialecticæ nodos, evoluit hiſtoriam, poëtas & Oratores. Addit alicubi Sylvius, nihil ei abditum in philoſophia, arcanaq; Theologiæ perſcrutatum omnia. Contexerim profecto juſtum volumen ſi recitare velim quicquid verborum uſquam in præconium Regia incomparabilis apud clariſſimos autores extat. Cuivis utinam poſteritati contingant ſemper ſimiles Principes, hoc eſt & literati, & nihilo bellica virtute inferiores. Talem ferè noſtra ætas habuit Cæſ. Maximilianum, qui cum his, quos noverat callere literas Romanas, frequenter latine loquebatur, unum aliquem purpuratorum magno loco natum rogavit aliquando utrum latinè ſciret, quum is reſpondiſſet. Scio quidem, ſed non aliud quàm militare. Quid igitur, inquit, dic mihi, latinis eſt. Ein Sporredel. Itaq; quum ille, maxime quod in corona aliquot eruditorum adhærentium lateri Cæſaris, vocabulum reddere nequiviſſet, erubeſceret, tum ſubridens Maximil. Nihilo, inquit, ex hoc pudefias. Nam ego & Rex & Miles id etiam ignoro, ſicut quotquot aſtant hic è doctis meis, tum aderant Stabius, Cullaurus, Gadius, Somentius, Heidenius, Toplerus, tum & alii. Naturales ſæpius, Theologicas item non raro quæſtiones proponebat, hiſtoriæ fidem ex autoribus requirebat. Tacitum, ut Romæ auctum accepiſſet per diſpoſitum curſum mox afferri juſſit. Vitas Cæſarum recens emaculatas ab Eraſmo, quum referrem, illico me jubet, curarem: quòd mendis, ut dicebat, ſcateret illi à Wilhelmo Heda antea comparatum volumen, qui cum apud Mechliniam ipſe juvenis in amicitiam veni, ipſi Cæſ Maximiliano Theodorici Oſtrogothorum Regis vitam prælegi è Sidonii epiſtola. Maximil. pòſt ipſe modo per orium Cæſ. vitas evoluit, modo à prælegente excepit, ſubinde requirens, ſicubi hæreret, ſenſum explicari, quem nunquam pòſt amittebat. Fuit in eo memoria quantam nulli antea Principum noſtrorum crediderim affuiſſe.

Cap. I.

Hoc anno) Is fuit reparatæ ſalutis milleſimus quadringenteſimus quinquageſimus ſextus.

Nemo, inquit) Miſerrimum eſt cæcum eſſe, cui qui ponit offendiculum, Dei oraculo execratus eſt. Quod hiſtoria habet de Belliſario, nec demirari

ſatis queas; huc adſcribendum putavi. Hic ille toties Dux ac victor tandem juſſu Juſtiniani Imperatoris cæcatus & quidem ob invidiam, quæ res eo duriorem efficere cæcitatem poterat, frequenti in via tuguriolum ſibi ſtatuit, ubi vitam egit, victum mendicans à prætereuntibus, cujus ea patientia fuit, ut non aliter queſtus fuerit, quam ut diceret. Viator da obulum Belliſario, quem virtus extulit, cæcavit invidia.

Tunc unus) Quemadmodum Alphonſo ſic & Maximiliano accumbenti ſine diſcrimine modo adſiſtebant aulici melioris notæ, libertaſq; loquendi ad thema propoſitum dabatur, in quo avo non diſſimilis eſt Cæſ. Ferdinandus, modò epiſtolarum magiſtri utramq; aurem occupabant, quod ipſe ſine exemplo priorum Principum introduxit, conſtanterq; ad miraculum uſq; obſervavit. Quod nepotes Principes ex medicorum, ut apparet, præſcripto, quum avus illud nunquam amplecteretur, prætereunt, ut neq; ipſe admodum de vita, quod nurunt, qui morienti affuerunt, ſollicitus fuit.

Sed quis eſt hic) Vide omnino Eraſmum in de Præparatione ad mortem, qui non vulgaria tradidit ſuperans omnes, qui ante eum hoc argumentum tractarunt. Porrò qui negant uſpiam eſſe locum unde expurgatæ animæ in beatorum cœtum advolent, videntur Chriſto contradicere in Evangelio de peccato in ſpiritum ſanctum diſſerenti.

2 Aureorum quadraginta millia) Cæſ. Maximilianus qui nullum non pecuniarum acervum impetivit, quamvis non raro ad eum ingens pecuniarum ſumma afferretur, tamen penes ſe eam nunquam retinuit, ſed ad quæſtores deferri juſſit, dicens ſe regendis hominibus propoſitum, non auri ſibi cuſtodiam demandatam, quo ſi quis ſemel capiatur, mox è Rege ſervum futurum.

3 Multis pòſt annis) Sub Eugenio quarto à quo, inſignis certe ingrati animi exemplo, contemtim penè habitus, vix poſt ſextum menſam, quam Senis fuerat, corona Imperii donatus eſt.

4 Viſendum venerit) Annos jam, ut Sylvius in Europæ fine memorat circiter octo & quinquaginta natum. Fridericus annum tunc plus minus quadrageſimum agebat, qui nonagenario major rebus exceſſit humanis in Linzio. Viceſimo ab exceſſu anno, qui fuit ſalutis 1513. in æde divi Stephani Viennæ mauſoleo à Cæſ. filio interea magnificentiſſime factu conditus nummis argenteis Friderici ſymmetria ſignatis in populum ſparſis.

Major eſt) Collata perſona non dignitate. Nutos habent modos juriſperiti, quibus præferuntur majores ætate, eis, qui majori ſunt dignitate.

5 Conſervatam ab eo, uſq; ad ſummum ejus diem teſtis eſt Pontanus, paullo poſt initium libri 1. de bello Neapolitano.

6 In Stiriam) Ex omnibus nationibus Gothicis nulla amplius in Germania ſupereſt, exceptis Scyris, qui & nunc quoq; Stirii vel Stirenſes appellantur, & Turcilingi, qui & Turingi ſunt, qui Valeriam olim, nunc ipſam eſſe Stiriam putant aliis, quæ nobis hodie Croacia, magis eſſe videtur, quod & verius non ipſe puto.

Sleſiæ) Ejus deſcriptionem, nobileſq; urbes, quarum caput Uratiſlavia eſt, nobis Preſla, poſt omnes ex Althamero pete. Habet ſuos Duces ſeu regulos, ſed qui Boëmicum Regem, cui provincia ipſa paret, reſpiciunt. Sermo genti Teutonicus, Tranſoderanis tamen Polonicus invaleſcit. Obſervandum autem legatum pro veteranorum canum alimonia à teſtatore Principe venationis ſtudioſiſs. teſtamento relictum ab hærede præſtitum.

7 Jacobus) Sylvius item honorifice meminit in deſcript. Europæ cap. 41. Cum illi ad humanam felicitatem ſolum literarum cognitio deeſſet, filios accito grammatico nec ita infeliciter inſtituendos curavit. De quib. vide Irenicum lib. 3.

Supplicii genus) Cæl. lib. antiq. lection. ſexto. Rotæ inquit, tormentum Germanorum ferè peculiare cenſetur, ita tamen ut ejus meminerit Ariſtophanes. Sed falſus eſt, quum Trochus pro inſtrumento, quo eruitur veritas,

apud

apud Ariſtophanem intelligatur. Et tantum à nobis inter ſupplicia rota habeatur, quæ maximi ſunt cruciatus, quod non latuit majorem Beroaldum.

Carolus) Potuit Marchionum ille potentiſſimus haberi, niſi dolo ac proditione ſuorum, ut Irenicus ſcribit, caſtris exutus veniſſet in poteſtatem hoſtis, Friderici Cum. Pal. Rheni, ut res geſta eſt memorat aliquanto copioſius Generat. 49.

8 Dux quidam Oppaviæ) Repoſui pro Oſponiæ. Moravos Sileſioſq; ſeu, ut vulgo dicunt, Sleſitas, dirimit Oppavienſis diſtrictus, ut accepi, a Petro Pipponienſi viro erudito Secretario nuper Hieronymi Balbi Antiſtitis Gurcenſis & doctiſſimi & diſſimi, & ni fallor, juris eſt hodie Boëmici.

9 Apud) Oſtendit cur apud Lituanos raro mulieres à viris divertant.

Utinam hujus exemplo monarchis noſtræ ætatis perſuaderi poſſit, magno cruore partam victoriam, non recte exiſtimari victoriam, tum etiam interdum magis expedire hoſti dare locum, quàm conſerere manus. Scipio major dicebat non eſſe confligendum, niſi aut invitaret occaſio, aut urgeret neceſſitas.

10 Diximus majoris Cyri ſententiam eſſe. Neminem debere ſuſcipere Principatum, niſi melior ſit his, in quos ſuſciperet. Antigonus Rex conſpiciens filium ſuum eos, in quos habebat Imperium, ferocius tractantem atq; inſolentius. An ignoras, inquit, fili, regnum noſtrum eſſe ſplendidam ſervitutem. Nihil dici potuit cordatius. Nam Princeps non minus obſervire cogitur populo, quàm populus Principi, niſi quòd Princeps id facit cum dignitate. Alioqui re vera mutua ſervitus eſt, ut dixit eleganter Eraſmus.

11 Tace Thraſo) Stolidum, arrogantem, vanum jactabundumq; hoc nomine ſignificamus. Hæc vox ſatis declarat Sigiſmundum pacis quam belli ſtudioſiorem fuiſſe.

Nulla militia opus eſſet) Probus Imperator dixiſſe fertur. Brevi milites neceſſarios non habebimus. Sperabat enim tantam pacem, ut nihil opus eſſet exercitu. Dictum interpretatur Fl. Vopiſcus in vita ejus. Meo judicio non erraverit, qui bellum quamvis juſtum, & neceſſarium, malum dixerit. Eraſmus Chriſtianiſmum ubiq; ſpirans, mentem Probi optat à Deo immitti omnibus noſtrâ ſecuii principibus.

Prætores) Noſtrate lingua vocant alii Schultheis, alii Richter, nihil cum Rom. prætoribus commune, quàm nomen habentes.

Magiſtratus) Decuriones & qui barbaro vocabulo Scabini, ſeu qui quovis alio nomine conſilii publici gratia ſecundum mores uniuſcujuſq; civitatis in Senatum introducuntur, nunc magiſtratus nomine quoque veniunt accipiendi, Habent & Principes ſuos magiſtratus, ſed de his nihil ſenſiſſe puto Sigiſmundum.

12 Ignorati) Ignari ſcribe, & refer ad Senenſes. Innuit autem opinor, quod quidam diſſeminarant, Alphonſum non tam Florentiæ quàm Senæ dominium quærere, eamq;, ob vocem in caſtra Alphonſi annonam parcius deportatam. Quanquam nec meliore in filium Ferdinandum animo fuere Senenſes, qui aliquanto pòſt iterata patris juſſu expeditione arma in Florentinos converterat.

Satyricus ille) Eſt locus apud Juven. ad finem Satyr. 3.

Diſce ex hoc cap. Delaturibus haud temere credendum, quo vitio ſi caruiſſet Archidux Sigiſmundus omnino laudatiſſimis Principibus æquari potuiſſet. Cordatior igitur Fridericus Imp. haud diſſimili fide, qua Philippus Macedo in medicum, de qua vide Plutarch. Juſtin. Q. Curt. Val. Maxim. fuit in Schlickium amicum ſuum, quem reſignatis literis innocentem abalienaſſet, reum advocaſſet. Itaq; Principum eſt bene ſperare de veteri amico, nec unquam delatorum voci auſcultare. Pronepos Cæſ. Ferdinandus, certe ſi non majore, ſimili tamen proavita moderatione uſus eſt, quando hactenus adverſus tot calumniatrices voces Comitem Ortemburgium, ut cujus fidem ipſe penitius perſpectam habeat, ſuſtinuit.

Ca-

Caſparis Schlichii) Florida eſt ejus memoria eritq; dum literarum monimenta manebunt, quando à laudatiſſimis ætatis illius ſcriptoribus eximiæ ejus dotes commendatæ ſunt. Tametſi felicitatis pars & multo quidem maxima, qua proxima ejus poſteritas haud degener incrementa ſucceſſuſq; facit ad ipſum referenda, videtur, maxime viri dexteritatem commendans, quum, ut vulgatus habet verſiculus.

De male quæſitis non gaudet tertius hæres.

Cæterum qui philoſophos legerunt & quidem graviſſimos, norunt partem felicitatis in poſterorum, atq; proximorum ſucceſſibus eſſe poſitam.

Error pateat) Mire lenit ſuſpitionem æmulorum uſus verbo minime odioſo. Nam quod æmuli proditionis meminerint, flagitii certe erat indeprecabilis, prudens Princeps id vertit in erroris nomen facilis veniæ.

14 Vix totidem) Hoc ideo dicit, quòd eſt controverſia inter ſcriptores de ſapientium numero & ordine. Dicearchus, ut refert Laërtius, neq; ſapientes neq; philoſophos eos eſſe affirmat, ſed cordatos plane viros, legumq; latores.

15 Carolus Quartus Imperator audit philoſophicas diſpoſitiones.

Scholam Pragenſem) Quam ipſe pridem erexerat, literis ac multarum linguarum cognitione inſtructus, cætera illaudatus Princeps: ad cujus memoriam Cæſ. Maximilianus ringebat, ut in Scholiis noſtris in Ligurinum indicavimus. Dignitatem opeſq; Imperii minuit. Romani Pont. majeſtatem promovit, regnum Arelatenſe, quod non potuit, Gallorum Delphinis conceſſit, tum pleraq; alia improbata admiſit, quæ nec corrigi, nec recuperari poſſunt. Aulicorum indoctorum animus in patinis. Animorum cibus audire ſapientes. Philippum Alexandri patrem non puduit fateri ſe multa per errorem feciſſe perperam, quod a teneris unguiculis philoſophiæ præceptis non fuiſſet imbutus, cui ut filius operam daret, legimus Ariſtoteli traditum fuiſſe.

16 Apte dictum in avarum, appoſite magis in prodigum retortum, qui eſt avaro contrarius. Quamquam Ethnicorum placitum habet, Avarus magis recedere à medio, quàm prodigum, maxime autem quod profuſi ætate procedente revocantur ad ſanitatem, cum avaritia inſanabilis morbus ſit, ad omneq; flagitii genus viam aperiat. Fœneratores locum habent in deterrimo avaritiæ genere: neq; enim avari omnes pari, atq; eodem modo, ſed alii magis, aliiq; minus ejus fœditate inquinati ſunt. Nec vero unum eſt prodigorum genus, à quo Ariſtoteles excipit tyrannos ac Reges, minimeq; putat prodigos dicendos, quod tam multa poſſideant, ut dandis atq; utendis illis vix abjicere modum valeant.

17 Thraſones) hoc eſt, qui vana opinione de ſe turgent, quod ferè familiare eſt militum, illiterataæq; nobilitatis.

Gnathones) Hoc eſt, adulatores, amici menſales. Quod huc facit, Paraſitus Alexandri Pherei interrogatus, quomodo is interfectus fuiſſet, reſpondens per coxam, inquit, in meum ventrem. Sentiens Eraſmo Interprete, idem vulnus etiam ſuo inflictum ventri, cui jam erat eſuriendum, mortuo qui conſueverat alere. Sic Lacon quidam ſentit, non futuros maledicos, ſi nullum invenirent auſcultatorem.

18 Legerat illud) Juvenalis ſcilicet, ad finem Sat. 7. Pont. lib. 5. de Obedientia recte monet non tantum jure nobis colendos honorandoſq;, quorum præceptis atq; informationibus exculti ornatiq; ſimus, verum & eorum celebrandam memoriam, qui multis annis deceſſere, cum & Mantuani in ſignis, in ædificiis, in monimentis publicis Virgilii caput inſigne gentis præferant, & Sulmonenſes Ovidianum illud hemiſtichium.

Sulmo mihi patria eſt.

19 Doctrinam militiæ prætulit Imp. Sigiſmundus, quod, ut ipſe linguarum ac literarum peritiam amavit, ita viros eruditione præſtantes ſemper ornare, ac provehere ſtuduit. Quo nomine cum à Germanis Principibus, qui latinas lite-

literas oderant, reprehenderetur, quòd homines obſcuro genere natos ob literarum commendationem foveret. Quid ni, inquit, eos amem, quos natura cæteros antecellere voluit? Quod relatum eſt ab Eraſ. lib. Apoph. 8. Germani plurimum tribuunt generis nobilitati. At Cæſar vir prudens intellexit in eruditis eſſe quiddam ſtemmatis preſtantius. Illi habent ædium parietes Clypeis & imaginibus depictos, hi animum habent optimis diſciplinis exornatum. Porrò ut natura animus præſtantior eſt corpore, ita ornamenta ingenii longe pulchriora ſunt externæ nobilitatis inſignibus. Qui nihil aliud habet (ut ſupra quoq; dictum eſt) quàm majorum imagines, opiniona nobilis eſt, verius quàm re. At qui virtute præditus eſt, id quod Imperatoris dictum hic innuit, germanam, ac nativam habet nobilitatem.

20 Vitoldus) Sic & hic ſcribendum. Aliis eſt Vitandus.

Subjectam eſſe oportere) Tiranni plane vox, quum Imperatorem Principum omnium opt. max. legum imperaris patere deceat. Nam, ut Imp. Alexander eleganter dixit. Nihil tam proprium Imperii eſt, quàm legibus vivere, ergo improprium & alienum eſt ab Imperio, non legibus vivere. Salomonius clariſſimus juriſcon. equeſque Romanus ſpitans non raro pietatem, ut in eo locum minime habuit, inſuiſſe falſum ita uſus, eſt haud forte omnino falſo vulgi dicto, Bonus juriſta malus Chriſtianus, noſtrum Hadrianum V. Pont. max. quum pro populo Romano pedes ejus, ut moris eſt, oſculatum iviſſet, congratulatumq; de ejus electione, proſpera navigatione, feliciq; in urbem ingreſſu, refert graviſſimam reſponſionem clauſiſſe his verbis. Bono animo ſitis. Princeps qui aliud quærit ſupra Principatus honorem, quiq; haud ſolam populorum utilitatem quærit, non Princeps eſt, ſed tyrannus. Os item meum paucis paſcitur & corpus regitur, quicquid ſupererit ex Pontificiis redditibus, in Chriſtianorum commoda effundetur. Cæterum quod lege civili ſolutus ſit ſupraq; leges eſſe dicitur, Imp. Juſtinianus interpretatus eſt. Imperialem, inquit, fortunam rebus humanis præpoſuit, ut poſſit omnia quæ noviter contingunt emendare & componere & modis & regulis competentibus tradere. Notanda inculcandaq; ſunt illa verba Principibus magis, quàm quæ occinuntur eis, ut tyranni fiant, Legibus, ſcilicet, ſe non teneri. Fatemur apud Principem plenitudinem poteſtatis eſſe ad bonum & non ad malum & licentiam, ad implementum juſtitiæ & non iniquitatis, alioqui dicenda eſt plenitudo tempeſtatis.

Obſervandum Lituanis barbam chariorem eſſe vita.

Capitalem pœnam) Exemplum contratii Principis, ſeu tyranni mavis. Principi namq; bono & prudenti ad pietaq; populatium ſuorum, quæ frivola magis quàm improba videri poſſint, non raro connivendum eſt. Poſtremo civilis juris profeſſoribus memori mente tenendum, quod ferè judicii inſtar haber, Imp. verbum, quo jure eorum præcellentia niti debeat.

21 Uti Socrates) Apud Platonem in Civili, virtutum exemplar ſubjectis vuit eſſe Regem.

Juſtus) Si vox juſtus á Sylvio deſcripta eſt, tunc deſideratur vel ſubaudiendum eſt verbum, vel vult, vel cenſet, aut ſimile.

Quanquam opinor juber ſcriptum contracte, idq; exceptorem in juſtus mutaſſe. Sentit autem Socrates neminem adminiſtrando regno reive publicæ admovendum, niſi melior ſit his, quibus præeſſe debet, quod antea quoq; relatum eſt. Hic enim ſcopus eſt longæ ſed planè divinæ ejus in citato lib. apud Platonem diſſertationis.

Si Regis electio) Sylvii hæc ſententia eſt, ſumta ex ſcholæ Politiceæ tractatibus. Videtur autem tacite improbare ſucceſſionem Regum, quam uſus haud ubiq; meliora ſecutus recepit. Regem enim naſci nihil magni eſt. At regno dignum ſe præſtitiſſe maximum eſt.

22 Nicolaus Quintus) Arte medicus: Adeò ille humili loco natus, ut ab oppido patriæ Sarzanæ admodum frigido Lucenſis agri cognomentum acceperit. Ab eo Fridericus Auſtrius unà cum conjuge Leonora diademate cinctus eſt.

Egregias hujus laudes Platina memorat. Sumtuoſus fuit in paranda bibliotheca, quam ſucceſſor ejus Caliſtus paucis diebus diſſipavit, quod apud Pontanum legimus in de Magnificentia. Quod Volaterranus excerpſit vitium hoc in eo tantum notatur, quod nimio bibendi ſtudio teneretur perquiſitis undiq; vinorum generibus.

Qualis familia eſt) Huic haud diſſimile eſt æquève vulgatum ex Athanaſii ſymbolo detortum. Qualis pater talis filius. Similius vero pervetus illud apud Ciceronem ad Atticum lib Epiſt. quinto. Qualis hera, tales pediſſequæ, ac ejuſdem è Familiarib. celebratum illud, quales in repu. Principes eſſent, tales reliquos ſolere eſſe cives. Innuit autem Sarzanas cum delectarum familiaritate doctorum, quorum potiſſimum opera in gravibus rebus utebatur. Lege Platinam in fine vitæ ejus. Fuit vero Eugenius principio vir in vita varius, verum poſtea ad ſelpſum rediens conſtans, ſucceſſorem habuit Nicolaum, quem unà cum Joanne Carvailla Hiſpano roſeo galero ornaverat, quod ſuſtuliſſent Germanorum neutralitatem nacti apud Fridericum Imperatorem fautorem Romani Pontificis Sylvium ejus magiſtrum epiſtolarum. Quem & antea, ni fallor, auxilio fratris Alberti in arce Viennenſi obſederant.

23 Victores ſubditi à victo ſuo Principe pacem ingenti pecunia emunt.

24 Fœminæ) Margaritæ pridem Henrici Ducis Sueviæ uxoris relictæ viduæ, ſororiſq;, ut antea meminimus, Friderici Ducis cæſi in bello contra Hungaros Lege Chronicon Hungaricum.

Ottackarum) Malo certe omine: nam repudiatæ perfidioſe filiam Regis Hungariæ ſuperinduxit, ſequente eum pòſt nummos vindicta.

25 Eugenium) Egregiam vero illi gratiam retulit habendo contemtim eum in Italia ſubſiſtentem. Quæ tribuerit ei Nicolaus Tudeſcus cognomento Panormitanus, cui primæ inter Pontificii juris profeſſores traditæ ſunt partes, quanti item autoritas Concilii habenda ſit, ſatis commonſtrant luculentiſſimi ejus commentarii de Concilio Baſilienſi inſcripti. His planè eruit Eccleſiam habere juriſdictionem in Papam, eumq; haud indignè ferre debere, ſi ſtatuatur autoritas concilii, quod ſolus ipſe nec habeat, ut ejus utar verbo omnimodam poteſtatem, nec præterquàm Chriſtum aliud caput eccleſia, ipſe Petri tantum vicarius: tum pleraq; alia quæ expedit ſcripta eſſe ſcholaſtico utcunq; ſtilo. Siquidem veritas verborum lenocinio non indiget. At ô Chriſte tu, qui ut es ipſiſſima veritas, ita ſolus omnium corda præſertim aperta habes, noſti quo conſilio Canoniſtæ receſſerint ab ea, contrariam opinionem ſtatuentes. Cui, mirum eſt quàm hic accedat Salomonius ſui diſſimilis factus abrogando Imperatori ſuam poteſtatem, ut à Deo minime deſcendentem, ſed nimium ſuo Jovi blanditur, tantum non Deum illum faciens. Adimenda quidem non eſt omnino Rom. Pontifici poteſtas, modo contentus ea legitime fungatur, ceu omnium maximo ſummoq; in Eccleſia officio perficiens opere, quod titulo ſe fatetur, miniſtrum, ſcilicet ſanctæ eccleſiæ, hoc eſt ſervum ſervorum Dei: quod quale id ſit Eraſmus Evangelica ubique prudentia uſus non raro indicavit.

Reges quoniam memoriam ſuam immortalem literarum tantum debent monimentis, ideo æquum eſt ut viciſſim eorundem autores colant, foveant, exornent, ut maximi quiq; Reges ſuſpexerunt olim. Ne vetuſtiſſimos afferamus, vix aliquis è Romanis Principibus fuit, quamdiu res Romana ſtetit, qui non aut ipſe fuerit eruditus, aut ſtudioſus eruditorum hominum. Gothorum quoq; ac Longobardorum Reges excoluere ſe humanitatis ſtudiis. Non mirum igitur ab eis & in pretio habitos, & illuſtres doctos eſſe factos.

27 Bonus exitiis) Alludens, ni fallor, ad illud vulgatum. Si finis bonus, omnia bona. Sed illud Solonis notum eſt. Neminem dicendum beatum, ante obitum: Quamdiu vivit homo, poteſt & ad meliora proficere, & ad deteriora degenerare.

Qui

Qui jocos) Ambigua locutio. Nam vel qui ferre, hoc eſt, tolerare poſſunt jocos, quibus acrius punguntur, ita ut non irritentur ad iram, quam qui ad eum modum jocantur ejuſmodi non raro in ſe provocant, vel qui ferunt, hoc eſt in ſermonem ſuum delectu quodam atq; moderatione jocos admittunt Cæſaris judicio ſapientes vel magis prudentes. Qui vero promtiſſime, hoc eſt cum crebro tum omni ferè ſermoni miſcerent jocos facetiaſq;, ingenioſi erant habendi. Nec ita abſurde, quòd illi arte magis atq; cura, hi naturæ potius vi, quales & poetas naſci volunt, niti videantur.

Anno ſuperiore) Qui fuit a partu Virginis Matris quintus ſupra M. CCCC. & quinquageſimum.

28 Albertum Fratrem) Fratrem Imp. Fridericum, quem patruelem perperam ætatis noſtræ quidam ſcriptor facit, ut non veterum incuria tantum, atq; oſcitantia reprehendi debeat.

A Turcis occiſi) Anno Salutis M. CCCC. LIII. IIII. Cal. Jun. Lego autem à ſuis oppreſſum ſugientibus, ſed quia Turcæ cauſſa fuere ejus mortis ideo ſic dixi.

Carolus Quartus) Obſervandum memorabile hujus Principis & perquàm rarum inſignis beneficentiæ exemplum in paratum jam ſibi percuſſorem, ne uſq; adeò miranda jam ſit Ethnicorum aliquot in hoſtes ſuos benignitas. Habes item exemplum quod clare commonſtrat quàm multis periculis, ſollicitudinibus, ac miſeriis ſit refertus Principatus.

29 Venatione non poſſe) Tantæ ſunt ejus illecebræ. Plato in fine lib. ſeptimi de legibus. Sola, inquit, quadrupedum venatio illa reſtat omnium optima, quæ equis, canibus, corporis viris agitur. Nam quibuſcunq; divinæ curæ eſt fortitudo, ii quadrupedes omnes curſu, vulneribus teliſq; manu propria venando vincere debent. Vituperat autem aucupium & piſcatum & venatum animalium, quæ retibus & laqueis capiuntur. Non ſunt laudandi, Principes qui venandi ſtudio frequenter neceſſaria negligunt. Hoc maxime etiamnum Germanici Principes tenentur, & adeò olim viguit in Auſtriaca gente, ut oraculo noſtrorum Imperatorum perpetui Præfecti venationi per ſacrum Imperium appellati fuerint, Teutonicè des heiligen reichs Jegermeiſter, quod pleriſq; diplomatis, quæ extant, comprobari poteſt, idq; adeò præ rogato jure, ut eis venandi exercitium pateat per univerſam Germaniam. Unde conſtat Cæſarem Maximilianum cuidam Principi, quem admodum iniquis oculis cernebat, eum interdum excurrere in ditionem ſuam venabundum, per ſuos renunciaſſe. Non mirum illi eſſe debere, ſi jam ut ſummus Germaniæ Princeps ſuo utatur jure, quo etiam privatus ipſe dum Auſtriacus Princeps, ſi tam velit quàm poſſit, uti liceat. Cæterum Plato & Saltationem ceu gymnaſticæ ſpeciem ſuo modo viris conceſſit. Sed Albertus de vulgari ſentit, quæ Choreis ſit, ſaltatione.

30 Alphonſum trium Deorum imperia obtinere, ejuſq; virtutem imperio dignam.

Eſſe decet) Contrà vulgo ſua cuiq; ſors diſplicet juxta illud Comici in Phorm. Noſmet noſtri pœnitet.

31 Artem divinandi) Vide Boccatium lib. quinto de Gen. Deor. cap. 16.

Ne quis Caſſandræ) Poëta lib. Æneid. ſecundo.

Tunc etiam fatis aperit Caſſandra futuris
Ora, Dei juſſu, non unquam credita Teucris.

32 Qui militaſſent multum) Videri tamen poteſt Alphonſum eos his verbis peregre proficiſcentium ſive peragrantium indicaſſe. Sane tumidum & oſtentoſum hominum genus, ubi ſucceſſit. Rogatus Ariſtoteles quid lucrifacerent mendaces, ut vera, inquit, loquentibus non credatur. Mendacium autem nomen late patet. Comprehendit namq; adulatores, aſſentatores, quorum conſuetudo ac familiaritas Principibus ac Regibus præcipue eſt peſtilens, quod

cla-

clarius eſt, quàm ut exemplis indigeat, item captatores, jactatores, oſtentatores, & Vani, de quibus omnibus diligenter diſſerit in libris de Serm. Pontanus, qui nonnullas philoſophiæ partes, quæ ad mores pertinent, cum majore fortaſſis hominum utilitate tractandas ſuſcepit, quàm vel Seneca apud Latinos tam verboſis epiſtolis, tanquam multis commentariis obſcure & illepide ſcriptis, vel Plutarchus apud Græcos dura illa ſua & nimis ambitioſa oratione, ſi Aſulani judicio ſubſcribendum eſt.

33 At unum) Sumptum è verbis Chriſti apud Matthæum cap. 5. Quiſquis ſolverit unum ex his mandatis minimis, minimus vocabitur in regno cœlorum, hoc eſt, ut interpretatur Theophilactus, in reſurectione ultimus & abjectus in gehennam: non enim in regnum cœlorum ingredietur.

34 Quatorupus) Repone Suatoplucus qui aliis modo Zuentebaldus, modo Zuatocopicus, ſub eo, quod à Rom. eccl. defecerat regium nomen ablatum eſt & in Bohemos translatum. Vide Sylvium in hiſt. Altham.

35 Niſi timeas) Nam timor reverentiam arguit, Regibus quæ maxime debetur. Certe qui non timet, contemnere videtur. At in Regibus quoq; ſitum eſt, ut & amentur & timeantur. Si ita moderentur vitam, ut nec inferioribus ſint terrori, nec ſuperioribus deſpectui. Quanquam difficillimum eſt jam regnum adminiſtranti erga quemlibet eſſe humanum. Nam & immodica bonitas ſæpe contemtum parit.

36 Militia ſentina vitiorum) Laudavit divus Bernardus militiam, ſed ita laudavit teſte noſtro Eraſmo, ut noſtram omnem damnet malitiam. Eleganter autem à Sylvio bellum Sentina vitiorum appellatur, quoniam per fures, prædones, relegatos, proſcriptos, homicidas, inceſtos, ſacrilegos, perfidos deniq; Duces & colluſores potiſſimum geritur.

37 Mira intemperantiſſimi hominis bena longa cum valetudine tum felicitas, à qua Cæſ. Fridericus ſcitè ſumſit argumentum comprobandi animorum immortalitatem, tum Deum pro ea æquitate, quæ in eo ſumma eſt, neceſſe eſſe, ut alicubi boni præmiis afficiantur & male ſit malis, quibus frequentiſſime hic optime eveniat, ut bonis male.

Et huic) Lege hinc, ſed hoc leviculum eſt. Ejuſmodi innumeris locis caſtigata, indigna putavi indicatione.

39 De monte Damarùm) Vulgo à Rechberg.

Maximus) Virgilius ecloga ſecunda.

Aſpiravit fortuna) Hoc forte ad exitum vitæ referendum eſt, de quo tamen variant autores. Nam per decem annos quot privatus Salonis ſuperfuit hortorum amænitati vacans iterum ad Imperium ſollicitatus, à privata vita abduci non potuit, teſtatus nullos unquam ſibi ſoles lætiores affulſiſſe. Cui omnino res duæ miræ contigerunt ut ſolus Imperio cederet, & ſolus privatus inter divos poſt mortem ſit relatus.

40 Quàm Deum timent) Depromta è Chriſti doctrina ſententia, quæ eſt, ut levior metus cedat majori, & ille potius timeatur, qui totum hominem nutu poteſt perdere, quem ſolus in poteſtate habet Deus.

41 Cæſ. Frideric. Auſtrius videri maluit avarus in negando, quàm perjurus in concedendo.

Borſio) Vide Volaterr. in rebus Ferrarienſium.

Mutinæ) Hæc alia eſt à vetere ædificata circiter annum M. C. cujus non tantum Livius meminit; nullus enim æque atq; Mutina à veteribus memoratur locus. Regium cognomentum accepit à Lepido triumviro conditore. Plinius ejus incolas Reginenſes vocat, ad differentiam Rhegynorum, qui in Brutiis habitant, quod & ſuprà in Antonium, ni fallor, annotavimus.

Non eſſent) Sed Rom. eccleſiæ, quod multo ante tempore execrato Cæſ. Ludovico Bavaro Benedictus XII. jus Imperii ad ſe deveniſſe prætexens Eſtenſem Obizonem ejus nominis ſecundum conſtituiſſet Vicarium Ferrariæ, Mutinæ, ac Argentæ, pacto prius tributo ærario Pontificio quotannis X. millium aureorum inferendo. Vide Platinam.

Chi-

42 Chirographo) Quum id creditori debitor facit à juriſperitis antapocha dicitur, teutonicè ein bekant nus, ſchuldbrief, quum vero debitor fidem ſuam liberans de receptis Chirographum á creditore accipit, apocha dicitur, recepto jam. ab Italis vocabulo, ein quittanz.

Annumerantibus) ſcribendum admirantibus.

Cætera, inquit) Memorabile ſanè privatæ liberalitatis exemplum in Imperatorem minime egentem. Certe ſimilis noſtra ætate debuerat eſſe in mercatoribus longe omnium locupletiſſimis, non abſq; diſpendio magnorum cum Regum tum Principum.

43 Quem ſacrum vocant) Virg.

Contactos artua iacer ignis edebat.

Eryſipelas Græcis dicitur, vulgo ignis divi Antonii. De eo ejuſq; curatione vide Celſum cap. 28. lib. 5.

Multa plana) Hoc eſt magnam planiciem.

44 Intra currus) Noſtrate lingua Wagenburg.

E quoq; plauſtrorum compage tam arte) Corruptam lectionem ſic reſtituendam putavi. Eſt quoq; plauſtrorum compages ea arte compoſita.

Imperatoris) Ductoris exercitus, uſurpat enim more veterum Romanorum, quibus Imperator dicebatur, cui armorum exercituſq; ad tutandam augendamq; rempub. commiſſa erat autoritas. Quamobrem ſemper multi Imperatores quotannis re bene atq; feliciter geſta adverſus hoſtes à militibus honoris cauſſa appellabantur.

45 Beneficii) Cujus alioqui memoria vulgo ſolet eſſe breviſſima.

Idem & nunc) Conſidera ut vir totus in patriam pius nullam non capit occaſionem propugnandæ ejus, quum aliud non poteſt, culpam extenuat. Levius namq; eſt quid errore quàm ex propoſito committere, præcipue in potentiores, quos provocare in iram magnæ inſipientiæ eſt. Quamquam hiſtoria tradit paſſim inſignes olim urbes haud majore cauſſa male vexatas, non à Regibus tantum, verum etiam ab regulis penè oppreſſas. Tam male cedit interdum non diſſimulaſſe injuriam.

Facturum Regem) Omnino autem magni eſt animi obliviſci injuriarum, atq; ubi res tulerit præter ſpem atq; opinionem illis adeſſe, cum quibus ſimultates interveniunt, aut aperta etiam odia. Quo tempore beneficium ipſum videtur eo majus, quo minus expectatum, eó acceptius, quo minus debitum. Si regiæ clementiæ eſt, ut certe eſt, non ſtatim bellum ſuſcipere, quum data eſt belli cauſſa, ſed nullam rationem intentatam relinquere, ſi res abſq; bello componi queat, quanto magis eam decet clementer ignoſcere, qui errorem agnoſcentes veniam deprecantur. Quod tandem compoſito bello Italico Reſp. Senenſis impetravit, ut ex Sylvii Oratione ad Regem Alphonſum quæ commentarii libellum claudit, clare deprehenditur. Sicut & pleriſq; eum exemplis ſupra in Antonio relatis ab hac ſumma regia virtute conſtet minime fuiſſe alienum.

46 Quàm prudentiæ) Contra Plato fortitudini, & ſane heroicæ tribuit, ut paulloantè retuli, Periculis objectari. Ejuſmodi haud raro Cæſ. Maximiliano venatui dedito, tamen abſq; publicæ functionis detrimento obtigere, quæ adumbrata ipſe Germanico poëmate, cui titulus, Teurdanck, poſteritati innoteſcere curavit. Novi ego ut cordatiſſimus ipſe ſub extremos vitæ dies, morienti enim adfui, relicto ſcripto paterne monuerit ſucceſſores, mox nepotes ne unquam periculoſiſſimos illos horribilium maxime montium ſummè prominentes tractus conſcendere tentarent, quod ipſe ferè malignam in eis experiens fortunam offenderit, quæ certe in venatu quamvis vulgari minuſq; periculoſo vel præcipue dominatur. Quemadmodum recte illud ab ipſa venatione ſumtum noſtrate proverbium, Es ſein Jeg, aber nit alle ſocthag, ſatis indicat non evenire protinus, quicquid ſpe votiſq; conceperimus. Unde & capta fera fortunæ magis, quàm venatoris induſtriæ videtur accepta ferenda.

IN ORATIONEM PRO BELLO IN TURCAS SUSCIPIENDO.

Digitus Dei hie eſt) hoc ipſe mox interpretatur. Sie Chriſtus apud Lucam eap. XI. Porrò ſi digito Dei ejicio dœmonia, profectò pervenit ad vos regnum Dei.

Indictum eſſe) Nihil hae ſententia vulgatius juxta illud notiſſimum, quod ſemel emiſſum.

Non qualiſcunq;) Hoc eſt vulgaris, ſed inter egregios eximius prout ejuſmodi fuiſſe habitu conſtat miro omnium conſenſu, qui res ætatis illius ſeripſerunt. Laudatiſſimus autem Rex tot laudatos nactus ſcriptores, ætate ingraveſcente ſebre eorreptus, Anno Salutis Milleſimo quadringenteſimo duodeſexageſimo menſe Junio ſunctus eſt in arce Lucullana, quam Panormita vulgaio vocabulo Ovi ſupra appellavit, eum regnaſſet annos, ut Volaterranus habet XXII. Ritius enim ſexdecim tantum meminit, poſt quod moriens ipſe caverat, devectus in Hiſpaniam Tarraconenſem ad ædem Populeti, uti de more aliorum Arragoniæ Regum ſepeliretur.

IN TRIUMPHUM ALPHONSI.

Similis Jovis, Senſus requirit ut legamus, ſalſiq;.

Apoſtolorum Principis) Imò eum Chriſto eunctorum Chriſtianorum. Id quod eonvincit non vanis ſophiſmatis, ſed ſcripturæ ſane intellectæ probatæq; autoritate. Roffenſis antiſtes ille doctiſſimus, cujus mors contigit pretioſa in eonſpectu Dei, nempe dignus viſus, ut ignominioſa morte juxta carnem, introiret in gloriam æterni regni, Huic uni opinor tribuendum eſſe magis, quàm ſexcentis delertoribus, quorum ſtudium eſt, eum Petro, tum ſueceſſoribus Epiſcopis poteſtatem omnem abrogare, quum tamen velint nolint & ſtet & ſteterit, atq; ſtabit firma, tametſi in ipſis vitia emineant, quibus unis certe debent, quod tam contemtim hodie Sacerdotium habetur. Si fungerentur diviniore illa, quæ præcipue eos decet, adminiſtratione, profanarum aliquot occupationum obliti, quod monitore Eraſmo faciundum erat, facile priſtinam recuperarent reverentiam obſervantiamq;. Sed fortaſſis nubis hœdis verius quam ovibus iratum numen ejuſmodi paſtores immittit.

Baſilicam) Eccleſiam, nam hoc vocabulum ut conventum Critianorum comprendit, ita & locum ipſum in quem eonvenitur, qui & Baſilica appellatur, ſive quòd loca publica Baſilica Græci vocent, ſive quòd domus Principis Baſilica, id eſt regia dicitur, quæ ſignificationes etiam divinis templis conveniunt. Scholium ex Alciato huc translatum.

Tua Antoni muſa) Viguit in eo vis condendi verſus quam proſæ major, unde nomen poëtæ ſua ætate obtinuit.

Facius) Ut hic Laur. Vallæ invectiva notatur, ita à pleriſq; commendatur, præcipue Jani Manecti juriſconſ. Florentini præconio, qui ejus honeſte meminit in eo libro, quem ad Alphonſum, de quo hic ſermo eſt, de Hominis dignitate ſeripſit. Hunc editum nuper veteri amico noſtro viro eruditiſſimo elegantiſſimoq; Juriſconſ. Dn. Joanni Braſſieano debemus.

Si quid ſtrepere) Alludit ad illud poëtæ in Bucol.

Sed argutos inter ſtrepere anſer olores.

Sed hoc dicit, non quòd ita ſit, ſed quia non vult extollere ſtilum ſuum, qui quanquam non ubiq; munditiem ſermonis ſervat latini, vim tamen & virtutes aſſequitur oratorias. Verſu quoq; luſit reſerente etiam magis naturam quàm artem.

IN ORATIONEM SYLVII

SCHOLIA SPIEGELIANA.

SOlerio) Floret hodie è ſamilia Soletia Carpenſi, opinor, Antonius Solerſus vir literatiſſimus, eloquentia potens ac pontificii juris petitiſſimus.

In metum) Correxi in morem, hoc eſt in ſimilitudinem.

Hydræ) ſubaudi Lerneæ, quam alii centum fuiſſe capitum ajunt, alii octo, è quibus unum erat immortale. Cum hoc monſtro multum diúque conflictatus eſt Hercules, propterea quod uno reciſu capite, plura renaſcerentur. Unde proverbium natum Hydram ſecas, ad quod Sylvius appoſite reſpexit. Nam & ad lites nunquam finiendas, ut Eraſ. explicat, accummodari poteſt. Eſt autem privatorum lis ſpecies belli quædam. Unde Germani litem conteſtatam vocant, der krieg iſt beveſtigt.

Quæ in foribus) Emendavi quæ prioribus.

Nam quantum) Diſcordia Chriſtianorum, rem potentiamq; Turcarum alit.

Fridericus Auguſtus) Unde Pacifici, & ut a nonnullis ſed barbaris ſanè Devoti cognomentum tulit in elogiis. Certe, ut Egnatius ſcribit, pacis atq; otii ſtudioſiſſimus extitit, quam tenore perpetuo annos quatuor ac quinquaginta (tot enim rerum potitus eſt) coluit, ſeu fatum id fuerit quietiore Germania, quàm multis tetro actis ætatibus, ſeu prudentia verius id Principis effecit. Crantius per inſcitiam ſubinde cunctatorem appellat, quòd præeunte cognomine quodam accerrimo conſiliorum ſuorum æmulo vox ſtudiumq; prudentiſſimi Principis haud aliter atq; Caſſandræ olim acceptum fuerit. Scriptum manet, hæretq; viride adhuc in animis multorum emiſſum verbum. Tantillo ipſe & Turcarum Imperatorem & illum (Fridericum ſignans) profligabo. Quod dictum Cæſ. filius Epiſcopo perperam ſe excuſanti ſubjecit.

Martialiq; genti) Ut cui ingrata quies eſt, ut Tacitus in moribus gentis autor eſt, & cujus fœminæ cæterarum viris fortiores ſunt, ut Mamertinus dixit. Quinimmo noſtri ſeculi milites, quos Cæſ. Maximilianus ut rudes ſurmavit, primum ad bellicam operam ſtrenue atq, ordine quodam navandam, ita & appellavit patrio vocabulo Landsknechtos, Tacitum mendacii minime arguendum monſtrant, quòd eis, ut de priſcis locutus eſt, pigrum & iners videtur ſudore acquirere, quod poſſis ſanguine parare, de bello juſtum an iniquum ut minus ſolliciti.

Contra Principem patremq; patriæ, cui poſt parentes alteræ debentur partes, obliti naturalis pietatis, juriſq; jurandi militantes. Quo multo magis inclytum Germanorum fidei nomen contaminant, quàm qui id de Sviceris prodiderunt ob captum à Gallorum Ducibus quibus tum militabant Ducem Mediolanenſem Ludovicum nullo non ſummi ſceleris genere atq; flagitii à gravibus autoribus notatum.

Caſtellæ) Henricus opinor ejus nominis Quartus, cui Alphonſi ſoror nupta erat, Hujus magnificentia celebratur.

Portugalliæ) Alphonſus Quintus vir teſte Volatert. foris domiq; præclarus, & qui poſt patrem Eduardum regnavit. Hic Eduardus ex Joanna itidem ſorore Alphonſi noſtri genuit Eleonoram, quam ut ſupra dictum eſt, Friderico Imperatori locavit, ex qua Maximilianus Cæſar eſt genitus.

Nunc ab Occidente) Juxta celebratum illud dictum, Circulus res mortalium ſunt.

Legimus) ab exemplo. *

Unico pacis arbitramento) Interpretes juris, quod tamen nullo juris noſtri textu doceri poteſt, arbitrum ab arbitratore hoc diſtare docent, quòd arbitri,

bitri, qui & compromiſſarius, ſententiæ metu pœnæ per ſtipulationem additæ ſtandum ſit. Contrà in arbitratore ob non adjectam pœnam ſitum eſſe in partium voluntate dicto ejus parendi. Sic quoq; ab arbitrio arbitramentum differre.

Langobardorum) Vide Blondum libro primo Decad. ſecundæ, & Georgium Metulam libro primo Antiq. Vicecom.

Nato tuo) Lege de illo Pontanum libro ſecundo Neapol. Belli, & ad finem ſexti.

Libris ejus) De quibus apud Ritium lib. tertio de Reglb. Siciliæ, ac Volaterranum ad finem lib. ſexti.

Concivis) Communiceps. Concivem enim Latinam vocem non eſſe plerique arbitrantur.

Bernardinus) Vide Blondum in Campania, & Sylvium in Europa.

Tomi Secundi Finis.

A01 1467438

Digitized by Google